TRACTATUS aliquot inſigniores,

DE GRAVISSIMIS THEOLOGIAE CHRISTIANAE CONTROVERSIIS.

OPVS NOVVM, DOCTVM ET elaboratum, in quo, quæ de peccato Originis, Gratia, Libero arbitrio, Charitate, Iuſtificatione, alijsq; hoc tempore diſputantur; tum ad confirmãdos pios in doctrina Catholica, tum ad priuatas periculoſasq; quorundam opiniones conuellendas, eleganter, & ſubtiliter excutiuntur.

Auctore Reuerendiſſ. D. CVNERO PETRI *Epiſcopo Leouuardienſi.*

Tractatuum catalogus verſa pagina, rerum Index ad finem ſubiectus eſt.

COLONIAE AGRIPPINAE

Apud Petrum Haach Noueſianum ſub ſigno Falconis.

Anno CIↃ. IↃ. LXXXIII.

v.c.m.

CATALOGVS TRACTATVVM QVI HOC OPERE CONTINENTVR.

I. *De peccato originis.* *fol. 1*

II. *De gratia Chriſti.* *fol. 78*

III. *De Libero arbitrio.* *fol. 151*

IV. *De Præſcientia, prædeſtinatione, reprobatione, electione & obduratione.* *fol. 202*

V. *De Charitate.* *fol. 244*

VI. *De Iuſtificatione.* *fol. 283*

VII. *De Sanctis.* *fol. 335*

VIII. *De Indulgentijs.* *fol. 369*

IX. *De Firmitate Cathedræ Petri.* *fol. 402*

AMPLIS.

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, INTEGERRIMISQVE VIRIS AC DOMINIS

Conſulibus & Senatoribus, inclytæ imperialis ciuitatis Coloniæ Agrippinæ Mœcenatibus ac patronis ſuis perpetua obſeruantia colendis S. P. dicit.

S. D.

AMPLISSIMI, prudẽtiſſimi, integerrimiq́; viri; Cum (P. M.) Reuerẽdiſſimus pater ac Dominus Cunerus Petri Epiſcopus Leouuardiẽſis hoc opus ante mortem ſuam iam abſolutum Veſt. Amplitudini dedicatum typis committere conſtituiſſet, ſicuti patet ex Præfatione hic præmiſſa, quam ipſe ſua manu conſignauit: Non potui committere, nec opinor debui, quin ſupremæ eius vo-

luntati ſatisfacerem, qua iuſſit, vt quod ipſe non poſſet, ego exequerer, & typis committerem, ſub patrocinio Ampliſſimi nominis veſtri, id quod ipſe in vſum Eccleſiæ Chriſtianæ elaboraſſet. Nec dubito equidem quin ſint hic in ſancta hac veſtra ciuitate Colonienſi, qui idem hoc ab ipſo audierint mihi cōmitti. Certè conſultiſſimus doctor V. I. & venerabilis Decanus ad ſanctum Andream D. Ioann. Schvvollegen: Nec non etiam venerabilis Dominus ac Sacræ paginæ Doctor D. Ioannes Vualſchat de Tongris, & non pauci alij viri præſtantiſſimi in Sacroſancto hoc capitulo ad Diuum Petrum, imo vt rectius dicam in omnibus capitulis, quæ Coloniæ ſunt, ex ipſo patre Cunero audiuerunt id quod ego hic aſſero. Quocirca viri ampliſſimi, cum ego Reuerēdiſſimo Domino meo huius operis authori per ſex integros annos meam operam tum in Friſia, re ſalua, tum etiam in exilio eius fideliter præſtiterim, nolui ſupremæ eius volun-

voluntati deeſſe, ideoque quod ipſe voluit, curaui, vt hoc opus ſub Ampliſſimo veſtri nominis patrocinio in lucem ederetur, quod quidem cum vt cætera omnia, quæ hactenus ab ipſo edita ſunt, Eccleſiæ Chriſtianæ imprimis vtile futurum cenſura publica iudicatum ſit, quod ex ipſa præfatione authoris latius apparebit: Spero equidem veſtræ Amplitudini non ingratum fore eo certe magis, quod ſatis conſtet ipſum authorem dum viueret, huic Sacroſanctæ vrbi, & eius almæ vniuerſitati ex animo benè voluiſſe, vtpote, quod ex eo tempore quo huc appulit, non modo concionibus ad populum, ſed etiam prælectionibus & diſputationibus theologicis publicè ad clerum ornauerit, nullo ſtipēdio inuitatus, nullo petito. Accipite igitur viri ampliſſimi hanc meam erga Dominum meum fidem, & domini mei erga vos obſeruantiā in meliorē partem, quemadmodū ſoletis eorum omniū, qui & veſtræ amplitudinis honorem & commu-

nis reipublicæ ſalutem ex animo querunt. Deus Opt. Max. V. Amplitudinem ſemper in maius ac melius augere ac diu incolumem conſeruare dignetur, benè valete. Coloniæ Anno 1583. 4. Februarij, V. Amplitudinis deditiſſimus famulus Heribertus Balgoij, Sacellanus (piæ memoriæ) D. Cuneri authoris huius libri.

(·.·)

EPISTOLA DEDICATORIA AVTHORIS AD SENATVM COLONIENSEM.

CVM magna nos admodum pace per veſtram prouidentiam & humanitatem viri ampliſſimi in hac alma veſtra ciuitate fruimur, & maxima commoditate varijs occaſionibus, iucundiſſimis exemplis, ac ſanctiſſimis ſtimulis ad colendum Deum incitamur, merito nos non ingratos eſſe conuenit, qui loco tam ſancto, tuto, ſecuro, tranquillo velut in portu poſt naufragium quieſcimus, neque enim vel pio Aenea, cum poſt illas tempeſtates humaniſſimè à Didone reciperetur, vel ipſo patriarcha Iacob, cum fratrem fugiens in Bethel ſuauiſſimè quieſceret, nos infœliciores arbitror, quibus Coloniæ loco tam beato Deum colere conceſſum eſt. nam quod ad exilium hoc noſtrum attinet, ſimilis nos cauſa diſcedendi conſolatur, qui non propter ſcelera (laus Deo) ſed propter pietatem ac fidem patriam fugimus & dulcia linquimus arua: & quod ad locum hunc refugij pertinet, quis non æſtimet in paradiſo potius, quam in exilio ſe verſari, cui loco tam illuſtribus pietatis exemplis percelebri, tanta eruditi-

one conſpicuo, tantis ſanctorum præſidijs munito contingit quiete degere. Nam ſicut Prophetæ miniſter montem plenum equis & curribus vidit in
4.Reg.6. *circuitu Elizei, ſic mihi ſanctam videor quotidie videre Coloniam, ſanctorum, quorum corpora velut pignora apud ſe depoſita cuſtodit, præſidijs, in circuitu munitam, quaſi vigiles, & ſpeculatores in muris per circuitum aſpicias, qui foris & intus vrbem inclitam tueantur. De quibus loquens B. Am-*
B. Ambroſ. de viduis. *broſius. Martyres (inquit) obſecrandi ſunt, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare, poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſua ſi qua habuerint peccata lauerunt. Iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumq́ꝫ noſtrorum. Nam ſi vnius oſſa Prophetæ tantum*
4.Reg.13 *valuerunt, vt cum quidam hominem ſepelirent, & videntes latronculos fugere cupientes proÿcerent cadauer in ſepulchro Elizei, mox vt tetigit oſſa Elizei reuixerit homo & ſteterit ſuper pedes ſuos, quantum credimus diuinæ virtutis in hoc loco præſentiam & efficaciam qui tam multis omnis generis ſanctorum oßibus ſingulari priuilegio diuinitus honoratus eſt? habes hic primitias gentium patres noſtros tres illuſtres illos quorum laus eſt in euangelio viros qui cœleſtis ſideris ductu ex oriente venerunt in Bethleem & regia dona nouo rege Emanueli coronas ſuas illi ſubÿcientes obtulerunt. Enimuero Mediolanum cum ſancto*

Anti-

Antiſtite ſuo Ambroſio perfuſum fuit lætitia, quando ſanctorum Geruaſij ac Protaſij corpora illic reperirentur, vbi præſente Imperatore & Auguſtino immenſo populo teſte citius cæcus quidam contactu martyrum illuminatus eſt. Sed tu Colonia CCC. XVIII. ſancti Gereonis ſocios martyres, & Chriſti milites ſimul & CCC. LX. Mauros ſimili martyrio claros eadem Baſilica potes oſtendere. D. verò Baſilius in quadraginta Martyrum præſentia, mire gloriabatur & exultabat. Hi ſunt inquiens, qui noſtram obtinentes regionem, quaſi quædam turres, contra aduerſariorum incurſum refugium exhibent, ſæpe operam dediſtis, ſæpè laboraſtis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis, quadraginta ſunt hi, vnam orationis vocẽ emittentes, qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat, qui lætatur, rurſus hos oret, hic vt malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. At ſancta Colonia ſimul vndecim milia virginum & martyrum habet, quorum patrocinijs cuſtoditur, quibus accedunt ſanctiſſimi præſules ac preſbyteri Confeſſores & martyres, Seuerinus, Cunibertus, Heribertus patres ac paſtores tui, Euergislus, Agilolphus, Fœlix, Adauctus, Albinus, Maurinus, Eliphius, Ypolitus, Paulinus, Euualdi, Gregorius Spoletanus, Fœlix & Nabor, ſanctiſſimi Machabæi & alij permulti, quos longum eſſet omnes recenſere. His igitur tu mœnibus Colonia cingeris. His præſidijs teneris, hæc arma tua cœleſtia.

Ambroſ. lib. 10. epiſt. 85. Aug. 22. de ciuit. Dei ca. 8.

leſtiã, potentia Deo. Hic theſaurus incomparabilis te verè diuitem ac beatam facit, horum meritis illud debes de quo per ſanctè ſoles in Domino gloriari, quod recidiua non fuiſti, ſed in fide ſtabilis, quæ Coloſſenſibus ſimilis, ab ipſis Apoſtolorum diſcipulis Catholicam & Apoſtolicam fidem didiciſti, in qua perſeueranter ſemper Deo ſeruiens, nullis vnquam hæreticorum inſultibus ceſſiſti: vnde beatam te dixerint omnes nationes, ſi ſemper & in finem vſque (ſicut confido) tua bona noueris. Enimuero cum aduerſarius noster diabolus nunquam dormiat, duo potiſſimum habeat hominum genera, per quæ tuæ fœlicitati nunc inſidiatur: Alterum eorum eſt, qui nunc funeſtis & cruentis tumultibus Belgium depopulantur, quorum licet nefanda, & omnibus deteſtanda videantũr facinora, vbi præualere ceperunt, occultiſſima tamen & aſtutiſſima ſunt conſilia, vbi non oſtium quidem apertum, ſed rimas aliquas inueniunt, per quas irrepere ſe poſſe confidunt, quibus nos facile (ſi mens non leua fuiſſet) in primis initijs occurrere potuimus, qui nunc ſero bonorum omnium diſpendio, contra eos ſalutis remedia quærimus, ſed horum luctuoſi tumultus & noſtra pericula ſatis ſuperque docent, quam omnes (qui ſe ſanos & incolumes cupiunt) contra eos vigilare debeant. Alterum quod nunc occultius eſt, eorum eſſe ſcio qui inter extantes velut craſſas & ſeditioſas hæreſes ac præſentem eccleſiæ Romanæ

doctri-

doctrinam & conſuetudinem, neſcio quodnam medium, quaſi Romana fides, etiam in parte excedat vel deficiat, comminiſci ſtudent, atque hac ratione conſilium pollicentur, quo omnes in vnam fidem ac religionem conueniant, quod vt nunquam effectum dare poſſunt, ſic huius inuentione medij non aliud futurum eſt, quam vt vel nouam hæreſim proferant, vel olim ſepultam renouent. Aut enim apud iſtos Romana eccleſia, hoc eſt, fidelium ſocietas, quæ Chriſti fidem ſub obedientia cathedræ Petri ſeu Romanæ ſedis profitetur, ſola eſt Catholica & Apoſtolica Chriſti eccleſia, vtpote quæ ſola omnes ſectas præcedens ſemper ab initio toto orbe diffuſa huc vſque permanet, vel nulla adhuc in orbe Dei eccleſia reperitur, quoniam nullæ, vt ſciunt, vel præſentes, vel olim ſepultæ ſectæ poſſunt originem & amplitudinem ſuam eo deducere, vt vel Apoſtolicæ, vel Catholicæ cenſeri queant. Cùm igitur noua fides & religio, nouam Eccleſiam conſtituant, neceſſe eſt, vt quod iſti nouum velut medium inter extantes eccleſias confingere volunt, nouam nobis ſectam pariat. Ideoque quicquid fabricantur, qui fidem vel religionis ſpeciem aliam moliuntur, quam tenet & docet Romana ſocietas, verè non niſi hæreticum & anathema cenſeri poterit, quod licet fortè moderatum quibuſdam videbitur, nihil tamen verè moderatum reputari debet, quod vel ad dexterā vel ad ſiniſtram à Regia, id

gia, id eſt, Catholica Romanæ eccleſiæ via latum vnguem deflectere reperitur, porro cum in ſola nauicula Petri, id eſt, ſancta Romana communione videt impius Sathan veram eſſe religionem, qua Deus legitime colitur, parum id curat quæ phantaſmata ſtultis perſuadet hominibus, modo talia ſint, quæ à ſincera obedientia & dilectione Romanæ eccleſiæ animos alienent. Solent iſti mediatores frequenter exaggerare, corruptos eccleſiæ mores, craſsiores populi errores theologorum, (vt ludunt) ſophiſmata, vbi ſpeciatim cum non exprimant, in quibus veraciter erretur, fit aſtu diabolico vt horum imprudēti lingua lethalis inuidia & odium mortiferum aduerſus veram Chriſti Eccleſiam, cuius amor maxime nobis neceſſarius eſt, animis hominum ingeneretur, cum verè nulli ſint, vel in eccleſiaſticis vel ſecularibus corrupti mores vel errores, quam qui aduerſus ſacroſanctos eccleſiæ canones & conſuetudinem committuntur, optima verò reformationis & concordiæ ratio eſt, vt omnes in vnitate catholicæ fidei nos inuicem diligamus, ſicut Chriſtus dilexit nos. Tu verò O ſancta Colonia, nullis opus habes nouis magiſtris, quæ Petri principis Apoſtolorum aſſecuta es doctrinam, eius inſtituta diſciplinis quæ ſub beatiſsimo Materno Petri diſcipulo ab anno Domini. 95. fere per mille ac quingentos annos Chriſto conſecrata fuiſti. Quod igitur apud te depoſitum eſt
1. Tim. 6. *cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, &*

oppoſi-

oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Hæc eſt enim vera gratia Dei, in qua ſtatis, quæ non ab homine vel per hominem, ſed (vt Paulus teſtatur) cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab ijs qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portẽtis, & varijs virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam voluntatem. Quicquid igitur aliud tibi quocunque colore ſuggeritur, etiamſi tantum de verbis & quibuſdam (vt callide dicunt) abuſibus videantur eſſe controuerſiæ, tu ne ſyllaba quidem, vel iota, ab eis deduci te patere quæ in obedientia ſanctæ Romanæ eccleſiæ didiciſti, & publico quotidie exercitio ſeruas & frequentas, in his age, ne timeas, non reſpicias, ne dubites, vel hæſites, ſed confidenter ſuperædifica & in Domino progredere, vt illud ſemper apud omnes audias, quod Chriſtus in tibi ſimili ciuitate Epheſiorum commendabat, hoc, inquiens, habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi, vbi vides quam Chriſtus ſectas omnes reprobet, quæ cum à diuerſis hominibus nomen & originem habent, palam vel hoc ipſo declaratur, non eſſe Chriſtianas, ſed de his ſatis. Nobis vero qui ſub alis veſtris, viri ampliſſimi, tam pio & quieto aſylo fruimur, id reſtat, vt perpetuo Dominum pro pace, tranquillitate, ſalute & proſperitate nobiliſſimæ ciuitatis, ſimul & pro veſtra Amplitudine rogemus: Ego autem qui propius

1. Petr. 5.
Hebr. 2.
Apoc. 2

veſtram humanitatem & beneuolentiam expertus ſum, id addendum iudicaui, vt gratitudinis, quæ ex intimis precordijs proficiſcitur ergo, qualemcunque laborem iſtum V. Amplitudini dedicarem, quem de quibuſdam controuerſijs, aſſumpſi, quas iudicabam tales eſſe, vt diligenter excuſſæ poſſent radices ac fundamenta, præſentis & adhuc creſcentis, hæreſis ſubuertere, quæ verò non niſi ex mera ignorantia (quam Philoſophi prauæ diſpoſitionis vocant) vel turpis lucri gratia, fouetur, à qua vos ſemper cuſtodiat & in omni gratia, bonitate, & benedictione ac virtute perſeuerare faciat Ieſus Chriſtus ſaluator mundi, quem etiam rogo, vt V. Amplitudines in gratia ſua diu ſanas, & incolumes protegat, & defendat. Datum Coloniæ 18. Decembris, Anno 1578.

Ego

Ego Ioannes Coemans ab Horſt Eccleſiæ cathedralis S. Bauonis Gaudenſis Scholaſticus ac Sacræ Theologiæ profeſſor, hos R. D. Cuneri Petri tractatus dignos prorſus cenſeo, qui typis commiſſi, ad profectum & ſalutem multorum, diuulgentur.

Tractatus hos à R. D. Cunero Petri collectos piè atque vtiliter typis mandari cenſeo.

Ioannes Noems Sacræ Theologiæ Licentiatus.

DE PECCATO ORIGINALI ET BABTISMO PARVVLORVM LIBER PRIMVS.

IAmetſi multi poſtremis his temporibus cõtra Lutherũ, Zuuinglium, Caluinum, alioſque de peccato ſcripſerunt originali; quorum eruditioni & eloquentiæ me comparare non debeo: viſæ tamen mihi ſunt quędam reſtare reliquię, quas operæprecium arbitratus ſum; velut appendices quaſdam diligẽter excutere, quo plenius in hoc argumento ſtudioſo lectori ſatisfiat, & repullulantia quędam hęreſis germina radicitus amputentur. Nam originali peccato nos omnes obnoxios naſci atq; per baptiſmum illud in Chriſto tolli; ſicut alij ante nos longè copioſius & eruditius oſtẽderunt, euidentiſsimum eſt. Cæterum quid ipſum ſit, quod originale peccatum dicimus, non tam copioſè & diſertè definitum legitur, quin addita luce aliqua clarius ac manifeſtius patere queat, quod dũ pro noſtra virili facimus, non tedebit lectorem ſi paulo altius quæ huc pertineant repetere videamur; eadem mihi fuit de reliquis

quæ pertractantur hoc libro, poſt alios ſcribendi ratio, quo in quæſtione, quid eſt proprie, pro virium mearũ exilitate ex ijs iuuarem quæ apud alios ſparſim inuenta velut in cõpendium contraho & quoniã hæc religionis Chriſtianæ ſaluberrima ſunt fundamenta, eadem, ſicut Paulus ait, proximis ſcribere, neq; mihi pigrum neq; illis moleſtum vel inutile videri debet, vt res omnibus multum neceſſaria varijs occaſionibus in omnium manus deueniat, quoniam (vt perſanctè tradit D. Auguſtinus) in duorum hominum cauſa Chriſtiana fides conſiſtit, quorum per vnũ venũdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis.

Auguſt. li. 2. contra Pelagium & Celeſt. de peccato orig. ca. 14.

CAPVT PRIMVM

Author hæreſis de peccato originali, Pelagius.

PRimum igitur, quod in eccleſia notiſsimum eſt, obiter in memoriã reuocãdum eſt, Pelagium monachum Brytannum, huius hæreſis authorem eſſe, quod Infantes nullum contrahant ex natiuitate peccatũ, quod genitale vel originale dicatur, contra quem eo tempore quanta diligentia & vigilia laboratum ſit, placuit ex B. Proſperi carmine lectori non ex neceſsitate (quoniam omnibus ſatis id cõſtat) ſed pro oblectamẽto quodam oſtendere. Sic igitur ille de pelagiana loquens hæreſi teſtatur.

Peſtem ſubeuntem prima reſcidit,
Sedes Roma Petri: non ſegnior inde Orientis

Recto-

Rectorum cura emicuit
Tunc etiam Bethlei preclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul & Græco Latioq́ venuſtus
Eloquio, morum exemplum mundiq́ magiſter
Hieronymus libris valde excellentibus hoſtem
diſſecuit.
Sed cauſam fidei flagrantius Africa aiebat.
Conuenêre etenim de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoq́ ſenum celeberrima cætu
Decernit, quod Roma probet, quod Regna ſe-
quantur
Dux Aurelius ingeniumq́, &c.
Auguſtinus erat: quem Chriſti gratia cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere terris Concilium
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis Epheſ. dā-
Nec ſola eſt illic ſynodorum exorta poteſtas nauit Ne-
Ceu quos non poſſent ratione euincere noſtri ſtor. & Pe-
Vi premerent diſcuſſæ artes, viruſque rete- lagianos.
ctum eſt
Hæretici ſenſus: nullumq́ omnino relictum
Docta fides, quod non diſſolueret argumen-
tum.

Quamobrem deploranda eſt hominum i-ſtorum infelicitas, qui contra tot & tantos patres longe amplius quam mille annis tāto eccleſiæ ſtudio, ſepultum Pelagium nunc ab inferis reuocare conantur. Quis enim in die dñi cum beatiſsimis illius ſeculi viris Augu-

ſtino, Hieronymo, Ambroſio, Baſilio & alijs toto orbe tunc florentibus confeſſoribus cõparere non malit, quàm cum impio vno Pelagio, & aliquot eius ſectatoribus? Sane ſi pudor vllus, vel religio nouatores iſtos teneret nunquam cõtra ſanctiſsimum hunc patrum chorum tanto tempore venenum extinctum reſuſcitarẽt: contra quos non noua, ſed quibus Pelagius ipſe à maioribus noſtris confoſſus eſt, arma proferemus.

CAPVT SECVNDVM.

Oſtenditur ex ſcriptu ris hominẽ naſci cum peccato o riginali.

SEcundum fidem itaque catholicam, ſtatuendum & agnoſcendum eſt, omnibus qui ex Adam procedunt, peccatum originale ex ipſa origine, quando cõcipiuntur, ineſſe, propter quod mortis & damnationis reatui naſcuntur obnoxij, pro cuius confirmatione primus, & maximè illuſtris locus à patribus contra Pelagium citari ſolet, qui eſt ad Romanos cap. 5. vnde Pelagius, quocunque ſe verteret, nequaquam euoluere ſè potuit, ſicut per vnum hominẽ (ait Paulus) peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. vbi diuinus Apoſtolus beneficia Chriſti, cum damnis & incommodis Adæ cõferens, vult ſubintelligi quòd propoſitæ ſimilitudini reſpondeat, nimirum, quod ſic omnes, qui in Chriſto ſunt renati, per Chriſtum iuſtitiam & recõciliationem acceperunt. quomodo per Adam peccato ſunt contaminati, peccatores & iniuſti

ad Rom. 5.

conſtituti;

conſtituti; ſicut enim, vt poſtea ſubijcit, per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi. Mundum verò appellauit hoc loco Apoſtolus vniuerſum genus humanum, quod ex Adam originem ſuam habet. Quando igitur dicit, quod per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: perſpicuè peccatum ſtatuit, quod ex origine ſingulis ineſt, & in natiuitate ex primo parente contrahimus, quod originale ſeu genitale peccatum vocamus: ſimiliter quando dicit: In omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes homines peccauerunt, haud obſcurus Pauli ſenſus eſt, quod in omnes homines mors pertranſijt per Adam ſcilicet, in quo omnes peccauerunt, quod nō niſi propter originale peccatum, quod ex Adam contrahunt, dici poteſt. Quibus multũ etiam lucis accedit ex eo, quod ſubijcit: ſed regnauit mors ab Adam vſq; ad Moyſen etiã in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem pręuaricationis Adę, id eſt, infantes, qui propria actione nihil mali perpetrarunt, quos morti ſubiectos eſſe docet, quoniam per vnũ hominem peccatum in eos intrauit, & in illo peccauerunt. Plura de hoc Pauli loco habes libro primo de peccatorum meritis: & cōtra Iulianum. Alius de hoc peccato percelebris & præclarus locus eſt apud prophetam Iob: Quis poteſt, inquit, mundum facere, de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Quod diuini ſeptuaginta interpretes in hunc

Auguſt. libr. 1. de peccat. merit. à ca. 9. vſq; ad 13. & lib. 6. contr. Iulianum cap 12.
Iob. 14.
Iob. 25.

hunc ſenſum tranſtulerunt. Quis enim mundus erit à ſorde, ſed nullus, ſi & vnus dies vita eius in terra; & rurſus in eodem propheta: nunquid iuſtificari poteſt homo, comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? nemo autem immundus coram Deo, niſi propter peccatum, quod adhæret illi, dicitur.

Pſalm. 50. Deinde propheta Dauid, fidelibus & circuncisis parentibus natus, humiliter teſtatur & agnoſcit, quoniam in iniquitatibus conceptus ſum, inquiens, & in peccatis cōcepit, ſeu peperit, me mater mea: quod non de iniquitatibus parentis, cui nequaqnam peccatum eſt concipere vel parere, ſed de proprio peccato, quod in conceptione contraxerat, intelligi debet: quod quidem peccatum Moyſes aptiſsimè per præputium ſignificatum voluit, cuius circunciſio, magno myſterio fuit Abrahæ mandata, 8. die, quæ valebat, inquit Auguſtinus; ad ſignificationem purgationis in paruulis originalis veteriſq́; peccati. Perſpicua quoq; ſententia eſt Prophetæ Oſeæ, ſicut Adam, inquit, tranſgreſsi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me: & non minus clara & aperta Ezechielis, vbi ſub perſona immundi Ieruſalem, grauiſsimè in eos commouetur, qui hoc peccato non eſſent mundati, velut natiuam eis malitiam exprobrans; quando nata es, inquit, in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec pannis inuoluta: clariſsimè ſpiritu prophetico condemnans eos, qui hodie ſine baptiſmo in ſordibus

Geneſ. 17.

Aug. lib. 2 de nup. & concupiſ. cap. 11.

Oſeæ 6.

Ezech. 16

ſordibus originalis peccati adoleſcunt. Contrà gratias agit Apoſtolus, quod nos circunciſi ſumus in Chriſto, circunciſione non manufacta, quæ eſt circunciſio cordis in ſpiritu, ſicut ait, nos ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo. Chriſtus verò dominus hoc genitale peccatum inſinuat, quando de homine non renato loquens, ait, quòd natum eſt ex carne caro eſt: ſignificans hominem qui carnali concupiſcentia procreatur, carnalem, & peccato ſubditum naſci. vnde nos ex aqua & ſpiritu ſancto renaſci ſtatuit. Angelus quoq; de Chriſti conceptione diſſerens, eum ex ſpiritu ſancto ſanctum de virgine naſciturum ſatis à contrario ſignificat, qui non ex ſpiritu ſed ex carne naſcuntur prodire immundos & impuros. huc quoque pertinet aceruus ille ſcripturarum, quibus D. Auguſtinus euidentiſsimè demonſtrat dominum Ieſum Chriſtũ non aliam ob cauſam in carne veniſſe, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſsimæ gratiæ omnes, quibus tanquã membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt ad capeſsendum regnum cœlorum viuificaret, ſaluos faceret, mundaret, renouaret, liberaret, redimeret, illuminaret, circuncideret, ſanaret, iuſtificaret, qui prius fuiſſent in peccatorum morte, languoribus, ſordibus, vetuſtate, ſeruitute, captiuitate, tenebris, & impietate conſtituti ſub poteſtate diaboli principis peccatorum. Hæc enim his verbis paſsim in ſcripturis ſic reperiũtur. Cũ

Ad Colloſ. cap. 2.
Ad Rom. 2
Ad Phil. 3
Iohan. 2.
Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. cap. 26.

igitur etiam paruuli Chriſto indigeant, & per ipſius gratiam ſaluantur, mundantur, liberantur, &c. Manifeſtum eſt eos à morte & ſordibus peccatorum liberari: quæ quoniam nulla in ea ætate per ſuam vitam propriam commiſerunt, reſtat originale peccatum. Denique non exigui momenti ratio de peccato originali ſumitur ex graui miſeriarum iugo, quod ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum videmus, vſq; in diem ſepulturæ in matrem omnium: Cum enim Deus iuſtus & æquus dominus, hominum ſic curam gerat, vt bonis premium, & non niſi malis pœnam retribuat, ex ipſa pœna, cui totum genus humanum à prima ſua conceptione ſubijcitur, facile culpam, & commune aliquod peccatum his omnibus digniſsimum colligere poſſumus; ſiue enim corpus, ſiue animam ſpectes, quis omnes miſerias, & calamitates hominis facile enarrabit? In mente profunda eſt rerum ignorantia, & non niſi cum maxima difficultate, ſummo labore ad aliquam veri cognitionem peruenitur, vbi mille fraudibus tum hominum, tum dæmonum ſæpe decipimur, in malum proni, erga bonum difficiles ſumus, cuius amore & ſtudio, ſi quis proficiat, ſtatim odio mundi excipitur, & miris perſecutionibus obijcitur, vnde plurimi à bono deterrentur, homo beſtijs voratur, & (quod horribiliſsimum eſt) etiam dæmonibus ſubijcitur, famem, ſitim, frigus, æſtum, & incertos fortunæ caſus miſera varietate patitur, & cum tamen mori

ſemel

ſemel debeat per febres,timores, morbos, anguſtias,cruciatus, pericula & calamitates millies ſæpè mortem ante funera experitur, & ſimilia,quæ copioſius ex Eccleſiaſtico.Habes apud Auguſtinum de ciuitate Dei: vnde ſatis euidenter apparet,humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum, & ad luendas miſeriarum pœnas eſſe damnatum. Addi poteſt his non inefficax argumentum, quod ex concupiſcentia ſumitur, quam omnes in nobis experimur & erubeſcimus,quia ſine peccato factum non eſt, vt quod debet ſubeſſe,tam contumaciter ſuperioribus obluctetur. Nemo etiam rationabiliter de his paſsionibus erubeſcit quas habet à natura, niſi inſit ei per aliquam culpam. Cum igitur omnis homo naturaliter ex motibus concupiſcentiæ erubeſcat: rectè colligitur & manifeſtatur, quod quilibet in ſeipſo non tantum pœnaliter, ſed etiam vituperaliter & cupabiliter ſua origine corruptus eſt. Quibus omnibus Sapiens adſtipulatur:quia Deus,ait,mortem non fecit,nec lætatur in perditione viuorum: Iniuſtitia autem mortis eſt acquiſitio. Et,ſicut ſanior habet eiuſdem libri lectio, cum ſis iuſtus, inquit, iuſtè omnia diſponis,& ipſum,qui non debet puniri, condemnare,exterum æſtimas à tua virtute. virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt, & ob hoc quod omnium dominus es,omnibus te parcere facis. Quo loco contractam ex origine malitiam ipſe Sapiens naturalem appellat, erat,inquiens,malitia eorum naturalis,

Eccleſ.40
Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei cap.22.
S. Bonauent. in 2. diſt. 30. quæſt. 2.
Sapient. 1. & 12.

maledictum ſemen ab initio, non enim niſi propter peccatum maledictum eſſe potuit, & malitia naturalis, quæ ex origine cōtracta eſt, quam adulti ſequebantur, quod ipſum Apoſtolus quoq; ſignificat, quandó nos omnes ante baptiſmum, natura filios irę fuiſſe pronunciat: Eramus, inquit, natura filij iræ ſicut & cæteri, id eſt, ex naturali & innata malitia peccabamus. his poſtremo accedunt diuina patrum teſtimonia, quæ 1. & 2. lib. cōtra Iulianum citat D. Auguſtinus, preter ſacra concilia, quæ tunc temporis & poſtea ſępius de eodem argumento ſunt habita, quæ proximis capitibus commodius adferentur.

Ephes. 2.

CAPVT TERTIVM.

Quid ſit peccatum originale & illud paruulis internū eſſe, vnde homo naſcitur iniuſtus & Deo exoſus.

IAm ſecundo loco videndum eſt, & diligętius excutiendum quid idipſum ſit, quod originale ſeu genitale peccatum dicimus. Nam hic & maior eſt difficultas, & error frequentior: quanquam enim hodie omnes ferè præter Zuuinglium, & nonnullos Anabaptiſtas, etiam hæretici conſtanter cum catholicis peccatum originale fateantur, non eadem tamen omnibus de eius natura ſententia eſt, & de quæſtione quid ſit, variè diſputant: qui tamen nunc allatas ſcripturas, & maiorum ſententias, quibus agitur contra Pelagium, diligenter attendunt, facilè veritatem perſpiciunt, quam patres in celeberrimo Concilio Trident. luculenter nobis aperuerunt. Primū itaq; hoc firmiter ſtatuen-

dum eſt, peccatũ originis,cui ſubiecti naſcimur, non eſſe(ſicut malè nonnulli opinantur) externum illud Adæ peccatum, quod præceptum Dei in paradiſo violando perpetrauit; ſed quod ex illo peccato mundum, (iuxta Paulum)id eſt,genus humanũ ingreſſum eſt,& omnibus ex natiuitate & origine inhæret,non quidem nuda alicuius doni,vel gratiæ priuatio vel defectus,qui hoc nomine pœnæ magis quàm culpę rationem habet,nõ reatus pœnæ debitum, quod non peccatum, ſed peccati effectus eſt: ſed eiuſmodi, quod propria ratione peccatum eſt, quo paruulis inhærente propter ipſum praui ſunt,iniqui, immundi,mali,iniuſti,velut malæ, & amarę arbores,quæ ſuo tẽpore prauos radicis vitio fructus edant.In hoc enim patrum contra Pelagium verſatur intentio, quod ex peccato Adæ quoddam internum ex originis noſtræ conditione peccatum contrahimus,quod operante quodam contagio ex Adam trãſit in poſteros quos inficit,contaminat & inquinatos Deo indignos reddit. Per vnum hominẽ, inquit Apoſtolus,peccatum in hunc mundũ intrauit,& per peccatum mors,vt quẽadmodum mortalitas ex Adam nobis adhæret: ſic & peccatum nobis inſit,propter quod morte digni iudicemur, quare & ſubijcit Apoſtol⁹: ꝙ per vnius inobedientiã peccatores, id eſt, impij & iniuſti facti ſumus,ſicut ꝑ obediẽtiã Chriſti iuſti efficimur,ꝙ ipſum ſcripturę priori q̃ſtiõe citatæ palã atteſtãtur,quæ nos ex immũdo ſemine im̃undos cõcipi,& ex carne

Albertus Pigius.
Ambroſius Catharin⁹
Durand.

carnem

carnem, id eſt, carnales naſci docent, & per baptiſmum in Chriſto mundari, lauari, renouari, iuſtificari, circuncidi, ſanari, viuificari, quæ maculam internam contagium & inhærens peccatum arguunt. Et palam pronunciat D. Auguſtinus ad falſitatem Pelagianorum pertinere, quod dicunt nihil vitiorum ex Adam trahere genus humanum quod ſit curandum, ſanandum per Chriſtum: de quo pulcherrimè quoque differens contra Iulianum, quomodo ex parentibus trâſit in filios, ſic habet: Vitia quamuis ſint in ſubiecto ex parentibus ait, tamen in filios non quaſi trâſmigratione de ſuo ſubiecto in ſubiectum alterum, ſed affectione & contagione pertranſeunt, ſicut de parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur, & Aethiopes quia nigri ſunt, nigros gignunt. & rurſus; parentum peccata modo quodam dicuntur aliena, & iterum modo quodam reperiuntur, & noſtra, aliena quippe proprietate ſunt actionis, & noſtra ſunt contagione propaginis. Et alibi; ſicut peccati actione maiores, ita minores maiorum contagione ſunt rei. Et iterum: peccato ſubſtantiam non deputamus, ſed in primis hominibus actum, in eorum vero poſteritate contagium, atque iſtud ipſum eſt, quod habent clariſsimè patrum ſententiæ, quas contra Iulianum 1. & 2. libro in hoc argumento citat D. Auguſt. inter quos Ambroſius ſic habet: Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes lectũ, dicente Dauid, ecce enim in iniqui-

Auguſt. lib. 4. cõtr. duas epiſtolas Pelag. cap. 8

Auguſt. lib. 6. cõt. Iulia. cap. 7. & 4.

Auguſt. li. 3. c 5. & lib. 5. ca 1. contr. Iulianum.

iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Chriſti autem caro damnauit peccatum, quod naſcendo nõ ſenſit, quod moriendo crucifixit, vt in carne noſtra eſſet iuſtificatio per gratiam, vbi erat ante colluuio per culpam. Et idem ipſe, antequam naſcimur, inquit, maculamur contagio, & ante vſuram lucis originis ipſius excipimus iniuriam, & in iniquitate cõcipimur: & paulo poſt: ipſe partus habet contagia ſua: & iterum Dauid, inquit, ideo mundari ſacri fontis irriguo deſiderabat, vt carnalé ac terrenam labem gratia ſpiritalis ablueret, ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea, male Eua parturiuit, vt vnuſquiſq; concupiſcentiæ voluptate cõcretus prius ſubiret delictorum contagium, quam vitalis ſpiritus munus hauriret. Et vt lib. 2. contra Iulianũ ab Auguſtino citatur, mundationem ab originali peccato fieri ſignificat, cum libidinum volutabrum commutatur in Dei templũ, diuerſoriumq; vitiorum, ſacrarium incipit eſſe virtutum. Deinde B. Martyr & Epiſc. Cyprian. prohiberi nõ debet infans, ait, à baptiſmo, qui recẽs natus nihil peccauit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. extat & pulcherrima ſententia magnæ auctoritatis viri Reticij Auguſtudinenſis Epiſcopi, cuius hæc de baptiſmo verba profert Auguſtinus, hanc igitur eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis

Ambroſi.

B. Cyprian.

Reticius.

minis

minis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus; ſimiliter Olimpij Hiſpani Epiſc: *Olimpius.* magnæ in Eccleſia & Chriſto gloriæ, ſi fides, inquit, in terris incorrupta manſiſſet, nunquam prothoplaſti mortifera trangreſsione vitium ſparſiſſet in germine, vt peccatum in homine naſceretur: quibus pulcherrimam adde ſententiam D. Gregorij Nazianzeni qui *B. Gregor. Nazianz.* de baptiſmo loquens: perſuadeat, inquit, tibi de hoc quoq; ſermo Chriſti dicentis, neminem poſſe introire in regnum cælorum, niſi renatus fuerit aqua & ſpiritu, per hunc primæ natiuitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ. Audimus hic maculas, ingenita ſcelera, vitiũ ſparſum in germine, contagium mortis antiquæ, volutabrum libidinis, & culpæ colluuionẽ; non igitur tantum Adæ peccatum cogitare debemus, ſed quod ex Adam nos inuadendo *D. Berna. ſer. de tri. plici cohæ rentia vin culorum.* contaminauit. Sicut Bernardus ait, corde & corpore confractus in Adam diffluo in voluptates, in amaritudines totus fluidus & eneruis, habens innatam culpam, ſiquidem iſtud ipſum eſt, quod patribus contra Pelagium iniuſtum & Deo indignum reputatum eſt, quod paruuli, qui ipſi puri & innocẽtes eſsẽt, propter Adæ peccatum cuius contagione nõ eſſent contaminati, mortẽ & damnationem ſuſtinerent: Pœnam videlicet, vt loquitur Auguſtinus, ſine culpa & mortem trahendo

ſine

ſine meritis mortis, pœnam dicunt tranſire ait ſine culpa, & innocentes paruulos puniri trahendo mortem ſine meritis mortis, & Sacrum Concilium Arauſicanum. Si quis mortem tantum corporis, quæ pæna peccati eſt, non autem & peccatorum, quod mors eſt animę, per vnum hominem in vnum genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit contradicens Apoſtolo, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Et contra Iulianum Auguſtinus, non vultis, inquit, fateri genus humanum ex initio quo deſeruit Deum trahere damnatę originis noxam his omnibus digniſsimā pœnis fruſtraq; putas, ideo in paruulis non eſſe delictum, quia ſine voluntate, quæ in eis nulla eſt, eſſe non poteſt: hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiuſq; peccatum, non propter primi peccati originale contagium, quod ſi nullū eſſet, profectò nullo malo paruuli obſtricti, nihil mali vel in corpore vel in anima ſub tanta iuſti Dei poteſtate paterētur. Et D. Fulgentius qua iuſtitia paruulus, inquit, ſubijcitur peccati ſtipendio, ſi nulla eſt in eo peccati pollutio? & nimis impium eſt, ait Proſper, hoc de Dei ſentire iuſtitia, quòd à præuaricatione liberos cum reis voluerit eſſe damnatos. Quibus patet originale malum non externum, ſed paruulis internum eſſe peccatum, quo illis inhærente propter ipſum impij, & Deo exoſi naſcuntur.

Aug. li. 4. contr. 2. epiſt. Pelá. cap. 2.

Concil. Arauſic.

Auguſt. li. 3. cont. Iúlia. ca. 4. & 5.

Fulgent. de incar. nat. ca. 14.

Proſper cont. Caſſianum.

CAPVT QVARTVM.

Peccatum originis eſt ex Adam contracta impietas & iniuſtitia quà à creatore ſuo auerſus ad creaturas perperam inclinatus eſt.

TAmetſi igitur varij varie ſentiant, nihil tamen ſanius ſtatui poteſt, quam in ſacro Concilio Tridentino iam pridem iuxta allatas nunc ſcripturarum & patrum ſententias expoſitum eſt: nam doctiſsimo illo decreto quo de iuſtificatione, ſpiritu ſancto plane inſpirati, patres agunt, paucis verbis quid per Originale peccatum intellexerint 1. & 3. capite aperiunt; vbi eos, qui ex ſemine Adæ propagantur, dicunt immundos & iniuſtos naſci, quia ea propagatione per ipſum, inquiunt, dum concipiuntur, propriã iniuſtitiam contrahunt. Hoc igitur iuxta patres eſt, quod originale peccatum dicimus: iniquitas videlicet, & ex Adam cõtracta impietas, & iniuſtitia, prauaq; hominis diſpoſitio, qua perperam & malè in Deum & creaturas affectus eſt, auerſus à Deo, & ad ſeipsũ & creaturas inordinatè conuerſus; non quod infantes de Deo aut creaturis aliquid cogitent, qui nullum voluntatis aut rationis vſum habent, ſed quoniam habitualis quædã in eis eſt praua diſpoſitio, qua non rectè in ordine ad Deum & creaturas diſpoſiti ſunt; & qua, velut interno malo ſemine, malorum fructuum feraces ſunt, quaſi arbores malę & amaræ. Eſt enim originalis iſta iniquitas prauus quidã & corruptus naturæ habitus, quo homo ex Adam carnaliter natus, carnaliter affectus eſt, & perperam reſpectu Dei, & eorum quæ Dei ſunt diſpoſitus (velut amara

radix & arbor mala, quæ licet actu nullos iã fructus proferat, ſic tamẽ eius habet cõditio, vt, niſi gratia quadam immutetur, peruerſos ſuo tempore fructus ſit æditura) ſic nimirum mente & corde diſpoſitus & affectus, vt non ſecundum Deum, ſed ſecundum ſe ipſum viuere latenti vitio promptus ſit. Hæc eſt illa iniquitas, in qua propheta conceptum ſe fatetur, vnde ſecundum Iob, ſordidi & immũdi naſcimur: hic habitus eſt ille vetus homo quem in Baptiſmo exuimus & deponimus, nouum hominem, id eſt nouam animæ diſpoſitionem & habitum induentes. Hæc eſt naturalis omnium malitia, qui in Chriſto nõ ſunt renouati, cuius ratione ſcriptura teſtatur, omnes Adæ filios eſſe ſub peccato, & eiuſmodi vt nemo ex ijs bonus aut iuſtus ſit, non ſit intelligens aut requirens Deum, ſicut ſcriptum eſt: omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, & venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, & ſimilia, quæ non ad actiones, ſed ad habitualem & innatam malitiam referenda ſunt, qua omnes ex Adã infecti ſunt priuſquam in Chriſto regenerãtur: quod Apoſtolus clarius alibi ſignificat, quando nos extra Chriſtum dicit fuiſſe natura filios iræ, ſicut & cæteri, hoc eſt, ex naturali ſeu innata malitia filios peccati, quod iram meretur. Hæc eſt illa carnalitas, vnde caro & ſanguis Adæ filij reputantur, quæ per

Ad Rom. 3
Pſalm. 13.
Ad Eph. 2

gratiam tollitur in Baptiſmo: hæc peruerſitas vera eſt animæ mors, vnde per Chriſtũ in Baptiſmo viuificamur. Hæc iniuſtitia, velut cordis eſt præputium, quod in Baptiſmo præciditur, hæc magna macula quæ per Chriſtũ in Baptiſmo deletur. Huius ratione velut Oleaſtri & Silueſtres ac amaræ arbores ex Adã naſcimur: qua velut feritate quadam depoſita in Baptiſmo ſuauis & dulces oleæ renaſcimur. Sane apud Deum plurimum intereſt non ſolum quibus actionibus homo dum vigilat aut ratio libera eſt, ſit deditus; ſed etiam qua mente dum dormit aut ratio ligata eſt, ſit præditus. Ipſe enim intuetur cor: Et ſicut in pueris renatis bonam eorum animam approbat, ſicut Sapiens ſibi congratulatur, quod bonam animam ſortitus eſt; ſic in carnalibus Adæ filijs malam & peruerſam mentem deteſtatur. Quamobrem huiuſmodi praua hominis concepti diſpoſitio propria & vera ratione debet peccatum æſtimari; & quoniam ex origine nobis ineſt & in natiuitate ex primo parente eam contrahimus, aptiſsimè peccatum originale dicitur: peccatum quidem, quia impietas eſt, iniuſtitia, iniquitas, peruerſitas, & malitia; Originale verò, quia ex primo parente in cuiuſque natiuitate contrahitur, & ex origine nobis ineſt. Patet autem hæc originalis peccati deſcriptio clariſsimè ex Analogia qua Paulus Apoſtolus peccatum ex Adam contractum, opponit iuſtitiæ, quam per Chriſtum recipimus: ſicut per vnum hominem, ait,

Quare dicatur peccatum originale.

ait, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ſic videlicet per Chriſtum iuſtificamur. ſed non ſicut delictum, ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores cõſtituti ſunt multi; ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Ecce diuerſis ſententijs dona Chriſti cum incommodis Adæ comparãs, hoc ipſum malum & peccatum, quod ex Adã trahimus, opponit iuſtitię qua per Chriſtum iuſtificamur. Vnde certiſsimè conſequitur, hoc originale peccatum eſſe iniuſtitiam, cui baptiſmalis iuſtitia opponitur. Quando aũt paruuli per Chriſtum in Baptiſmo iuſtificantur, nihil de actione cogitandũ eſt, ſed eorũ in hoc poſita eſt iuſtificatio, quod per latentẽ eius & infuſam gratiã, rectè in ordine ad Deũ & proximum diſponuntur, & habitũ quendam velut nouum hominẽ induunt, quo corde & animo ſic affecti ſunt, vt ſecundũ Deum viuere latẽti virtute prõpti & inclinati ſint: quæ velut bona radix eſt, & bonum eis inſitum ſemen, vnde licet iam nullos actu fructus proferant, bonorum tamen fructuum feraces ſunt, velut bonæ & ſuaues in Chriſto renatæ plantulæ, quæ fructum dabunt tempore ſuo. Quemadmodum ergo originalis

iuſtitia, quam, ſi non peccaſſet Adam, propagatione accepiſſemus, & quã nunc per Christum in Baptiſmo recipimus, non in actibus ſed habituali cordis diſpoſitione & affectione poſita eſt: ſic & peccatum quod ex origine contrahimus, de quo certiſsimè Auguſtinus; ſicut ille in quo omnes viuificantur; dat ſui ſpiritus occultiſsimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis; ſic & ille in quo omnes moriũtur, occulta labe carnalis concupiſcentiæ tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes.

Auguſt. li. 1. de peccat. merit. cap. 9.

CAPVT QVINTVM.

Vbi ſit in homine originale peccatum & in quo rerum genere collocetur.

EX dictis facilè perſpici poteſt, in quo rerum genere, hoc Originale peccatum collocari debeat & vbi in homine ſedem ſuam habeat. Sicut enim ipſa Chriſtiana iuſtitia, qua in Chriſto iuſtificamur, non eſt peculiaris ſeu ſpecialis contra alias diſtincta virtus, ſed ex ea in omnibus animæ viribus exoriuntur, eſtq; recta & Diuina quædam hominis diſpoſitio, quæ ſedem in eſſentia & natura hominis recipit: ſic Originale malum, quadam ratione generale peccatum eſt, velut radix & caput omnium peccatorum, praua videlicet & inordinata hominis illa affectio, qua in ipſa ſua natura ſic diſpoſitus eſt, vt non ad Deum ſed ad creaturas ſit impiè inclinatus, quę propriè in ipſa quoque

que natura & hominis eſſentia locum ſuum habet: vnde promptũ eſt, vt omnes vires, quę naturam ſequuntur, non in Deum, ſed in ſua quęq; deſideria & placita ferantur. Hinc in intellectu ſeu mente infidelitas: in volunta-te & arbitrio ſuperbia & amor ſui; in appeti-tu ſenſibili laſciuia & intemperantia; vt re-ctiſsimè ab Ambroſio propter originale pec-catum homo dictus ſit volutabrum libidinũ & diuerſorium vitiorum; quæ animi diſpo-ſitio propriè opponitur gratiæ, quam ſcholę gratum facientem nominant, qua per Baptiſ-mum ab hoc peccato mundamur & gratifica-mur in dilecto filio Dei, qui dedit ſemetipsũ in redemptionem pro nobis. Vnde etiam cõ-ſequens eſſe intelligimus, quod ſicut ipſa iuſtitia ſeu gratia gratum faciens, in prima, quæ eſt apud philoſophos, qualitatis ſpecie, rectè collocatur, velut bonus & perplacens animi habitus, quo rectè (vt oportet) homo diſponitur; ſic in eodem genere inter vitio-ſos & prauos habitus collocandum ſit pecca-tum originale, velut corruptus naturæ habi-tus, quo non tunc quidem ligata in puero ra-tione malum agitur, ſed promptum eſt vt ea-dem ſoluta agatur. Ipſe eſt enim habitus, quo aliquid agitur cum tempus eſt. Et vitium eſt, ait Auguſtinus, qualitas ſecundum quam ma-lus eſt animus, etiam quando nihil agit, quod ſanè Deus etiam in eo qui nihil agit reſpicit, eiuſque rationem habet. Porrò ne longius, quam fortè par eſt, videamur à celebriorum Doctorum ſententia recedere, quorum non-

De perfe-ctione iu-ſtitiæ.

Anſelmus de cõceptu virg. & originali. peccat. ca. 26.

D. Bonauẽtura ex Auguſtino.

nulli dicunt Originale peccatum eſſe nuditatem ſeu defectum iuſtitiæ, cum quo ex Adam homo naſcitur: alij, concupiſcentiam quæ in anima paruuli dominatur: notabit eruditus lector ſenſum eodẽ recurrere. Quãdo enim D. Anſelmus in priuatione peccatũ iſtud conſtituit, eam non nudam & ſimplicẽ iuſtitiæ abſentiam intelligit, ſed ſuæ inhærens communi, quam habet ex Auguſtino, cõtemplatione, qua peccatum & malum formaliter in priuatione boni conſtituit: talem intelligit iuſtitiæ permutationem, quæ adeſt & inuoluitur inordinatę ad creaturas affectioni. Omnis enim erga creaturas affectio, à qua vera iuſtitia abeſt, ſiue quæ ſine debito iuſtitiæ ordine in creaturas tendit, propter hanc iuſtitiæ abſentiã mala eſt; q̃ quia vidit contrahi à paruulis manifeſtè, tradit peccatũ originale eſſe iniuſtitiam. Omne peccatum, ait, eſt iniuſtitia, & originale peccatum eſt abſolutè peccatum, quare originale peccatũ omne iniuſtitiam dubitari non poteſt. Quando igitur priuationem ſeu nuditatem iuſtitiæ nominat, formalem exprimit rationem, vnde hominis in creaturas affectio mala & peruerſa eſt. Qui verò dominantem concupiſcentiam ponunt, ij per concupiſcentiam generatim intelligunt inordinatam virium animæ ad bonum commutabile conuerſionem: quam dum dicunt inordinatam & dominantem, iam ipſum iuſtitiæ defectum includunt. Ob id enim inordinata eſt: quia ſine recto iuſtitiæ ordine ab incommutabili bono

Anſel. lib. ſupr. dicto, cap. 3.

Aug. tract. 98. in Ioannem.

bono ad commutabile deficit. Rectiſsimè igitur hæc ipſa concordans D. Thomas ſcholaſticè & eruditè declarat Formale peccati originalis poſitum eſſe in priuatione iuſtitiæ, Materiale verò in concupiſcentia, quod dictum hanc intelligentiam recipit, peccatum enim ſeu vitium non eſt nuda iuſtitiæ priuatio, neque ſimplex aut indifferens actus vel habitus, ſed actus vel habitus inordinatus; Materiale igitur vocant actum vel qualitatem ipſam, quæ peccatum vel vitium denominatur, & hæc eſt in originali malo concupiſcentia, Formale verò rationem illam intelligunt, vnde actus vel qualitas vitioſa vel mala reputetur, & hæc eſt in omnibus peccatis & culpis debitæ iuſtitiæ & rectitudinis abſentia. Vt igitur ſummatim concludamus, vitioſus ille defectus, quo aliter, quam rationali naturæ conuenit, homo diſpoſitus naſcitur, auerſus nimirum à ſummo Deo creatore ſuo, & inordinatè ad ſe ipſum & alias creaturas conuerſus, ipſum eſt peccatum originale, in quo homo concipitur, ipſe vetus homo & vetuſtas qua naſcitur. Qui autem in ſolo defectu peccatum originis ſtatuunt, viderint an non in Pelagij ſententiam incidant, quem reprehendit Auguſtinus, quia dixit, ſicut ſine virtute, ita nos ſine vitio procreari.

1.2 q. 82. art. 3.

Auguſt. de peccat. orig lib. 2. cap. 41.

CAPVT SEXTVM.

Quomodo vitium originis ſit propriè peccatum.

CAeterum dicet aliquis, facile quis conceſſerit hominem cum vitio aliquo concipi quo contrà, quam naturæ ſuæ conuenit, diſpoſitus naſcitur; verum quomodo hoc vitium propriè peccatum dicatur, non ſic apparet: peccatum enim propriè inordinatum actum ſignificat, quo quis à lege & recta regula in opere ſuo declinat, dictum videlicet, vel factum, vel conceptum contra legem Dei æternam; vel iuxta Ambroſium, Cœleſtium inobedientiam mandatorum ac legis diuinæ præuaricationem. Lex autem & mandata de actibus, qui in hominis ſunt poteſtate, feruntur, vnde peccatum neceſſe eſt eſſe voluntarium, qua ſola ratione, apud omnes, qui ſanæ mentis ſunt, vituperabile & culpabile iudicatur. Quibus reſpondendo dicimus: peccatum non ſolũ propriè actum dici, quo quis nunc deliquit, ſed etiam permanentem in homine malitiam quã loco & tẽpore exercet, quomodo peccatũ puerorũ Heli grande nimis coram Domino fuiſſe dicitur, & Sodomitæ homines peſsimi & peccatores coram domino; non quod ſemper actu peccarent, ſed quoniam interna & perſeuerante malitia praui erant, & potentes in iniquitate, quam loco & tempore frequẽter exercebant. more enim Hebraico & propriè dicun-

Aug. cont. Fauſtum li. 22. c. 27
Ambro. in lib. de Paradiſ. c. 8.
Geneſ. 13.
1. Reg. 2.

dicuntur operari iniquitatem, nõ ſolum qui nunc actualiter operantur, ſed quibus animus & habitus ineſt operandi. Et quando Apoſtolus docet, peccatum fieri ſupra modum peccans per mandatum, non opus peccati intelligit, ſed inhęrentem malitiam, quæ legis occaſione mirabiliter carnalem hominem in peccato agitat, & ad pręcipitandum efficax eſt, quod peccatum dicitur, non quo propriè peccare & actu delinquere dicimur, ſed quo peccatores & impij cenſemur. Ad hunc ergo modum peccatum originis propriè peccatum dicitur, quoniam vitium eſt quo animus prauus eſt, etiam quando nihil agit, ſed loco & tempore malitiam exercebit, vnde per inobedientiam vnius hominis, non propriè peccantes, ſed peccatores apud Paulum conſtituti dicuntur multi. Quod ergo ex Auguſtino & Ambroſio producitur, manifeſtũ eſt in actiuis & proprijs cuiuſque peccatis locum habere, & eas deſcriptiones de actualibus peccatis, non originali datas eſſe. Supra verò, communem peccati definitionem ex Auguſtino poſuimus, vt ſit quędam inordinatio atq; peruerſitas, id eſt, à præſtantiori Conditore auerſio, & ad inferiora conuerſio, qua anima rationalis ad ea quæ infra illã ſunt condita, conditore ſuo deſerto, habet inclinatũ affectum: quæ ſanè generalis peccati deſcriptio propriè etiam originali conuenit. neque enim omne cuiuſq; generis peccatum contra legem aliquã eſſe oportet, quę propriè de actibus voluntarijs diſponit: ſed

Ad Rom. 7.

Aug. li. 1. ad Simplician. q. 2.

 ſufficit

CAPVT SEXTVM.

Quomodo vitium originis ſit propriè peccatum.

CAeterum dicet aliquis, facile quis conceſſerit hominem cum vitio aliquo concipi quo contrà, quam naturæ ſuæ conuenit, diſpoſitus naſcitur; verum quomodo hoc vitium propriè peccatum dicatur, non ſic apparet: peccatum enim propriè inordinatum actum ſignificat, quo quis à lege & recta regula in opere ſuo declinat, dictum videlicet, vel factum, vel conceptum contra legem Dei æternam; vel iuxta Ambroſium, Cœleſtium inobedientiam mandatorum ac legis diuinæ præuaricationem. Lex autem & mandata de actibus, qui in hominis ſunt poteſtate, feruntur, vnde peccatum neceſſe eſt eſſe voluntarium, qua ſola ratione, apud omnes, qui ſanæ mentis ſunt, vituperabile & culpabile iudicatur. Quibus reſpondendo dicimus: peccatum non ſolū propriè actum dici, quo quis nunc deliquit, ſed etiam permanentem in homine malitiam quā loco & tēpore exercet, quomodo peccatū puerorū Heli grande nimis coram Domino fuiſſe dicitur, & Sodomitæ homines peſsimi & peccatores coram domino; non quod ſemper actu peccarent, ſed quoniam interna & perſeuerante malitia praui erant, & potentes in iniquitate, quam loco & tempore frequēter exercebant. more enim Hebraico & propriè dicun-

Aug. cont. Fauſtum li. 22. c. 27.
Ambro. in lib. de Paradiſ. c. 8.
Geneſ. 13.
1. Reg. 2.

dicuntur operari iniquitatem, nó ſolum qui nunc actualiter operantur, ſed quibus animus & habitus ineſt operandi. Et quando Apoſtolus docet, peccatum fieri ſupra modum peccans per mandatum, non opus peccati intelligit, ſed inhærentem malitiam, quæ legis occaſione mirabiliter carnalem hominem in peccato agitat, & ad præcipitandum efficax eſt, quod peccatum dicitur, non quo propriè peccare & actu delinquere dicimur, ſed quo peccatores & impij cenſemur. Ad hunc ergo modum peccatum originis propriè peccatum dicitur, quoniam vitium eſt quo animus prauus eſt, etiam quando nihil agit, ſed loco & tempore malitiam exercebit, vnde per inobedientiam vnius hominis, non propriè peccantes, ſed peccatores apud Paulum conſtituti dicuntur multi. Quod ergo ex Auguſtino & Ambroſio producitur, manifeſtú eſt in actiuis & proprijs cuiuſque peccatis locum habere, & eas deſcriptiones de actualibus peccatis, non originali datas eſſe. Supra verò, communem peccati definitionem ex Auguſtino poſuimus, vt ſit quędam inordinatio atq; peruerſitas, id eſt, à præſtantiori Conditore auerſio, & ad inferiora conuerſio, qua anima rationalis ad ea quæ infra illã ſunt condita, conditore ſuo deſerto, habet inclinatũ affectum: quæ ſanè generalis peccati deſcriptio propriè etiam originali conuenit. neque enim omne cuiuſq; generis peccatum contra legem aliquã eſſe oportet, quę propriè de actibus voluntarijs diſponit: ſed

Ad Rom. 7.

Aug. li. 1. ad Simplician. q. 2.

Apocal.21 ſufficit declinationem eſſe à regula, quæ de
Matth.22 fine hominis ſtatuit & diſponit. Quia enim
iuſtè cautum eſt apud Deum, vt nihil coinquinatúm
intret in gloriam ſuam, & qui veſtem nõ habet nuptialem, in tenebras proijciatur
exteriores, ſanè qui cum malitia & interna impietate naſcuntur, regulæ ſuæ non
ſunt conformes, neq; congruunt, vtpote, qui aliter affecti & diſpoſiti ſunt, quã finis eorũ
ad quem creati ſunt exgit: nõ quod præcepto aliquo mandetur, ne hanc iniquitatem habeant,
(quod eis eſt impoſsibile) ſed quoniã iuſtè ſtatutum eſt, vt macula regnũ illud non
ingrediatur. Eſt ergo peccatum originis declinatio non quidem à lege & præcepto quo
prohibeatur, ſed ab ordine finis, & à regula cui reſpondere & conformes eſſe debent, qui
regnum cœlorum ingredientur: Qualis terrenus, tales & terreni, ait Apoſtolus, & qualis
cœleſtis, tales & cœleſtes: Igitur ſicuti portauimus imaginem terreni, portemus & ima-
1. Cor. 15. ginem cœleſtis. Hæc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnũ Dei poſsidere non
poſſunt, id eſt, qui carnales ſunt, & peccato ſubiecti; ſicut qui originali impietate Chriſto
difformes & Adamo conformes naſcuntur. Deinde peccatum originis eſt etiam virtualis
quædam & habitualis à lege Dei declinatio, & cœleſtis mãdati inobedientia; nõ quod
Alia definitio. lege prohibeatur, ſed quoniam per ipſum ſic homo diſpoſitus naſcitur, vt loco & tempore,
à lege & præceptis Dei ſui declinaturus ſit, & ambulaturus in deſiderijs animæ ſuæ,

concepto videlicet malo ſemine, vnde legem Dei ſuo tempore contemnat, à qua nunc habitualiter ſeu virtualiter auerſus eſt, id quod ad originalis & habitualis peccati rationem abundè ſufficit. Quod verò ad quæſtionem de voluntario pertinet, malè quidem ſonabit, ſi quis dixerit peccatum originale paruulis eſſe voluntarium, qui nullum habuerunt vnquam voluntatis vſum. Nam ſpōtaneum ſeu voluntarium id propriè dicitur, cuius principium, inquit Ariſtoteles, eſt in eo qui agit particularia cognoſcente in quibus actio conſiſtit. Cum igitur peccatum originis non ex paruuli, ſed mala primi parentis voluntate proueniat (vnde etiam non actiuũ ſed originale peccatum eſt) non rectè in paruulo voluntariũ dicitur. Cæterũ quia voluntatem ipſam in paruulo perperam afficit, & coram Deo auerſam tenet, tamquam vitium naturæ quidem inhærens, ſed mentem & voluntatem omnesq; vires rationales inficiens & ſic in homine habitãs, vt ſeminaliter & virtualiter ei placeat, vtpote qui totus carnalis & ad concupiſcentias mente & voluntate inclinatus naſcitur; iſtud ſanè ad rationem peccati, quod non actum ſed originale eſt, ſufficit. Voluntarium enim, vt propriè ſumitur, ad actualia peccata, non ad originale requiritur, pro quo ſufficit, quod ex praua originis, ſeu primi principij voluntate homo malus & peruerſus naſcitur. Sic enim rectè oſtenditur ſine voluntate nullum eſſe peccatum, ſiue in opere

Infantibus peccat. orig. an ſit voluntarium.

Voluntarium quid ſit.

Aug. li. 1. retract. cap. 15.

Ibid. opere ſiue in origine, quoniam paruuli ob id tenentur rei, quia ex eius origine tenentur, qui voluntate peccauit: Omnis enim homo terrenus quid eſt, inquit Auguſt. origine, niſi Adam? porrò autem Adam habebat vtiq; voluntatem, qua voluntate cum peccaſſet, peccatum per eum intrauit in mundum. Nam ſuo peccato voluntarie Deum deſerens & ſecundum ſeipſum viuere volens, omnes qui in ipſo velut ſemine & radice latebant, ſimili vitio infecit, ſic rerum ordine conſtituto, vt quicunq; ex eo naſcerentur, ſimili malitia velut ex incorrupta & infecta radice corrupti & abominabiles prodirent. Non enim vt ſingularis perſona (ſicut rectè id annotat D. Bonauentura) Adam peccauit, ſed tanquam principium & caput generis noſtri, quomodo legem à domino acceperat; ſic vt in primo homine velut genere noſtro peccãte, ipſa (quæ in eo ſeminaliter latebat) humana natura, iuxta D. Auguſtinum, peccaſſe cenſeri debeat. Habes itaq; hic duo diligenter annotanda: Alterum, quod Adam peccante, totum, quod in eo fuit humanum genus, velut communiter peccauit, non ſolum (vt nõnulli minus plenè exponunt) quoniam ex ſipſo peccatum contrahimus, ſed etiam quoniam ipſo tanquam genere noſtro peccãte, omnes (ſicut antea dictum eſt) in eo præuaricati ſumus, vt hoc ipſum, quod ille peccatũ admiſit, noſtrum ſit & reputetur: Alterum, quod internam ex ipſius velut communi peccato malitiam paruuli contrahũt, qui Adam

Adam nõ peccauit vt ſingularis homo.

Auguſt. de vera religione c. 22

Peccante Adamo peccauim⁹ omnes.

Adamo corrupto tota noſtra natura eſt corrupta.

velut

velut ſemine & radice per malitiam corrupto, omnes in eo iam ſeminaliter & originaliter corrupti & abominabiles facti ſunt: Quemadmodũ ergo interna rectitudinis diſpoſitio, qua paruuli per Baptiſmũ in Chriſto iuſtificantur, non quouis modo conſiderata; eſt Chriſtiana iuſtitia, propter quam in regnum cœlorum aſſumuntur, ſed vt (in Concilio Trident. expoſitum eſt) quatenus eſt rectitudo membrorum & filiorum Chriſti, in quo renati ſunt: ſic hæc iniquitas & inordinata hominis ex Adam concepti diſpoſitio, non quouis modo conſiderata peccatum eſt originale, ſed vt eſt peruerſitas & praua diſpoſitio membrorum & filiorum Adę: in ipſo legem Dei praeuaricati, facti ſunt noxij praui & abominabiles, ſic affecti vt loco & tempore, quando ratio in eis ſoluta & libera fuerit; impiè, & non ſecundum Deum victuri ſint: Quemadmodum enim corruente homine, omnia eius membra cadunt, & ſucciſo trunco, omnes arboris rami in terram dilabũtur: ſic per malitiam ſuam corruente Adam, omnes in eo lapſi ſumus, eadem malitia per ipſum infecti, qua ipſe legem Dei tranſgrediẽs praue affectus fuit: Seminatum eſt enim originale peccatum, vt in illo eſſet, & in omnes contagione tranſiret. Proinde quando de voluntario fit quæſtio; dicendum eſt cum ſanctis, quòd ſufficiat genitale peccatum hactenus voluntarium eſſe, quoniam communi generis & capitis, cuius omnes partes & mẽbra ſumus; voluntate factum eſt nobis quodammo-

Simile.

Auguſt. de nup. & concupiſ. cap. 28.

Peccat. orig. quatenus eſt voluntariũ.

dammodo hęreditarium; & voluntatem perperam afficit, vt etiam in paruulis veriſsimũ ſit, quod dicit Auguſtinus, ſemen peſsimum naſci impia voluntate, & moribus execrabilibus pullulare: Vbi pulchra exoritur quæſtio: An poſterior hac ratio, quia paruuli potentia voluntatis impiè diſpoſita naſcuntur; ſola ſine vllo reſpectu peccantis Adæ, ad rationem peccati non ſufficiat. Ad quam dicimus D. Paulum & B. Auguſtinum ſemper Adamum reſpicere, & totam damnationem; in ipſius peccatum referre. Iudicium, inquit Apoſtolus, ex vno in condemnationem; & vnius delicto mors regnauit per vnum, & ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiá in omnes homines in iuſtificationem vitæ: Et ad Corinthios: per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabũtur. Et Auguſtinus: Traxit, inquit, paruulus reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit, admiſſum eſt: Quæ fruſtra dicerentur, ſi quod infantibus inhæret, ſine vllo reſpectu ad Adam, veram & plenam peccati rationem haberet. Licet enim propter inhærentem malitiam, homo meritò prauus & impurus (vndecunq; deſcendat ea prauitas) ęſtimari poſſit; non tamen ob hoc ſolum poſsit pœna aliqua dignus æſtimari, niſi ex aliqua voluntate, quæ recta quadam ratione omnibus communis fuit, malũ hoc hominib. innaſci pone-

Auguſt. li. 1. retract. cap. 13. & contra aduerſ. & prox. li. 1. cap. 22.

Ad Rom. cap. 5.

Et ad Corint. 15.

Auguſtin. epiſt. 23. et 105. 106. de ciuitat. Dei lib. 13 cap. 14. De peccat. meritis li. 1. cap. 10.

poneretur. Hæc ergo iuſtiſsimo Deo viſa eſt iuſta damnationis ratio, & hæc vera peccati in paruulis originalis natura, quoniam in Adam Dei legem præuaricando, facti ſunt impij, interno concupiſcentiæ & prauæ ignorantię vitio ſic affecti, vt à Creatore ſuo auerſi, ad creaturas prauè conuerſi, atque ita toti diſtorti & iniuſti naſcantur: ſicut etiam de iuſtitia nunc dictum eſt, quod ſola virium in homine recta diſpoſitio ad capeſcendum regnum cœlorum nō ſufficiat, ſed quatenus eſt membrorum & filiorum Chriſti, qui vitã accipiunt in nomine ipſius.

CAPVT VII.

Quæ ſint cauſæ peccati Originalis.

PER hæc nunc vtcũq; poſita ſint fundamẽta, quibus omnes originalis peccati cauſas, eruditus Lector facilè diſtinguere queat. ſicut enim in alijs peccatis cauſa efficiens inuenitur voluntas quæ cum defectu ordinis operatur: ſic effectrix iſtius originalis peccati cauſa, voluntas fuit Adæ in ſe naturam peccato ſuo vitiantis, quo facta eſt, inquit Anſelmus, neceſsitas, vt qui per ipſum naſcerentur, toti carnales & pleni vetuſtate conciperentur: quemadmodum docet Apoſtolus, quod per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, De quo eleganter Auguſtinus contra Iulianum, qui dixerat: non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit; non

Cauſa efficiens.
Anſel. de concept. virgina. cap. 7.
Ad Rõ. 5.
Auguſt. de nup. & concupiſ. li. 2. ca. 28.

non peccat iſte qui condidit, per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum? Quid quęrit, inquit, latentem rimam, cum habeat apertiſsimā ianuam? Per vnum hominem ait Apoſtolus, per vnius delictum ait Apoſtolus, per inobedientiam vnius hominis ait Apoſtolus: Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius? Quærit fortè vtrum & originale peccatum ex voluntate ſit? Reſpondeo, prorſus & originale peccatum; quia & hoc ex voluntate primi hominis ſeminatum eſt, vt in illo eſſet, & in omnes tranſiret. Et capite ſequenti: malum non eſſet in paruulis, niſi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiata, peccatum originale traheretur: Adam enim peccando gratiam originalē quę omnes animę vires recto ordine continebat, & in ipſo naturæ data erat, abiecit; & veſtem illam innocentiæ exuit, vnde natura in ipſo vitiata eſt facta tota cōcupiſcibilis, & ad peccatum inclinata, talis etiam quæ non niſi cū libidine & concupiſcentia ſemen propagare poſſet: vnde, ſicut antea dictum eſt, factū eſt, vt qui ex ipſo generantur, omnes carnales & ſubiecti concupiſcentiæ naſcantur: Quod enim natū eſt ex carne, caro eſt, ait Dominus.

An ſit aliqua meritoria originalis mali. Cæterum alia exiſtit hic quæſtio: An huius originalis mali etiam cauſa ſit aliqua meritoria, an tantum efficiens? Nam de merito ſic quoſdam aliquando diſſerentes audiui, vt originalis peccati meritum in Adam negarēt. Cui tamen contrarium eſt, quod tam ſępe inculcāt

culcāt

culcat Apoſtolus: Si vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et paulo poſt: Iudicium ex vno in cōdemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnū Ieſum Chriſtum. Igitur ſicuti per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Quibus Paulus manifeſtè docet, quod merito peccati Adę morimur, iudicamur, cōdemnamur, ſicut merito Chriſti iuſtificamur & viuimus: vbi mortem & condemnationem cum opponit iuſtificationi, palam eſt ab ipſo peccatum intelligi, propter quod mortis & condemnationis rei fuimus. Et ad Corinthios ſimiliter Chriſtum Dominum cum Adam conferens: Per hominem, inquit, mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, proculdubio meritum mortis in Adam prædicat, cuius non poſſet rectè meritum in ipſo conſtitui, niſi homo merito ex ipſo peccatum contraheret, quo dignè cibus mortis eſſe poſſet. Dominus etiam de communi generis humani ſupplicio in Adam & Euam ſententiam ferens, in eorū pręuaricationē totius pœnę meritū retulit: Quia, inquit Adæ, audiſti vocem vxoris &

Ad Rom. 5

Bernard. ad milites templi cap. 11.

1. Cor. 15.

C come-

comediſti de ligno ex quo pręceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Et mox: Puluis es & in puluerem reuerteris; quemadmodum ante mortem fuerat illi comminatus, quacunque die ex ea comederet. Quo circa B. Auguſtinus ferè ſemper ad magnitudinem grandis illius peccati, quod à primis parentibus, contra tam facile præceptum tam indignè commiſſum eſt, refert naturæ deprauationem, mortem & condemnationem. Ab illis, inquit, admiſſum eſt tā grande peccatum, vt in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in poſteros obligationē peccati & mortis neceſsitate tranſmiſſa. Et rurſus: Hinc eſt vniuerſa generis humani maſſa dānata, quoniā qui hoc primitùs admiſit, cū ea quę in illo fuerat radicata ſua ſtirpe punitus eſt. Quibus ſimilia ſunt, quæ li. 1. retractationum habet ca. 15. vbi frequēter repetit paruulos teneri reos, quia ex eius origine tenentur qui non fecit quod facere potuit. Diuinum, ſcilicet, ſeruare mandatum. Et Chryſoſtomus; Conſidera, ait, quanto tempore propter id vnum peccatum in morte humanum genus permanet. Eodem tendit, quod tam grauiter contra Iulianum tradit Auguſtinus, Concupiſcentiam, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, peccatum eſſe, pœnam & cauſam peccati. Merito igitur peccati Adæ factum eſt, vt diuina æquitas gratiam originalem naturæ non redderet, eaque deſtitutam naturam carnaliter & libidinosè propagari permitteret, vnde per contagionem pecca-

Geneſ. 2. & 3.

Grauitas peccati Adæ.

Auguſt. de ciu. Dei lib. 13. cap. 14. & lib. 14. cap. 1. & 12. lib. 21. cap. 12.

Chryſoſt. hom. 9. in 1. ad Cor.

Aug. lib 5. cōt. Iulia. cap. 3.

peccatum originale contrahi diximus. Ne tamen nos hic pro alio qui ad nos non pertinet, puniri ſine proprio reatu cogitemus; memoria repetendum eſt, quod iam proximè diximus: Peccatum Adæ nobis omnibus commune fuiſſe, qui in ipſo & cum illo omnes vnus eramus. Omnis enim homo terrenus origine Adam eſt. Meritò ergo cum peccato naſcimur, quoniam nobis in Adam peccantibus, merito illius peccati gratia naturę ſubtracta eſt, ſine qua quiſquis carnaliter naſcitur, neceſſe eſt eum latenti vitio impium & iniuſtum naſci. Habes igitur peccati originalis principium & originem in ipſo Adam, cuius ſcelere & impietate factum eſt; vt omnes qui ex ipſo procedimus, cum peccato naſcamur, quod merito illius peccati iuſtus Deus permittit & non impedit, & vt non impediat iuſtitia propter peccatum poſtulat. Quod ſi etiam cauſam inſtrumentalē, id eſt, medium quo peccatum in poſteros traducitur, deſideres, nō obſcurè diuin' propheta Iob eam inſinuat, quando dicit, quis poteſt facere mūdum de immundo conceptū ſemine, niſi tu qui ſolus es? Nam virtute ſeminis, quod cum libidine fuſum eſt, corpus animæ aptatur, & anima corpori cōcreta ſine gratia carni iungitur: cuius etiā virtute homo ipſe, qui ſubſtantia eſt ex anima & corpore cōpoſita, naſcitur & perficitur. Licet enim anima, propter ſuam nobilitatem & immortalitatem, non poſsit ex ipſo naſci ſemine: eius tamen conditionis eſt, vt nō niſi per ſeminis diſpo-

De cauſâ inſtrumētali.

Iob.14.

Animá virtute ſeminis corpori iungitur.

Caietan.in

diſpoſitionem in corpore ſuum eſſe habere poſsit, & corpori non niſi virtute ſeminis vniri (cum enim homo neque ſola ſit anima neque caro, ſed perſona ex anima & carne conſiſtens: licet non ex ſemine anima, homo tamē ipſe ex ſemine naſcitur, ſic rebus ab initio velut lege naturæ poſitis, vt propter benedictionem qua Deus in primis parentibus naturæ benedixit, diuinitus anima corpori nunc pręparato concrearetur, non minus quàm ſi ex ipſo ſemine anima prodiret, ſiquidem ex ipſa benedictione, quā Deus propter peccatum ſua bonitate non aufert, lege quādam diuinitùs poſita accidit, vt ad ſeminis diſpoſitionem anima corpori diuinitùs adſit, non tardiùs aut aliter, quam aliæ corporum formæ, quæ ex natura procedunt. Non enim anima foris antea creata, poſtea in corpus funditur, ſed ad diſpoſitionem ſeminis diuinitùs corpori adeſt, vt virtute ſeminis cum corpore in formam & naturam humanam vniatur) vnde per virtutem ſeminis, vt rectiſsimè à D. Thoma traditum eſt, traducitur humana natura à parente in prolem, & ſimul cum natura naturæ infectio: & ex hoc fit iſte qui naſcitur, conſors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo per libidinoſam eius generationem ſortiatur. Ex quibus vtcumq; in obſcuriſsima hac quęſtione, vbi tutiùs fide quàm cognitione & ſcientia ambulatur, videre poteſt exercitatus lector, quo pacto homo ipſe, qui anima conſtat & corpore, totus in Adam fuerit, atque in eo peccaſſe

fine 1. partis de traductione animæ qu. 118. art. 2.

D. Tho. 1. Adæ de peccat. original.

caſſe dici queat, quoniam anima inſtrumentaliter per ipſum ex prima Dei benedixione diuinitus corpori adeſt, & ſuperna ac diuina virtute ſemini per primam conſtitutionem adhærente vel aſsiſtente ad ſeminis commixtionem in corpore ſimul cum corpore formatur, quemadmodum in ſacramentis character & gratia non propria vel naturali ſacramentorum virtute, ſed ex diuina ordinatione per ſacramenta ſequuntur, vbi ſi propter peccatum ſuſcipientis character ad damnationem, imprimitur, character quidem opus Dei eſt, ſicut hic corpus & anima; ſed damnatio per peccatum accipiẽtis naſcitur: quemadmodum per concupiſcentiam, quæ ex peccato generationis operi adhæret non ipſa hominis natura, ſed naturæ vitium, quæ carnalitas quędam eſt, ſine freno iuſtitię naſcitur, quibus adde, quod vti nunc dictum eſt, per virtutem ſeminis corpori iungitur, & homo ex vtroque compoſitus eiuſdem operatione concipitur & naſcitur. Lubet nunc paucis etiam Formalem cauſam originalis peccati ſubijcere, id eſt, rationem vnde puer qui naſcitur verè & Formaliter prauus & iniuſtus denominari queat. Hæc itaque eſt iniuſtitia, non qua Adam, ſed qua paruulus quiſque ex Adam verè malus & iniuſtus eſt, antequam per Baptiſmum in Chriſto regeneratur. de quo ſupra ſatis dictum eſſe exiſtimo.

Simile.

De cauſa Formali.

CAPVT VIII.

Quòd peccatum originis vnum ſit, & par in omnibus: Quæ materialis & finalis cauſa peccati originalis: Et quæ pœna eos maneat, qui cum peccato originis hinc emigrant.

HIS quæ proximo Capite diximus ſubijciendũ occurrit: ꝙ peccatum originis, licet vnicuiq; ex ſua natiuitate proprium inſit, vnicum tamen in ſingulis & æquale, quod ad peccati rationem attinet, ſtatui debeat. Hoc enim manifeſtè tradit Apoſt. quando diſcrimen illud inter Adã & Chriſtũ proſequitur, quòd ex Adam per vnum peccatum damnamur, per Chriſtum verò à multis liberamur: Et non, ait, ſicut per vnum peccatum ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Quamuis enim vnus magis ad hoc quam ad aliud vitij genus procliuus naſcitur, hoc tamen ad propriam peccati naturam non pertinet, cum non procliuitas ipſa peccatum ſit, ſed hoc, quod homo à Deo auerſus, ad ſe ipſum & creaturas habitu male conuerſus eſt, vt non ſecundum Deum, ſed ſecundùm ſe ipſum ex Adam viuere diſpoſitus ſit: quo vitio fieri id mirabili modo poteſt, vt ad quod ex innata infirmitate filij Adã ſunt proniores, obſtinatiori ſuperbia & ſtudio inanis gloriæ comprimãt, & ad quod minus ſunt procliues, frequentius exerceãt; pro quo facit & educatio, cõſuetudo inſtitutio, & exempla. Omnes igitur in hoc ſibi ſimiles

miles naſcũtur, in quo propria peccati originalis ratio poſita eſt, in hoc videlicet, quòd culpa communis parentis à Deo auerſi, ad ſe ipſos impiè conuerſi naſcuntur. Propter hęc de alijs Adæ vel aliorum parentum peccatis nihil debemus eſſe ſolliciti: quæ ſicut perſonalia & ipſorum propria fuerunt, ſic ad poſteros nõ pertinent, de quibus Ezechiel: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius nõ portabit iniquitatem patris, pater non portabit iniquitatatem filij. Manifeſtè enim pronunciat Apoſt. quod vni tantum peccato ſubiecti naſcamur, primo videlicet Adæ peccato: Cætera verò, iuxta diuinum Apoſtolũ, ad nos non pertinet. Et licet D. Auguſtinus & ter ſanctus Leo, hic minus definitè locuti ſunt: poſteriores tamen ſententia Pauli & rei veritatę benè perpenſa, nullum de hoc dubium eſſe, videre potuerunt: Tum quia Paulus clarè ſic aſſerit; tum quia primum Adæ peccatum ſolum eiuſmodi fuit, quo natura corrumpi & infici poſſet, qui vt principium & caput generis noſtri ſolus legem eiuſmodi acceperat, quæ naturæ humanæ in ipſo data fuit, quam dum violauit, non ſola eius perſona, ſed ipſum genus humanum in ipſo pręuaricatum cenſetur; quo factum eſt, vt omnes & ſoli qui in ipſo erant, propter vnum illud præuaricationis delictum culpabiliter iniuſti naſcerentur. Interim tamen verũ eſſe non dubito, quod D. Proſpér ſcriptum reliquit, ſicut quidam parentes aggrauant originale peccatum, ita quidam releuant,

Ezech. 18.

Auguſt. in Enchirid. cap. 46.

Leo epiſt. 86.

D. Proſper ſent. 306.

Parentes quidā pec cat. origin. aggrauant quidam re leuāt, nulli tollunt.

ſed nullus tollit, niſi ille de quo dictum eſt; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Aggrauauit enim vel releuauit, non quia vnū in altero grauius eſt, ſed quia ſuis ſceleribus parentes aliquando in cauſa ſunt & merentur, vt dominus non miſericorditer, ſed iuſtè cum paruulis, ſecundum originalis peccati reatum, agat. Alij verò ſua pietate hoc impetrant, vt non pro merito ſed miſericorditer cum poſteris agat. Fit etiam vt corporales huius temporis miſeriæ, propter delicta parentum, inſcrutabili iudicio Dei (qui potens eſt poſt mortem, quod homo nō poteſt, liberare vel perdere) augeantur in filijs: qua ſententia ab Auguſtino & Leone locis ſupra citatis veraciter dictum arbitror: parentum peccatis paruulos obligari. Sic enim Dominus aliquando memor iniquitatum parentum, in filios in 3. & 4. generationem viſitat, quia temporalibus pęnis eos corrigit, & ſubinde iuſta & merita ſupplicia infert, quæ aliàs parentum iniquitate non obſtante, non eſſet illaturus. Similiter gratias & miſericordiæ ſuæ beneficia iuſtè eis denegat, quæ aliàs daturus erat. Quamobrem ſanctè cum Tobia precamur: Ne reminiſcaris (inquit) delicta mea vel parentum meorum: Ita tamen, vt hæc inſcrutabilibus Dei iudicijs reſeruata ſint, & non vna eademque lege ſecūdum merita parentum diuinitus adminiſtrētur. Hic iam non diſsimulandum occurrit dubium: Si vnum eſt originale peccatum, quomodo propheta dicit: Ecce in iniquitatibus conce-

Culpa parentū temporales miſeriæ augentur.

Exod. 20. et Auguſt. quæſt. 8. in Ioſue.

Tob. 3.

ptus

ptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea? nam manifeſtè plura in ſe peccata videtur agnoſcere. Ad quod licet congruè dici queat, ſcripturis non infrequentem eſſe enallagen, qua nunc plurale pro ſingulari, nunc ſingulare pro plurali vſurpat: Hic tamē peculiaris poteſt ratio pluralis numeri dari, quoniam quod in nobis eſt originale, caput & radix eſt multorum peccatorum. Nam ſicut gratia in eſſentia animæ conſtituta, omnes animæ vires ſanctificat & omnium virtutum mater eſt: ſic originale peccatum, vt antea dictum eſt, in hominis natura reſidens omnes eius vires inficit & omnis generis peccati fons & origo eſt. Nam quod ad intellectum attinet, in eo profundiſsima eſt rerum ignorantia, curioſitas, error & infidelitas, ſicut docet Auguſt. in Enchiridio cap. 24. tractatu 44. in Ioannem, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 7. Item lib. 3. de peccato. meritis cap. 9. de infidelitate. In voluntate verò dominatur proprius amor vſq; ad contemptum Dei, quo quemque non ſecundum Deum ſed ſecundum ſe viuere delectat, ſicut proſequitur Auguſtinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 1. 2. 4. 9. & vltimo, lib. 15. cap. 1. & 2. de libero arbitrio libr. 1. cap. 11. & Author libelli de vocatione gentium lib. 1. cap. 2. & 6. Denique in appetitu ſenſibili ſeu parte inferiori regnat concupiſcentia carnis, de quibus Ioannes: omne quod eſt in mundo, ait, eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Deinde ipſum Adæ peccatum

Quomodo peccatum originale ſit vnum.

Intellectus vitia & peccatum orig.

Voluntatis vitium ex orig. pecc.

Appetitus ſenſibilis vitium ex pec. orig.

1. Ioan. 2.

tum,cuius reſpectu vitium originale perfectum culpæ rationem induit,licet vnum fuerit perfectum & conſummatum delictum,in illo tamen vno poſſunt intelligi plura peccata,ſi vnum ipſum in ſua quaſi membra ſingula diuidatur.Nam & ſuperbia eſt illic,quia in ſua homo potius eſſe,quã in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegiũ,quia Deo non credidit: & homicidium, quia ſe pręcipitauit in mortem : & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt:& furtum,quia prohibitus vſurpatus eſt cibus;& auaritia,quia plus quàm ſufficere illi debuit, appetiuit : & ſi quid aliud in hoc vno admiſſo diligenti conſideratione poterit inueniri.Habes igitur cauſas originalis peccati: Efficientem & meritoriam in Adam; Inſtrumentalem in ſemine: Formalem in interna & naturali ex Adam deſcendente malitia: Materialem verò non aliam habere potes, quam ſedem ſubiecti cui inhęret,quã habet,vti diximus,in ipſa natura & eſſentia hominis, vnde cunctas animæ vires inficit. Nonnihil etiam de fine dicendum eſt, quis nimirum futurus ſit eorum finis qui cum originali peccato decedunt,De quo Pelagius dicere ſolet; Quò non eant ſcio, quo eant neſcio: loquens de paruulis qui ſine Baptiſmo moriuntur . Quò non eant ſe ſcire aiebat, quia non ire in regnũ cœlorum ſciebat.Quò verò eant ſe neſcire dicebat; quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos & hic nihil mali commiſiſſe ſentiebat,&

Auguſt. in Enchi. cap. 5. & Leo epiſt. 86.

Vnũ peccatũ Adæ multiplex eſt et variũ diuerſo reſpectu.

Materialis cauſa peccati originis.

Quis finis peccati originalis.

Aug. li. 2. de pecca. orig. c. 21.

De pœna paruulorum ſine baptiſmo morientium.

bat, & originale traxiſſe peccatum non conſentiebat. Quamuis igitur Doctorum variæ ſint hac de re ſententiæ, nulli tamen dubium eſſe poteſt, quin in morte & damnatione luctuoſum agant exilium, qui ſine Baptiſmo cum originali peccato decedunt. Id enim Paulus manifeſtè teſtatur: Inditum, inquiens, ex vno in condemnationem: Et ſi vnius delicto mors regnauit per vnum, &c. Et rurſus: Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &cæt. Pœna igitur & finis originalis peccati mors eſt, & condemnatio: ſiquidem Deus Adæ cōminatus eſt, quocunque die contra Dei præceptum ex ligno comederet, morte morireturː vbi mortem generaliter intelligi docet Auguſtinus, non ſolum corporis, ſed & animæ, & quæ eſt in inferno totius hominis. De qua paruulorum pœna eloquens alibi Auguſtinus: Quis dubitauerit, inquit, paruulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur, in damnatione omnium leuiſsima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamuis definire non poſſum, non tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent, potius expediret. Quamobrem illius ſententiæ duritiem aures Chriſtianæ non ferunt, paruulos in originali malo decedentes igne perpetuo cruciari, quem non niſi proprijs & actiuis ſceleribus, & criminibus ſcripturæ conſtituunt, & vbi rectè ſic infelices affliguntur, vt melius eis eſſet, ſi nun-

Aug. li. 13 de ciuit. Dei c. 12.
Auguſt. libr. 5. cont Iulianum cap. 8.

ſi nunquam nati fuiſſent. Non ſatis tamen peruerſitatem peccati originalis perſpexiſſe videntur, qui in ſola priuatione vitæ æternę ſine ſenſu doloris, pœnam ipſorum conſtituunt. Nam vbi nullus eſt dolor, luctus, aut triſtitia; ibi neq; mors, neque damnatio dici poſſunt eſſe, cuius id ratio poſtulat, vt qui in morte & damnatione verſantur, illi velut miſeri & infœlices agant in tenebris, in luctu, dolore, triſtitia & nonnulla totius hominis afflictione, Id quod hac quoque ratione poterit quis facere probabilius; quoniam peccati, quod hic non tollitur, grauior eſt in futuro ſeculo pœna, quàm in præſenti: ſiquidem hoc tempus miſericordię, illud verò iuſtitiæ eſt, vbi propriè peccatis ſuum ſtipendium reſeruatur. Sed videmus, quam multis ſenſibilibus pœnis & miſerijs etiam paruuli propter originale peccatum obnoxij ſint: multo minus igitur qui nunc à peccato ſuo non liberantur, à ſimilibus miſerijs & pœnis liberi tunc erunt. propterea rectè dictum eſt ab Auguſtino, eos ſecũdæ mortis ſubire ſupplicium, quemadmodum & Gregorius: Qui hic, inquit, ex proprio nihil egerunt, illuc propter reatum culpæ originalis ad tormenta perueniunt; quoniam ſub diuina diſtrictione iuſtum eſt, vt propagatio mortalis velut infructuoſa arbor, & in ramis ſeruet amaritudinem, quam traxit ex radice. Proinde ſupra modum miratus ſum, quoſdam originale peccatum dicere minus eſſe minimo veniali peccato; ſiquidem veniale delictum nequa-

Auctoris ſentẽtia de pœna paruulorum in peccato orig. morientium.

Aug. li. 2. cont. Iulianum ca. 4.

Gregorius lib. 9. moral. ca. 16.

Originalis peccati grauitas.

nequaquam mortem meretur, ſicut de originali rectiſsimum eſt. Quamuis enim peccatũ originale quouis peccato veniali minus ſit voluntarium, ſi ad paruulum referatur, cum illius reſpectu non ſit voluntarium: ſi tamen ad Adam referatur, cuius paruulus ſemen & genus eſt, & ſimul inhærens prauitas in paruulo conſideretur velut omnium peccatorũ radix & ſcaturigo, hac certè ratione peccatum originale grauiſsimum æſtimari debebat.

Tapperum videtur notare.

Bernardus ſerm. in feria 4. penoſa hebdomadæ. & Auguſt. li. 21. de ciuitat. Dei cap. 2.

De Concupiſcentia.

CAPVT IX.

Concupiſcentiam in renatis non eſſe proprij nominis peccatum, multis argumentis demonſtratur.

EX tractatu de peccatis originis, peculiaris nata eſt D. Auguſtino contra Iulianũ diſputatio de Concupiſcentia qua caro concupiſcit in nobis aduerſus ſpiritum: an, videlicet, ea bona ſit, an mala. Et propter noſtri temporis hæreticos, frequens de eadem Catholicis ſermo eſt, atque vtinam quam facilis ſermo, tàm cautus & ſollicitus ad ei repugnandum. De hac loquẽs Apoſtolus; ſcio, inquit, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne meâ bonum: Et inuenio quoniam mihi malum adiacet: Quæ verba, ſimul & Auguſtini ſententiam, cum perperam intelligunt, impiè ſtatuunt Lutherani & Caluiniſtæ, pronitatem, quam ad malum etiam poſt Baptiſ- *Roman. 7.*

mum

mum regenerati ſentiunt, peccatum eſſe originale ac proprio nomine peccatum remanere. Alij non quidem peccatum, ſed legis volunt tamen eſſe tranſgreſsionem vel inobedientiam, quam, quia voluntaria non eſt, nolunt poſt eius in Baptiſmo remiſsionem ad pœnam poſſe imputari: quibus dum nonnulli incautè ſe obijciunt, vitia in contraria currunt, audentque dicere habitualem concupiſcentiam, quæ relinquitur poſt Baptiſmum, totam eſſe à Deo, & rem eſſe indifferentem, quæ actu quoque bona eſſe poſſet. Sed hæc omnia vel ex ignorantia, vel inconſiderantia naſcuntur, quæ veritatis luce propoſita velut tenebræ mox euaneſcent.

1 *Ratio.* Cum enim peccatum, vt ſuprà ex Auguſtino diximus, ſit inordinatio atq; peruerſitas; id eſt, à præſtantiore conditore auerſio, & ad condita inferiora conuerſio: nihil certè in renatis peccati rationem poteſt habere, qui renouati conuerſi ſunt ad Deum verum & viuum, quibus dicitur ab Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Et Dominus Apoſtolis: Iam vos mũdi eſtis propter ſermonẽ quem ego locutus ſum vobis. Et antea: Vos mundi eſtis, ſed non omnes. quemadmodum de Eccleſia teſtatur Apoſtolus, quòd Chriſtus dominus illam ſanctificat mundans eam Lauacro aquæ in verbo vitæ. Chryſoſtomus verò de Neophytis loquens. Ecce, inquit, libertatis ſerenitate pfruuntur;

Aug. ad Simplicianum li. 1. quæſt. 2
1. Theſ. 2.
1. Cor. 6.
Ioan. 15. & 13.
ad Eph. 5.
Chyſoſt. homilia ad Neophytos, to. 5.

qui

qui tenebantur paulò antè captiui & ciues eccleſię ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in cõfuſione peccati. Non enim ſunt tantũ liberi, ſed & ſancti; non tantũ ſancti, ſed & iuſti; nec ſolum iuſti, ſed & filij: nec ſolũ filij, ſed & hæredes: nec ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti: nec tantũ fratres Chriſti, ſed cohęredes: non ſolum cohęredes, ſed & mẽbra: non membra tantum, ſed & templũ: nec tantum templum, ſed organa ſpiritus: Quæ ſanè locũ habere nõ poſſunt in hominibus ſubditis peccato. Concupiſcẽtia verò ſeu pronitas ad peccatum, licet ad malum inclinat, nõ tamen iuſtos auerſos a Deo, & inordinatè conuerſos ad creaturas detinet, vbi non dominatur aut regnat, ſed ſubijcitur.

Deinde non minus Dei beneficio in nobis experimur conſcientiam Syntereſis penult. prod. & ſyntereſim, qua velut naturali nobis inſcripta lege retrahimur & ad bonũ inclinamur. ſed nõ ſtatim virtus eſt vel legis obediẽtia per conſcientiã ad bonũ inclinari, niſi mẽte & voluntate cõſentias & corde approbes. Non igitur ſimili ratione peccatum eſt vel legis tranſgreſsio, ſi carne ad peccandum tentemur, & in conſenſum non pertrahimur. 2

Ad hæc, nihil quod extra cor & mentem hominis poſitum intelligitur, poteſt eum coram Deo coinquinare (quicquid enim homo coram Deo eſt, eo cordis pẽdet diſpoſitione: quod rectum & iuſtum ſi ſit, homo diſplicere non poteſt:) Quare ſicut in adultis 3 *Marc. 7. Matt. 13.*

nihil

nihil actu coinquinat hominem, niſi quod, iuxta verbum Domini, ex corde procedit; ſic in paruulis aut dormientibus nihil poteſt odiſſe Deus, niſi quo cor prauè & iniquè diſpoſitum & affectum comperitur. Cùm igitur in regeneratis mens & cor aliena ſint à concupiſcentia, quam nullo modo regnare patiuntur, non poteſt in eis vel peccatum vel legis inobedientia reputari.

4 Quemadmodum enim iuſtitia non in eo poſita eſt, quòd pars inferior vel ſenſibilis appetitus, parti ſuperiori; ſeu menti ſubeſt, quando mens non obedit ipſa Deo, ſed in eo iuſtitiæ ratio cognoſcitur, quod homo mēte & corde ad Deum conuerſus eſt, (vt non ſecundum ſe, ſed ſecundum Deum viuere paratus ſit) ita peccatum non in rebellione carnis, ſed in mentis & animæ iniquitate poni debet, qua (ſicut dictum eſt) auerſus à Deo, malè & inordinatè cōuerſus eſt ad creaturas. Nam ſicut homo non propterea Deo placet, quoniam ſenſus paret rationi, quando ratio non paret ipſa Deo: ſic non poteſt diſplicere, quando ratio ſeruit Deo, licet caro motibus ſuis obluctetur.

5 His valde congruit, quod in ſcripturis & Concilijs peccatum dicitur eſſe mors animę, quod nemo de ſola carnis rebellione dixerit, nam hoc ipſo ſpiritus viuere dignoſcitur, quod ſpiritus aduerſus carnem, & caro concupiſcit aduerſus animam. Anima verò quamuis ſit immortalis, tamen mors eius rectè dicitur à Dei cognitione auerſio.

Concil. Arauſi. c. 2.
Auguſt. de duabus animabus ca. 8. tō. 6.

Vnde

Vnde etiam hoc modo ratiocinatur D. Bo 6
nauentura: peccatum quod eſt mors animæ; nequaquam poteſt ſimul eſſe, quia ſpiritum & animam viuificat: neq; in eodem ſimul eſſe ſubiecto, cum iuſtitia quæ virtus eſt peccato contraria. Sed in baptizatis omnibus iam olim ſanctificatis & iuſtificatis, ſimul eſt & ſemper fuit hæc carnis rebellio cum gratia & iuſtitia, imo corpus ipſum in quo repugnãtiam iſtã ſentimus, tradit Apoſtolus, in ſan- 1. *Corin.* 6
ctis templum eſſe ſpiritus ſancti: an neſcitis, inquiens, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. ſicut & Ambroſius ſupra dixit, volutabrum libidinum commutati in Dei templum, diuerſoriumq; vitiorum ſacrarium factum eſſe virtutum. Quomodo & propheta teſtatur, quod cor & caro eius *Pſalm.* 83
exultauerunt in Deum viuum.

Cum igitur in eodem ſint ſanctitas templi 7
& rectitudo virtutum, ſimul, & hæc repugnantia ſeu pronitas carnis, non poteſt nuda hæc carnis infirmitas peccatum reputari: Quod enim peccatum eſt, per Chriſtum Baptiſmo tollitur & velut præputium præciditur, vt macula mundatur, abſter- *Ioan.* 3.
gitur, deletur: Ecce, ait, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & non alia ratione dicimur renaſci, quam, ſicut ait Auguſtinus, quia deterſa colluuione peccatorum renouamur: & iuſtificari dicimur, quoniam à defor- *Aug. li.* 2. *cont. Iulianũ* 15. *de Trinitate ca.* 8.

diſpoſitionem in corpore ſuum eſſe haberē poſsit, & corpori non niſi virtute ſeminis v- niri (cum enim homo neque ſola ſit anima neque caro, ſed perſona ex anima & carne conſiſtens: licet non ex ſemine anima, homo tamē ipſe ex ſemine naſcitur, ſic rebus ab initio velut lege naturæ poſitis, vt propter benedictionem qua Deus in primis parentibus naturæ benedixit, diuinitus anima corpori nunc pręparato concrearetur, non minus quàm ſi ex ipſo ſemine anima prodiret, ſiquidem ex ipſa benedictione, quā Deus propter peccatum ſua bonitate non aufert, lege quādam diuinitùs poſita accidit, vt ad ſeminis diſpoſitionem anima corpori diuinitùs adſit, non tardiùs aut aliter, quam aliæ corporum formæ, quæ ex natura procedunt. Non enim anima foris antea creata, poſtea in corpus funditur, ſed ad diſpoſitionem ſeminis diuinitùs corpori adeſt, vt virtute ſeminis cum corpore in formam & naturam humanam vniatur) vnde per virtutem ſeminis, vt rectiſsimè à D. Thoma traditum eſt, trāducitur humana natura à parente in prolem, & ſimul cum natura naturæ infectio: & ex hoc fit iſte qui naſcitur, conſors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo per libidinoſam eius generationem ſortiatur. Ex quibus vtcumq; in obſcuriſsima hac quęſtione, vbi tutiùs fide quàm cognitione & ſcientia ambulatur, videre poteſt exercitatus lector, quo pacto homo ipſe, qui anima conſtat & corpore, totus in Adam fuerit, atque in eo pec- caſſe

ſine 1. partis de traductione animæ qu. 118. art. 2.

D. Tho. 1. Adæ de peccat. original.

caſſe dici queat, quoniam anima inſtrumentaliter per ipſum ex prima Dei benedixione diuinitus corpori adeſt, & ſuperna ac diuina virtute ſemini per primam conſtitutionem adhærente vel aſsiſtente ad ſeminis commixtionem in corpore ſimul cum corpore formatur, quemadmodum in ſacramentis character & gratia non propria vel naturali ſacramentorum virtute, ſed ex diuina ordinatione per ſacramenta ſequuntur, vbi ſi propter peccatum ſuſcipientis character ad damnationem, imprimitur, character quidem opus Dei eſt, ſicut hic corpus & anima; ſed damnatio per peccatum accipiẽtis naſcitur: quemadmodum per concupiſcentiam, quæ ex peccato generationis operi adhæret non ipſa hominis natura, ſed naturæ vitium, quæ carnalitas quędam eſt, ſine freno iuſtitię naſcitur, quibus adde, quod vti nunc dictum eſt, per virtutem ſeminis corpori iungitur, & homo ex vtroque compoſitus eiuſdem operatione concipitur & naſcitur. Lubet nunc paucis etiam Formalem cauſam originalis peccati ſubijcere, id eſt, rationem vnde puer qui naſcitur verè & Formaliter prauus & iniuſtus denominari queat. Hæc itaque eſt iniuſtitia, non qua Adam, ſed qua paruulus quiſque ex Adam verè malus & iniuſtus eſt, antequam per Baptiſmum in Chriſto regeneratur. de quo ſupra ſatis dictum eſſe exiſtimo.

Simile.

De cauſa Formali.

miles naſcũtur, in quo propria peccati originalis ratio poſita eſt, in hoc videlicet, quòd culpa communis parentis à Deo auerſi, ad ſe ipſos impiè conuerſi naſcuntur. Propter hęc de alijs Adæ vel aliorum parentum peccatis nihil debemus eſſe ſolliciti: quæ ſicut perſonalia & ipſorum propria fuerunt, ſic ad poſteros nõ pertinent, de quibus Ezechiel: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius nõ portabit iniquitatem patris, pater non portabit iniquitatatem filij. Manifeſtè enim pronunciat Apoſt. quod vni tantum peccato ſubiecti naſcamur, primo videlicet Adæ peccato: Cætera verò, iuxta diuinum Apoſtolũ, ad nos non pertinet. Et licet D. Auguſtinus & ter ſanctus Leo, hic minus definitè locuti ſunt: poſteriores tamen ſententia Pauli & rei veritatę benè perpenſa, nullum de hoc dubium eſſe, videre potuerunt: Tum quia Paulus clarè ſic aſſerit; tum quia primum Adæ peccatum ſolum eiuſmodi fuit, quo natura corrumpi & infici poſſet, qui vt principium & caput generis noſtri ſolus legem eiuſmodi acceperat, quæ naturæ humanæ in ipſo data fuit, quam dum violauit, non ſola eius perſona, ſed ipſum genus humanum in ipſo pręuaricatum cenſetur; quo factum eſt, vt omnes & ſoli qui in ipſo erant, propter vnum illud præuaricationis delictum culpabiliter iniuſti naſcerentur. Interim tamen verũ eſſe non dubito, quod D. Proſpér ſcriptum reliquit, ſicut quidam parentes aggrauant originale peccatum, ita quidam releuant,

Ezech. 18.

Auguſt. in Enchirid. cap. 46.

Leo epiſt. 86.

D. Proſper ſent. 306.

Parentes quidã peccat. origin. aggrauant quidam releuãt, nulli tollunt.

ſed nullus tollit, niſi ille de quo dictum eſt: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Aggrauauit enim vel releuauit, non quia vnũ in altero grauius eſt, ſed quia ſuis ſceleribus parentes aliquando in cauſa ſunt & merentur, vt dominus non miſericorditer, ſed iuſtè cum paruulis, ſecundum originalis peccati reatum, agat. Alij verò ſua pietate hoc impetrant, vt non pro merito ſed miſericorditer cum poſteris agat. Fit etiam vt corporales huius temporis miſeriæ, propter delicta parentum, inſcrutabili iudicio Dei (qui potens eſt poſt mortem, quod homo nõ poteſt, liberare vel perdere) augeantur in filijs: quæ ſententia ab Auguſtino & Leone locis ſupra citatis veraciter dictum arbitror: parentum peccatis paruulos obligari. Sic enim Dominus aliquando memor iniquitatum parentum, in filios in 3. & 4. generationem viſitat, quia temporalibus pęnis eos corrigit, & ſubinde iuſta & merita ſupplicia infert, quæ aliàs parentum iniquitate non obſtante, non eſſet illaturus. Similiter gratias & miſericordiæ ſuæ beneficia iuſtè eis denegat, quæ aliàs daturus erat. Quamobrem ſanctè cum Tobia precamur: Ne reminiſcaris (inquit) delicta mea vel parentum meorum: Ita tamen, vt hæc inſcrutabilibus Dei iudicijs reſeruata ſint, & non vna eademque lege ſecũdum merita parentum diuinitus adminiſtretur. Hic iam non diſsimulandum occurrit dubium: Si vnum eſt originale peccatum, quomodo propheta dicit: Ecce in iniquitatibus conce-

Culpa parentũ temporales miſeriæ augentur.

Exod. 20. et Auguſt. quæſt. 8. in Ioſue.

Tob. 3.

ptus

ptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea? nam manifeſtè plura in ſe peccata videtur agnoſcere. Ad quod licet congruè dici queat, ſcripturis non infrequentem eſſe enallagen, qua nunc plurale pro ſingulari, nunc ſingulare pro plurali vſurpat: Hic tamẽ peculiaris poteſt ratio pluralis numeri dari, quoniam quod in nobis eſt originale, caput & radix eſt multorum peccatorum. Nam ſicut gratia in eſſentia animæ conſtituta, omnes animæ vires ſanctificat & omnium virtutum mater eſt: ſic originale peccatum, vt antea dictum eſt, in hominis natura reſidens omnes eius vires inficit & omnis generis peccati fons & origo eſt. Nam quod ad intellectum attinet, in eo profundiſsima eſt rerum ignorantia, curioſitas, error & infidelitas, ſicut docet Auguſt. in Enchiridio cap. 24. tractatu 44. in Ioannem, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 7. Item lib. 3. de peccato. meritis cap. 9. de infidelitate. In voluntate verò dominatur proprius amor vſq; ad contemptum Dei, quo quemque non ſecundum Deum ſed ſecundum ſe viuere delectat, ſicut proſequitur Auguſtinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 1. 2. 4. 9. & vltimo, lib. 15. cap. 1. & 2. de libero arbitrio libr. 1. cap. 11. & Author libelli de vocatione gentium lib. 1. cap. 2. & 6. Denique in appetitu ſenſibili ſeu parte inferiori regnat concupiſcentia carnis, de quibus Ioannes: omne quod eſt in mundo, ait, eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Deinde ipſum Adæ peccatum

Quomodo peccatum originale ſit vnum.

Intellectus vitia & peccatum orig.

Voluntatis vitium ex orig. pecc.

Appetitus ſenſibilis vitium ex pec. orig.

1. Ioan. 2.

Auguſt. in Enchi. cap. 5. & Leo epiſt. 86.

Vnũ peccatũ Adæ multiplex eſt et variũ diuerſo reſpectu.

tum, cuius reſpectu vitium originale perfectum culpæ rationem induit, licet vnum fuerit perfectum & conſummatum delictum, in illo tamen vno poſſunt intelligi plura peccata, ſi vnum ipſum in ſua quaſi membra ſingula diuidatur. Nam & ſuperbia eſt illic, quia in ſua homo potius eſſe, quã in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegiũ, quia Deo non credidit: & homicidium, quia ſe pręcipitauit in mortem: & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt: & furtum, quia prohibitus vſurpatus eſt cibus; & auaritia, quia plus quàm ſufficere illi debuit, appetiuit: & ſi quid aliud in hoc vno admiſſo diligenti conſideratione poterit inueniri. Habes igitur cauſas originalis peccati: Efficientem & meritoriam in Adam; Inſtrumentalem in ſemine: Formalem in interna & naturali ex Adam deſcendente malitia: Materialem verò non aliam habere potes, quam ſedem ſubiecti cui inhęret, quã habet, vti diximus, in ipſa natura & eſſentia hominis, vnde cunctas animæ vires inficit.

Materialis cauſa peccati originis.

Quis finis peccati originalis. Aug. li. 2. de pecca. orig. c. 21.

De pœna paruulorum ſine baptiſmo morientium.

Nonnihil etiam de fine dicendum eſt, quis nimirum futurus ſit eorum finis qui cum originali peccato decedunt, De quo Pelagius dicere ſolet; Quò non eant ſcio, quo eant neſcio: loquens de paruulis qui ſine Baptiſmo moriuntur. Quò non eant ſe ſcire aiebat, quia non ire in regnũ cœlorum ſciebat. Quò verò eant ſe neſcire dicebat; quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos & hic nihil mali commiſiſſe ſentiebat, &

bat, & originale traxiſſe peccatum non conſentiebat. Quamuis igitur Doctorum variæ ſint hac de re ſententiæ, nulli tamen dubium eſſe poteſt, quin in morte & damnatione luctuoſum agant exilium, qui ſine Baptiſmo cum originali peccato decedunt. Id enim Paulus manifeſtè teſtatur: Inditum, inquiens, ex vno in condemnationem: Et ſi vnius delicto mors regnauit per vnum, &c. Et rurſus: Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &cæt. Pœna igitur & finis originalis peccati mors eſt, & condemnatio: ſiquidem Deus Adæ cōminatus eſt, quocunque die contra Dei præceptum ex ligno comederet, morte morire-tur: vbi mortem generaliter intelligi docet Auguſtinus, non ſolum corporis, ſed & animæ, & quæ eſt in inferno totius hominis. De qua paruulorum pœna eloquens alibi Auguſtinus: Quis dubitauerit, inquit, paruulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamuis definire non poſſum, non tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent, potius expediret. Quamobrem illius ſententiæ duritiem aures Chriſtianæ non ferunt, paruulos in originali malo decedentes igne perpetuo cruciari, quem non niſi proprijs & actiuis ſceleribus, & criminibus ſcripturæ conſtituunt, & vbi rectè ſic infelices affliguntur, vt melius eis eſſet, ſi nun-

Aug. li. 13 de ciuit. Dei c. 12.

Auguſt. libr. 5. cont Iulianum cap. 8.

ſi nunquam nati fuiſſent. Non ſatis tamen peruerſitatem peccati originalis perſpexiſſe videntur, qui in ſola priuatione vitæ æternę ſine ſenſu doloris, pœnam ipſorum conſtituunt. Nam vbi nullus eſt dolor, luctus, aut triſtitia; ibi neq; mors, neque damnatio dici poſſunt eſſe, cuius id ratio poſtulat, vt qui in morte & damnatione verſantur, illi velut miſeri & infœlices agant in tenebris, in luctu, dolore, triſtitia & nonnulla totius hominis afflictione, Id quod hac quoque ratione poterit quis facere probabilius; quoniam peccati, quod hic non tollitur, grauior eſt in futuro ſeculo pœna, quàm in præſenti: ſiquidem hoc tempus miſericordię, illud verò iuſtitiæ eſt, vbi propriè peccatis ſuum ſtipendium reſeruatur. Sed videmus, quam multis ſenſibilibus pœnis & miſerijs etiam paruuli propter originale peccatum obnoxij ſint: multo minus igitur qui nunc à peccato ſuo non liberantur, à ſimilibus miſerijs & pœnis liberi tunc erunt. propterea rectè dictum eſt ab Auguſtino, eos ſecũdæ mortis ſubire ſupplicium, quemadmodum & Gregorius: Qui hic, inquit, ex proprio nihil egerunt, illuc propter reatum culpæ originalis ad tormenta perueniunt; quoniam ſub diuina diſtrictione iuſtum eſt, vt propagatio mortalis velut infructuoſa arbor, & in ramis ſeruet amaritudinem, quam traxit ex radice. Proinde ſupra modum miratus ſum, quoſdam originale peccatum dicere minus eſſe minimo veniali peccato; ſiquidem veniale delictum

Auctoris ſentẽtia de pœna paruulorum in peccato orig. morientium.

Aug. li. 2. cont. Iulianum ca. 4.

Gregorius lib. 9. moral. ca. 16.

Originalis peccati grauitas.

nequa-

nequaquam mortem meretur, ſicut de originali rectiſsimum eſt. Quamuis enim peccatũ originale quouis peccato veniali minus ſit voluntarium, ſi ad paruulum referatur, cùm illius reſpectu non ſit voluntarium: ſi tamen ad Adam referatur, cuius paruulus ſemen & genus eſt, & ſimul inhærens prauitas in paruulo conſideretur velut omnium peccatorũ radix & ſcaturigo, hac certè ratione peccatum originale grauiſsimum æſtimari debebat. *Tapperum videtur notare.* *Bernardus ſerm. in feria 4. penoſa hebdomadæ. & Auguſt. li. 21. de ciuitat. Dei cap. 2.*

De Concupiſcentia.

CAPVT IX.

Concupiſcentiam in renatis non eſſe proprij nominis peccatum, multis argumentis demonſtratur.

EX tractatu de peccatis originis, peculiaris nata eſt D. Auguſtino contra Iulianũ diſputatio de Concupiſcentia qua caro concupiſcit in nobis aduerſus ſpiritum: an, videlicèt, ea bona ſit, an mala. Et propter noſtri temporis hæreticos, frequens de eadem Catholicis ſermo eſt, atque vtinam quam facilis ſermo, tàm cautus & ſollicitus ad ei repugnandum. De hac loquẽs Apoſtolus; ſcio, inquit, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne meâ bonum: Et inuenio quoniam mihi malum adiacet: Quæ verba, ſimul & Auguſtini ſententiam, cum perperam intelligunt, impiè ſtatuunt Lutherani & Caluiniſtæ, pronitatem, quam ad malum etiam poſt Baptiſmum *Roman. 7.*

mum regenerati ſentiunt, peccatum eſſe originale ac proprio nomine peccatum remanere. Alij non quidem peccatum, ſed legis volunt tamen eſſe tranſgreſsionem vel inobedientiam, quam, quia voluntaria non eſt, nolunt poſt eius in Baptiſmo remiſsionem ad pœnam poſſe imputari: quibus dum nonnulli incautè ſe obijciunt, vitia in contraria currunt, audentque dicere habitualem concupiſcentiam, quæ relinquitur poſt Baptiſmum, totam eſſe à Deo, & rem eſſe indifferentem, quæ actu quoque bona eſſe poſſet. Sed hæc omnia vel ex ignorantia, vel inconſiderantia naſcuntur, quæ veritatis luce propoſita velut tenebræ mox euaneſcent.

1 *Ratio.* Cum enim peccatum, vt ſuprà ex Auguſtino diximus, ſit inordinatio atq; peruerſitas; id eſt, à præſtantiore conditore auerſio, & ad condita inferiora conuerſio: nihil certè in renatis peccati rationem poteſt habere, qui renouati conuerſi ſunt ad Deum verum & viuum, quibus dicitur ab Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Et Dominus Apoſtolis: Iam vos mūdi eſtis propter ſermonē quem ego locutus ſum vobis. Et antea: Vos mundi eſtis, ſed non omnes. quemadmodum de Eccleſia teſtatur Apoſtolus, quòd Chriſtus dominus illam ſanctificat mundans eam Lauacro aquæ in verbo vitæ. Chryſoſtomus verò de Neophytis loquens. Ecce, inquit, libertatis ſerenitate pfruuntur;

Aug. ad Simplicianum li. 1. quæſt. 2
1. Theſ. 2.
1. Cor. 6.
Ioan. 15. & 13.
ad Eph. 5.
Chyſoſt. homilia ad Neophytos, to. 5.

qui

qui tenebantur paulò antè captiui & ciues eccleſię ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore:& iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in cõfuſione peccati. Non enim ſunt tantũ liberi,ſed & ſancti;non tantũ ſancti,ſed & iuſti;nec ſolum iuſti,ſed & filij:nec ſolũ filij, ſed & hæredes:nec ſolum hæredes,ſed & fratres Chriſti:nec tantũ fratres Chriſti,ſed cohęredes:non ſolum cohęredes,ſed & mẽbra: non membra tantum,ſed & templũ:nec tantum templum,ſed organa ſpiritus: Quæ ſanè locũ habere nõ poſſunt in hominibus ſubditis peccato. Concupiſcẽtia verò ſeu pronitas ad peccatum, licet ad malum inclinat,nõ tamen iuſtos auerſos a Deo,& inordinatè conuerſos ad creaturas detinet,vbi non dominatur aut regnat, ſed ſubijcitur.

Deinde non minus Dei beneficio in nobis 2
experimur conſcientiam Synteresis penult. prod.& ſyntereſim,qua velut naturali nobis inſcripta lege retrahimur & ad bonũ inclinamur. ſed nõ ſtatim virtus eſt vel legis obediẽtia per conſcientiã ad bonũ inclinari,niſi mẽte & voluntate cõſentias & corde approbes. Non igitur ſimili ratione peccatum eſt vel legis tranſgreſsio, ſi carne ad peccandum tentemur, & in conſenſum non pertrahimur.

Ad hæc, nihil quod extra cor & mentem 3
hominis poſitum intelligitur,poteſt eum co *Marc. 7.*
ram Deo coinquinare(quicquid enim homo *Matt. 15.*
coram Deo eſt,eo cordis pẽdet diſpoſitione: quod rectum & iuſtum ſi ſit, homo diſplicere non poteſt:) Quare ſicut in adultis

nihil

Vnde etiam hoc modo ratiocinatur D. Bonauentura: peccatum quod eſt mors animæ, nequaquam poteſt ſimul eſſe, quia ſpiritum & animam viuificat: neq; in eodem ſimul eſſe ſubiecto, cum iuſtitia quæ virtus eſt peccato contraria. Sed in baptizatis omnibus iam olim ſanctificatis & iuſtificatis, ſimul eſt & ſemper fuit hæc carnis rebellio cum gratia & iuſtitia, imo corpus ipſum in quo repugnantiam iſtā ſentimus, tradit Apoſtolus, in ſanctis templum eſſe ſpiritus ſancti: an neſcitis, inquiens, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. ſicut & Ambroſius ſupra dixit, volutabrum libidinum commutati in Dei templum, diuerſoriumq; vitiorum ſacrarium factum eſſe virtutum. Quomodo & propheta teſtatur, quod cor & caro eius exultauerunt in Deum viuum. 6 *1.Corin.6* *Pſalm.83*

7 Cum igitur in eodem ſint ſanctitas templi & rectitudo virtutum, ſimul, & hæc repugnantia ſeu pronitas carnis, non poteſt nuda hæc carnis infirmitas peccatum reputari: Quod enim peccatum eſt, per Chriſtum Baptiſmo tollitur & velut præputium præciditur, vt macula mundatur, abſtergitur, deletur: Ecce, ait, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & non alia ratione dicimur renaſci, quam, ſicut ait Auguſtinus, quia deterſa colluuione peccatorum renouamur: & iuſtificari dicimur, quoniam à defor- *Ioan.3.* *Aug. li.2. cont. Iulianū 15. de Trinitate ca.8.*

D mi for-

mi forma in formoſam transferimur, ſicut
Ephes. 5. Apoſt. ait: Quia Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam: & Auguſt. de Baptiſmi virtute loquens: Deleta eſt, ait, tota iniquitas, ſed manſit infirmitas. Et rurſus: A paruulo recens nato, vſq; decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus à Baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in Baptiſmo.

Aug. tractatu 41. in Ioann. & in Enchir. c. 43

8 Adde, quod ex cuius reſpectu peccatum, transgreſsio & inobedientia ſtatuitur (vbi enim non eſt lex, nec pręuaricatio) non niſi voluntati & menti poſita eſt. ſtultum eſt enim alij quam libero, qui ſui poteſtatẽ & voluntatem nõ habet præcepta dare. Et quando lex dicit non occides, non furaberis, non concupiſces vxorem proximi tui, & cæt. hominem ſine dubio alloquitur quatenus mente compos eſt, & ratione pollet, liberoq́; valet arbitrio, quo poteſt velle vel nolle, quod præcipitur. vnde Sapiens: Deus ab initio cõſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manũ tuam. Ante hominẽ vita & mors, bonũ & malũ, quod placuerit ei dabitur illi. Vnde perſpicuum eſt, nõ cuiuis parti, ſed voluntati hominis mandata diuinitus eſſe conſtituta. nõ poteſt igitur Concupiſcentia, quæ

Rom. 4.

Eccle. 15.

volun

voluntaria non eſt, peccatũ vel inobedientia legis ęſtimari: quoniã de ijs quę nobis inuitis accidunt, legẽ non habemus, niſi vt vel repugnemus, vel parentes toleremus.

Præterea, de Concupiſcentia loquẽs Iacob. 9
Apoſtol. vnuſquiſq;, ait, tentatur à concupiſ- *Iacobi 1.*
centia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cũ conceperit, parit peccatũ: peccatum verò cum conſummatũ fuerit, generat mortẽ. vbi doctrina Apoſtolica nihil agnoſcit peccati, dum ſolũmodo tentamur: ſed tũc demũ, quando nonnullã homo concipit voluptatem, & moram finit, quam ſtatim abijcere deberet: tũc inquam veniale peccatũ vult Apoſt. agnoſci: Mortale verò quando pleno conſenſu malum approbatur. Vnde venerabilis Beda docens tribus modis tentationem perfici: ſuggeſtione, delectatione, Conſenſu: tantum in delectatione vel conſenſu, ex hoc loco peccatũ ſtatuit, ſicut & Aug. tractãs illud Pſalmi: Iraſcimini & nolite peccare: Etiam ſi ſurgit, inquit, motus animi, qui iam propter pœnam peccati non eſt in poteſtate, ſaltem non conſentiat ratio & mens: Quãdo igitur mens non conſentit, homo motu iracundiæ non peccat. Imo D. Ambroſius eiuſmodi cõmotiones in pueris palam dicit eſſe innoxias, quę plus habent gratiæ quam amaritudinis: & mitigare iracundiam noſtrum eſſe, naturæ verò commoueri.

Trib. modis tentatio perficitur.

Aug. in Pſalm. 4.

D. Ambr. lib. 1. off. cap. 21.

Quibus omnibus adde, quòd Adæ pecca- 10
tum, propter quod & ipſe & nos morte mulctati ſumus, non fuit hæc in ipſo carnis rebellio?

ſed auerſio illa mentis à Deo & ſuperbia, quâ non ſecundum Deum, ſed velut Deus quidã iure ſuo ſecundum ſe ipſum viuere volens, legem Dei tranſgreſſus eſt, cuius merito Gratia Adam deſerente, hæc carnis rebellio tamquam recipocra peccati pœna ipſum inuaſit, vt ſit pars quædam miſeriæ & calamitatis, quam propter peccatum in Adàm genus humanum incurrit, quemadmodum ex Geneſi manifeſtum eſt: Quis enim, ait Dominus Adæ, indicauit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? ſignificat inobedientiam ipſius fuiſſe cauſam, cur erubeſcentiam & confuſionem in nuda carne ſentiret. Quod igitur in Adam peccatum non fuit, nec in pòſteris eius peccatum debet æſtimari: cum nõ aliud in eis ex origine inſit, quàm quod ex Adam in eos transfunditur, primum videlicet Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, nõ imitatione, transfuſum: omnibus ineſt, vnicuique proprium. ſeminatum eſt enim originale peccatum, vt in illo eſſet, & in omnes tranſiret. Dicta igitur carnis rebellio per ſe ſine dominio conſiderata, neque originale, neq; ſimpliciter peccatum vel legis trãsgreſsio dici debet. Quod enim nonnulli inter peccatum & legis tranſgreſſionem in hoc argumento diſtinguunt, quaſi peccatum hoc amplius ſua ratione includat, quia reum facit: qua conſideratione nolunt quidem Concupiſcẽtiam in renatis eſſe peccatum, docent tamẽ eſſe legis inobedientiã: id pror-

Geneſ. 3.
Aug. con. aduerſ. le. & prophe. lib. 1. cap. 15. & 14. de ciuita Dei ca. 11. 12 13. 14. lib. 4. con Iulianum cap. vlt. De bono perſe. ca. 12.
Concil. Trident. ſeſſ. 5.
Aug. li. 2. de nupt. & concupiſ. cano. 28.

id prorſus obſcurum videtur, quoniam reatus ſeu debitum pœnę non ad definitionem, ſed ad effectum peccati pertinet, quod non ob aliud homines reos conſtituit, quam quia legem transgrediuntur: non enim propterea aliquid peccatum eſt, quia reum facit, ſed ob id reos conſtituit, quia legis eſt tranſgreſsio vel inobedientia.

Vnde eadem prorſus incommoda & abſurda, ex hac imaginatione ſequũtur, qua iã olim in Luthero alijſque hæreticis meritò damnata ſunt; Deum, videlicet, impoſsibilia præcipere, & ſanctiſsima eius mandata à nemine præſtari poſſe: nullos verè & internè iuſtos inueniri nullaq; eſſe regni cœlorum merita. Quoniam ſi Concupiſcentia, quam inuiti patimur, peccatum eſt vel legis tranſgreſsio, & omnes etiam Apoſtoli hanc in ſe ſentiunt, nemo ergo ſeruat præceptum quo concupiſcentia prohibetur, neque poteſt ſeruare, quia concupiſcentiam non poteſt non ſentire. Vnde etiam conſequens fuerit, quòd nemo vitam cœleſtem ingrediatur, atque adeò Chriſtus Dominus gratis mortuus dici debeat, & omnes in peccato mori, quia rectiſsima regula eſt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: quæ ſunt abſurdiora quam inter Chriſtianos audiri debeant. Et de his hactenus. 11 *Matt.* 19.

CAPVT X.

Concupiſcentiam non eſſe bonam neq; indiſferentem oſtenditur.

NVnc paucis ad eos deflectamus; qui Cōcupiſcentiam nimium honorant; & vel indifferentem, vel etiam bonam eſſe dicunt, non aduertentes ſe in manifeſtū Iuliani errorem labi, quem totis ſex libris contra Iulianum oppugnat D. Auguin. Quæ controuerſia ex definitione Concupiſcentiæ facilè tota ſopiri poteſt. Nam Concupiſcentia, quando non additur cuius rei ſit, prout obtinuit loquendi conſuetudo, non niſi in malo, ait Auguſtinus, poteſt intelligi, &, vt tradit de perfectione iuſtitiæ, nihil eſt aliud quàm deſiderium peccati. Vnde contra Iulianum miratur, ſi vllus, inquiens, in vobis eſt ſenſus humanus, num poteſt & malum eſſe peccatū, & bonū eſſe deſiderare peccatum? Et rurſus: Quis ita ſit imprudens, atq; impudēs, ita procax, pertinax, peruicax, ita poſtremo inſanus & demēs, qui cū peccata mala eſſe fateatur, neget eſſe malā Concupiſcētiam peccatorū? vidit enim & intellexit vir ſanctus, queadmodum & veritas habet, quod in nobis, qui ex Adam naſcimur, remanent non tantum indifferentes vel innocuæ illæ naturales paſſiones: quibus non directè ad malum, ſed ad aliquid, quod pro hominis intentione & cordis affectione poteſt vel bonum vel malum eſſe, inclinamur, cuiuſmodi ſunt amor, odium,

Aug. li. 14 de ciuit. Dei ca. 7. De perfect. iuſt. Aug. li. 4. cont. Iuli. ca. 14. li. 5. cap. 5.

odium, deſiderium, fuga, gaudium, triſtitia, ſpes, timor, ira & ſimiles, quas etiam ſaluator noſter, ſicut famē & ſitim in integerrima ſua natura aſſumpſit & oſtendit: ſed quod præter hæc ex corruptione peccati, quidam relictus eſt in nobis appetitus peccati & pronitas, qua directè in malum trahimur, quemadmodum dominus Deus ad Cain ſignificat: *Geneſ. 4.* Nonne ſi benè egeris, ait, recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Et rurſus ad Noe: Senſus & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Quam quidem pronitatem poſſumus morbidam quandam intelligere qualitatem, vnde turbidis quibuſdam motibus, qui rationi non obtemperant, homo ſæpè commouetur; cuiuſmodi in intellectu quædam eſt ad vana & mendacia prurigo: in voluntate, ſuperbiæ & inuidiæ ſtimulus, & in ſenſibili appetitu gulæ & luxuriæ fomes. Nām Concupiſcentiam licet quibuſdam videatur Diuus Auguſtinus ad libidinem, quæ genitalium eſt, propriè deferre; perſpicuum tamen eſt, præſertim ex Decimoquinto de ciuitate Dei, quòd generaliter eam intelligit, quæ per totum hominem reſperſa, ſecundum omnia peccati genera eum ad peccandum inclinet. Non poteſt igitur Concupiſcentia bona vel indifferens prædicari, quæ ex ſua definitione, quoddam eſt peccati deſiderium, quo caro contra ſpiritum

Geneſ. 8.

Cicero 3. Tuſcula. quæſt.

Aug. li. 15. de ciuit. Dei ca. 7.

peccatum cócupiſcit. Nam concupiſcere peccatum, ex obiecto & genere ſuo malum eſt: Malum inquam, non ſolum pœnæ, ſed etiam culpæ: verum, vt dictum eſt, ex genere & obiecto ſuo, quoniam, videlicet, malum & culpa eſt mentem ſeu voluntatem huic ſubijci. Hæc enim, eorum quæ ex genere ſeu obiecto, vel materialiter mala dicũtur, eſt ratio, quia talia ſunt, vt quando referuntur ad voluntatem, & obiecta fiunt voluntatis, vt voluntas in ea conſentiat, iam neceſſariò peccata ſint, verbi gratia; homicidium, furtum, falſum teſtimonium & ſimilia in genere ſuo ex obiecto mala ſunt, quoniam relata ad voluntatem neceſſariò peccata ſunt. Cæterum ſi ad aliud principium vel originem referantur, & conſiderentur vel à beſtijs, vel à dęmoniacis proficiſci, nunc horum comparatione nequaquam peccata vel legis inobedientię, cenſeri debẽt; quoniam lex, vt ſupra dictum eſt, non niſi voluntati poſita eſt. Quod vt de Cócupiſcentia plenius lector intelligat, conſiderabit huc tendere tam operoſam B. Auguſtini hac de re contra Iulianum diligentiam: quoniam vir ſanctus ex hoc docebat paruulos originali peccato ſubijci, quoniã ex concupiſcentia nati, carnales & concupiſcentiæ ſubiecti naſcerentur. Quod enim, inquit, in membris corporis mortis huius inobedienter mouetur, totumq́ue animum in ſe deiectum conatur attrahere, & neq; quando mẽs voluerit exurgit, neq; quando mens voluerit conquieſcit, hoc eſt malum peccati in quo

Aug. li. 1. de pecca. merі. c. 9.

naſci-

naſcitur omnis homo, id eſt, cui ſubiectus naſcitur. Atqui ſi mala non eſt Concupiſcentia, iam neq; malum neque peccatum eſt concupiſcẽtiæ ſubijci, & ſi, vt veritas habet, mala eſt Concupiſcentia, etiam malum & peccatum eſt concupiſcentiæ ſubiectum eſſe. Quã ſequelã dum aduertit Iulianus, fortiter Auguſtinum oppugnat, ſuſtinens Concupiſcentiam malam non eſſe, ſed pro diuerſitate vtentium, ab exceſſu vituperandam, & à moderato vſu probandam eſſe. Contra quem è diuerſo firmiſsimè ſtatuit Auguſtinus, Concupiſcentiam totam malam, & non ſolum quæ excedit, ſed etiam quæ refrenatur, per ſe ipſam ſuis motibus accuſandã eſſe: quoniam ex ſua ſpecie & definitione eſt peccati appetentia, ſeu ad peccatũ pronitas, cui quiſquis mente ſubijcitur, indubiè peccato ſubiectus eſt. Atq; huc ratiocinatiões illę tẽdunt, quib. cõtra Iulianum vtitur: nullum ne ergo malũ eſt cui conſentiendo peccatur? & tu quare negas malum eſſe, quod ſi non frenetur occidit? & propterea ſine dubitatione malũ eſt, quia non ei conſentire bonum eſt, & nemo poteſt bonam dicere concupiſcentiam, niſi cuius aduerſus eam non amat concupiſcere ſpiritus. Et rurſus: Quod expugnandum, opprimendum, refrenandum eſt, ne ad illicita rapiat, quibus inhiare non ceſſat, bonum eſſe tu dicis, non ego. Cum igitur libidinem [& naturalem eſſe, & vinci poſſe ambo dicamus, vtrum bonum vincamus, an malum, ipſa inter nos vertitur quæſtio. Proinde cùm

Aug li. 4 cont. Iulianum. cap. 2.

Aug. li. 3. con. Iuli. ca. 14. & vlt.

Aug. li. 3. c. 2. & 14.

Aug. li. 5. cap. 5.

malè concupiſcere malum ſit, & bona concupiſcere bonum ſit, concupiſcentia mala eſt, quam tu cum bonam naturaliter dicis, aſtutè illi ſemper conſentiendum eſſe decernis, ne reniſu improbo repugnetur naturali bono. Quibus rationibus non aliud concluditur, quam concupiſcentiam materialiter, & ex obiecto malam eſſe, & talem, quæ ſi dominetur voluntati, aut voluntas illi conſentiat, *D. Thom.* neceſſariò malum & peccatum ſit: Id quod ſcholaſtici ſignificatum volunt, quando concupiſcentiam dicunt eſſe materiale, ſeu materialiter in peccato originali ſe habere, quoniam ipſum eſt vitium, cui ex origine mente ſubiecti naſcimur. In renatis igitur Concupiſcentia neque peccatum vel legis tranſgreſsio eſt, quia voluntati non dominatur, neq; bona vel indifferens ęſtimari debet, quę per ſe ad peccatum inclinat, ſed ex genere & obiecto vel materialiter mala debet reputari, quæ nequaquam ex patre eſt, nam Deus, vt *1. Ioan. 2.* ait Apoſtolus, intentator malorum eſt, qui *Iacob. 1.* neminem tentat: quoniam talis eſt hæc Beſtia, vt qui eam vel in ſe, vel in alio probat, hoc ipſo contra iuſtitiam agat, quoniam ex obiecto & genere mala eſt, quam nulla volũtas probare poteſt, quoniam hoc ipſo quo voluntate probatur, iam illa voluntas peccati deſiderium approbat, & huius comparatione concupiſcentia nunc voluntaria efficitur. Quare nulla ratione potuit à Chriſto Domino aſſumi nõ ſolum quoniam imperfectio virtutis eſt, ſed quoniam hoc ipſo

ipſo peccaretur, quo voluntariè aſſumeretur. Non igitur ex Deo eſt, ſed ex prima hominis mala voluntate, qua tota natura in ipſo deprauatus eſt, quam per Baptiſmum hactenus ſanat Deus, vt mente & ſpiritu reſtituat, relicta hac carnis infirmitate, qua in malum ex abolito vulnere procliuis eſt.

Concupiſcentia nō potuit à Christo aſſumi. Quouſq; ſanetur concupiſ. in Baptiſ.

Huc etiam pertinent illa quæ ſæpè repetit Auguſtinus: Concupiſcentiam peccatum eſſe, quia ineſt ei inobedientia contra dominatum mentis. Item quia iniquum eſt inferiora ſuperioribus obluctari, & iterum; quia peccati libidine ſeu delectatione mouetur. hæc enim arguunt & rectiſsimæ rationes ſunt, cur agnoſcatur genere & materialiter malam eſſe, cui mente ſubiectum eſſe neceſſariò malum eſt. Hæc enim veriſsima eſt Diui Auguſtini ſententia, quòd benè & rectè Diuus Bonauentura explicans, docet originale peccatum eſſe concupiſcentiam, quæ ſpiritui ex carnali natiuitate dominatur, per quam animæ noſtræ ſint, inquit, inordinatæ & iniuſtæ, quales neceſſe eſt ſummæ iuſtitiæ diſplicere. Certum eſt enim quod tunc anima hominis eſt ordinata, quando ſpiritus eſt ſub Deo, & caro ac virtutes animales ſunt ſub ſpiritu, & ſequuntur eius imperium. Igitur ab oppoſitis, inquit, tunc anima hominis eſt peruerſa, quando caro & vires animales præſunt ſpiritui rationali, & prædominantur.

Aug. li. 2. cōt. Iulia. & lib. 5. cap. 2.

D. Bonauentura in 2. diſt. 30. qu. 1. art. 2. qu. 2. artic. 1. Anima hominis quādo ordinata et quando inordinata.

Quæ

Quæ ſententia eodem recidit, imo eodem i-
Aug. li. 2. pſa eſt quam ſupra explicauimus, quæ cum ex
con. Iuli. varijs D. Auguſtini locis, tum his potiſsimũ
conſtare poteſt. Nam contra Iulianum diſſe-
rens, declarat D. Ambroſio, peccatum ori-
ginis fuiſſe, quod anima ex origine voluta-
brum eſt libidinum, diuerſoriumq; vitiorũ,
quod ſanè non niſi propter regnum & Domi
nium concupiſcentiæ poteſt intelligi. Et de
lib. 1. de peccatorum meritis, modum noſtræ regene-
pec. mer. rationis explicans, ponit eam in renouatio-
cap. 30. ne mentis à contracta vetuſtate: cur: inquit,
naſcitur denuo, niſi renouandus? Vnde reno-
Aug. li. 2. uandus? niſi à vetuſtate? qua vetuſtate? niſi in
de pecca. qua vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt
meri. c. 8. cũ illo, vt euacuetur corpus peccati? De quo
rurſus li. 2. loquens, poſt Baptiſmũ dicit ma-
nere in vetuſtate carnis tanq̃ ſuperatũ & per-
emtum. Et iterũ li. 1. dicit Adam occulta ta-
be carnalis concupiſcentiæ, tabificaſſe in ſe
Lib. 1. de omnes de ſua ſtirpe venientes, quemadmo-
pec. meri. dum Chriſtus ſui ſpiritus occultiſsimam fi-
c. 9. & 39. delibus dat gratiam, quam latenter infundit
& paruulis, in quibus gratia Dei per Baptiſ-
Aug. cõt. mum, id agitur, inquit, vt euacuetur caro pec
Celeſt. li. cati. Rurſus contra Celeſtium dicit nos pec-
2. ca. 24. cati propagatione & dominatione proſtra-
& de pec. tos, & per vnum hominem venundatos ſub
merit. li. peccato. Et alibi, ex parentum reliqua vetu-
2. cap. 27. ſtate totos vetuſtos nos concipi. Quibus ac-
Aug. li. 3. cedunt clariſsima & illuſtriſsima loca, qui-
de lib. ar- bus toties repetit Concupiſcentiam in rena-
bit. c. 19. tis iam peccatum non eſſe, niſi tropo quodã,
lib. 1. de

quia

quia videlicet ex peccato facta eſt, & ad peccandum inclinat: ad quem ſanè tropum friuolè vir doctiſsimus confugeret, ſi eadem ſemper ratione concupiſcentiam peccatum agnoſceret. Quare ante regenerationem cū velut præputium cordis in homine dominatur & regnat, verè & propriè peccatum eſt: quando verò per Baptiſmum præciſa eſt, & ſpiritui nūc ſubiecta, propriè peccatum eſſe non poteſt, niſi ex genere, &, ſicut diximus, ex ſubiecto, cui mente ſubijci peccatum eſt. *pec. merit. ca. 13 li. 1. de nupt. & cō. c. 23 li. 2. cont. Iul. li. 1. retract. cap. 15. Concupiſ. pecca ū eſt per tropum.* Intellexit enim vir ſanctus, vti diximus, nos ob id in peccato concipi, quoniam ex carnali concupiſcentia procreamur. Vnde quidem operante contagio, dum ſine gratia & iuſtitiæ dono naſcimur, fit, vt toti carnales & concupiſcibiles naſcamur, ſicut Dominus ait: Quod natum eſt ex carne caro eſt, Et Propheta: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; & breuiter Auguſt. Ex hoc quod licitum eſt natura naſcitur, ex illo quod dedecet, vitium. Vnde etiam Chriſtum tradit, ſicut veritas habet, ob id non potuiſſe tabe originali coinquinari; quoniam non ex carne, ſed de ſpiritu ſancto, natus eſt, dicente Angelo: ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. vbi ſanctum opponit impuro & immundo, quomodo cæteri filij hominum ex carnalitate naſcuntur: quæ notata habes de Chriſto apud Auguſt. lib. 2. de peccato. merit. cap. 25. & de nuptijs & concupiſcentia lib. 1. ca. 12. *Lib. 1. de pec. merit. cap. 16. & 25. lib. 2. ca. 22. & 23. li. 2. de nupt. & concupiſ. cap. 5. & cap. 37. Luc. 1.*

Atque

Ex bapti-zatis parentibus nati etiã originale peccatũ trahunt. Atq; hinc fieri docet idem ipſe ſanctus, quod etiam qui ex baptizatis parentibus oriuntur, contagium originale trahunt: quoniam parentes non ex ſpiritu quo renati ſunt, ſed ex carne, cum concupiſcentia generant, vnde ex ſanctis naſcuntur peccatores: quemadmodũ *Simila.* ex circunciſis parentibus filij præputiati, & ex ſemine dulcis oliuæ procedit oleaſter, & ex purgato tritico frumentum cum palea: ſic, inquit, ex concupiſcentia licet in regeneratis, filij procedunt concupiſcentiæ, & proles inobedientiæ generantur, vt hæc eruditè proſequitur libro 1. de nuptijs & concupiſcen. cap. 18. & 19. contra Celeſtium libro 2. cap. 40. & de peccatorum meritis, lib. 3. cap. 8. lib. 2. cap. 29. Ex quibus clariſsimè patet, hanc, ſicut diximus, viri doctiſsimi ſententiam eſſe, peccatum originale in hoc poſitum eſſe, quòd homo dominio concupiſcentiæ ſubiectus naſcitur, & non quòd concupiſcentia quoquo modo conſiderata, peccatum eſt vel legis tranſgreſsio. Nunc quæſtiunculæ nonnullæ explicandæ ſunt, *Quaſt. 1. Seſſ. 5.* quibus veritas plenius eruatur. Prima eſt: Quomodo ſi concupiſcentia mala eſt, & ex ſua definitione peccati deſiderium, in ſacro Concilio Tridentino, quando de concupiſcentia patres agunt, dicitur, quòd in renatis nihil odit Deus, cum peccati deſiderium ſicut ipſum peccatum nemo non odiſſe debe- *Rom. 7.* at, & Apoſtolus de motibus Concupiſcentiæ loquens: Quod odi malum, inquit, illud facio. Vnde etiam Auguſtinus hic nos vult iũgi

Deo

Deo ſicut ipſe concupiſcentiam odit, ita etiam nos eam odio proſequamur, etiam ſi inuiti ſentire debeamus? Ad quam quæſtionē congruè reſpōdetur, Deum nihil in homine odiſſe vel probare, niſi quatenus ad voluntatem refertur, & à voluntate benè vel malè amatur. Odit igitur in genere concupiſcentiam Deus, quia non vult eam voluntate aliqua probari, & hoc ſua bonitate deteſtatur, quòd quis eam probet vel amet: odit, inquam, Concupiſcentiam quomodo mala eſt, quatenus videlicet voluntati obijcitur & ad voluntatem refertur, quò relata, iam vtpote voluntariè peccatum eſt. In renatis verò cōtra voluntatem ipſis inhæret, & quantū poſſunt eam minuunt, & pœnitus extirpare conantur. Non odit ergo concupiſcentiam in renatis Deus, quoniam inuoluntariam concupiſcentiam non deteſtatur, neq; diſplicet ſuæ bonitati, quod contra voluntatem homini adhæret, neq; enim hoc vel contra ſuā Maieſtatem, vel contra legē eius eſt. Etenim cōſiderata concupiſcentia vt eſt inuoluntaria, ſicut omnia quæ contra voluntatem homini accidunt, nam extra genus moraliū poſita intelligitur, qualia neq; amare neq; odiſſe De⁹ dicendus eſt. Secunda quæſtiuncula eſt: ſi Concupiſcentia non ſit iniquitas vel legis tranſgreſsio, quo ſenſu tam ſæpè repetit Auguſtinus concupiſcentiā in Baptiſmo manere quidē actu, ſed trāſire reatu, vt in peccatū non imputetur? Ad quā dicimus, Concupiſcentiam tranſire reatu, quia per Baptiſmū id tolli-

Augu. in Pſalm. 55 ad Verſiculū, quoniam malum non oditit. Item Gregorius li. 9. moral. cap. 29.

Quæſt. 2. Aug. de nupt. & concupiſ. cap 25 26 27. & li. 6 cōt. Iulia. cap. 8.

tollitur, vnde concupiſcentia reos facit, regnum videlicet eius & dominium, ſimiliter culpa condonatur, vnde nobis concupiſcentia innata eſt; quemadmodum lib. 2. contra Iulianum idem vir ſanctus tradit: reatum concupiſcentiæ per baptiſmum tranſire, quo nos reos fecerat, & de peccato originali, concupiſcentiam tranſire dicit, quoniam debitum, quod contagio carnalis generationis attraxit, gratia regenerationis abſoluit, hoc eſt, quia dominium quo hominem contaminabat, ſucciditur: haud multo aliter quam vinolentia & pleraq; ſimilia vitia, in ijs, qui ſancta conuerſione opera mala ſibi amputarunt, & per pœnitentiam ſunt remiſsionem conſecuti, manent eiuſmodi prauæ qualitates aduerſus quas continuo dimicatur, ſed tranſeunt reatu. Alibi verò etiam de morte & alijs vitæ miſerijs quę manent à Baptiſmo, ſcriptum reliquit, quod reatus earũ ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſoluit: reatus, inquam, peccati vnde ſecutæ ſunt. Alia quæſtio eſt: Quomodo igitur Auguſt. concupiſcentia etiam in renatis ſit vitium, & ſecundum D. Bernardum quædam rationabilis creaturæ deformitas, cuius nos naturaliter pudet & erubeſcimus? Ad quam dicimus, vitium & deformitatem eſſe, quia rationabili naturæ ſecundum finem & inſtitutionem ſuam non conuenit, vtpote diſpoſitio qua non plenè & ꝑfectè ſicut rationali naturę cõuenit, homo in iuſtitia diſpoſitus eſt, tardus nimirum ad bonum, & pronus in malũ. Quia enim imago Dei

Aug. li. 2 cõt. Iuli. & de pec. orig. li. 2. cap. 32.

Aug. li. 6. cõt. Iulia. cap. 7.

Aug. li. 2. de pecca. mer. c. 33.

Quæſt. 3.

Aug. li. 2. cõt. Iulia. col. 6.

D. Bernar. quodam ſer. de affectibus animæ.

Dei eſt hominis natura, prorſus eum decet et illi conuenit, vt qua parte rationis particeps eſt, tota ſit rationalis, & nihil in ea cõtra rectã rationem vel Deũ cogitetur. Imago enim in hoc poſita intelligitur, quòd homo diuinæ ſapientię ac amoris diuini capax eſt, vt ex Deo, velut diuinus & Deo ſimilis, viuat: vnde perfecta hominis ſanitas & pulchritudo poſtulat, vt omnibus partibus quibus virtutis & rectitudinis capax eſt, non niſi ſecundum rectam rationem & Deum moueatur. Dedecet ergo hominem Concupiſcentia, quam velut turpem erubeſcit, quoniam turpe eſt inferiora ſuperioribus contumaciter obluctari, quemadmodum in domo turpe reputatur, ſi maritus & vxor aduerſus ſe diſsentiãt: ideoque, quotidiè hanc concupiſcentiam, velut ſapientiæ venenum & pudendũ homini malum, in ſe non ſolum mortificare, ſubijcere, domare, minuere, ſed etiam, vt omnino non ſit debet velle & laborare, quamuis in hoc mortali corpore id nõ ſit aſſecuturus. Hoc ipſum enim ad iuſtitiæ pertinet imperfectionẽ, quòd homo per internã huiuſmodi affectionem ad malũ inclinatur, etiam ſi nullus in motu concupiſcentiæ cõſenſus relaxetur, quia & pugnare infirmitatis eſt. Fit enim per concupiſcentiam, vt bonum & iuſtitia minus delectent, minus æſtimentur, minusque perpendantur; quæ ſi omnino perfectæ & ex toto (prout homo capax eſt) delectarent, nulla omnino (ſicut in futuro ſeculo) concupiſcentia inueniretur. Quamuis igitur D. Au-

Aug. in Pſal. 143.

Simile.

Aug. li. 4. cõt. Iulia. cap. 2. & lib. 19. de ciuit. Dei cap. 4. & de perfectione iuſtitiæ de verbis Apoſt. ſer. 3. de nupt. & concu. li. 1. c. 27.

Aug. li. 6. cōt. Iulia. cap. 7. guſt. in Iuliano diſsimulet Cōcupiſcentiam hanc eſſe affectionalem qualitatem, cuiuſmodi ſolet in 3. ſpecie qualitatis apud Ariſtotelem collocari: rectius tamen, probè, iuxta doctrinam Auguſtini, eius inſpecta conditione, ad primam ſpeciem, vbi ponuntur diſpoſitiones, referri debent: eſt enim talis in homine diſpoſitio, ſecundum quam, vt diximus, non perfectè ſecundum naturæ ſuæ conditionem diſpoſitus eſt, velut in bono languidus, tardus & infirmus, ac ad malum pronus: Hæretque non in appetitu ſenſitiuo duntaxat, (cum omnes animæ vires etiam poſt baptiſmū adhuc infirmę & languidę ſint, quotidianaque curatione per Chriſtum indigeant) ſed in ipſa natura et eſſentia hominis: Vnde in omnes vires, ſicut ſupra de peccato originis dictum eſt, ſe diffundit, eaſdemque, licet per Baptiſmum à Dominio peccati ſanatæ ſint, pronas tamen efficit, vt præter rationem & non ſecundum Deum in ſua quæque obiecta ferantur: eſt enim quaſi vulnus quod antea cum dominabatur lethale erat, quod ipſum nunc curatum, paulatim ad perfectam ſanitatē accedit. Ipſa enim Cōcupiſcētia prout antea in homine regnabat, peccatum (ſicut diximus) erat originale, quæ nunc per Baptiſmum circunciſa, velut languor & infirmitas naturæ relinquitur, quàm Chriſtus Dominus ad cauendam in nobis ſuperbiam relinquit, & in ſtabulo Eccleſiæ paulatim curat. Opponitur autem ſecundum actus ſuos Conſcientiæ, ac Synde-

Concupiſcentia eſt diſpoſitio

Simile.

Cur Cōcupiſcentia in renatis relinquatur.

reſi,

reſi, quemadmodum Paulus legem eam appellat, quæ legi mentis, id eſt, conſcientiæ repugnat. Quemadmodum igitur Conſcientia (ſicut antea dictum eſt) non eſt ipſa quidem virtus vel iuſtitia, ſed principium, radix & fundamentum virtutis; ſic & Concupiſcentia in renatis non eſt ipſa peccatum, ſed origo, radix & initium peccati; quoniam virtus & peccatum, voluntatem reſpiciunt, quæ benè vel malè per virtutem & peccatum afficitur: Conſcientia vero & ſynderesis habitus ſignificant, quibus homo naturaliter mouetur, quemadmodum & Concupiſcentia vitioſitas eſt quæ ſæpè præter voluntatem ad malum commouetur, quę directè & formaliter opponitur non virtuti vel eius augmento, vbi ſemper voluntas reſpicitur, ſed dono cuidam gratis dato, quo in nonnullis tota hæc carnis corruptio amota legitur: ideoque quæ de imperfectione iuſtitiæ dicta ſunt, & ſæpè apud Auguſtinum inueniuntur, ſenſu quem dicunt cauſalem concomitatiuum, accipienda ſunt. Siquidem Concupiſcentia inuoluntaria non eſt ipſa per ſe virtutis diminutio, quæ perfectioni virtutis opponitur, ſed ex concupiſcentia prouenit, quod homo à plenitudine iuſtitiæ deficit, & non tam perfectus ſit, quam eius naturæ conuenit. Ex his facilè intelligi poſſunt quæ Diuus Auguſtinus tradit de præcepto: Non concupiſces, &: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & anima & c. quorum impletionem dicit ad

Concupiſcentia nō virtus ipſa, ſed virtutis radix: ſicut cōcupiſcentia nō peccatū ipſum ſed peccati radix.

D. Bonauentura li. 2. diſt. 39. qu. 2.

De præcepto nō concupiſces.

Aug. li. 1. de nup. et conc. c. 29

Augu. de ſpiritu & gratia cap. vlt.

futurum ſeculum pertinere: Quoniam ad hoc dixit lex, inquit, non concupiſces; vt nos in hoc morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quereremus, & in eo præcepto ſciremus, & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò poſsit à nobis in illa immortalitate beatiſsima perueniri. Siquidem duo, iuxta ſanctiſsimi viri doctrinam, his pręceptis ordinantur: alterum quod hic in actu & exercitio debet inueniri, vt poſt concupiſcentias noſtras non ambulemus, ſed Deum vt ſummum bonum ſuper omnia ſine menſura diligamus: Alterum in conatu, & velut finis ſeu ſcopus quo tenditur intelligi debet; vt, videlicet, nihil in nobis ſit, quod Dei amorem remoretur, quaſi mandaret Dominus: ſic dilige, & ita noli concupiſcere vt optes, & ad hoc coneris, vt nihil in te ſit vitij vel concupiſcentiæ, quod cupimus omnes quando petimus, vt domini voluntas fiat ſicut in cœlo & in terra, & nos liberet ab omni malo.

CAPVT XI.

De Baptiſmo quo tollitur originale peccatum.

EX his quæ nunc de peccato originis dicta ſunt, videre licet, quàm paruulis neceſſarius ſit Baptiſmus, vtpote, quo ſolo malum originale tollitur, & ſordes originales eluuntur, per quem Chriſto regenerantur,

tur, ſicut per Adam carnaliter mundo nati ſunt, & nouæ fiunt in Deo, deterſa peccati colluuie, creaturæ, quodq́; prius volutabrū erat libidinis & diuerſorium vitiorum, templum fit ſpiritus ſancti. Nam per Baptiſmum moriuntur peccato, & veterem hominem exuunt, iuſtificantur ac filij Dei & regni cœleſtis hæredes efficiuntur: Hac de cauſa, inquit Chryſoſtomus, etiam infantes baptizamus, vt ejs detur vel addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint. De hac ſanè paruulorum baptizatione iam olim contrariæ hæreſes Eccleſiā Chriſti cōturbarunt, quibuſdam (vt eſt apud Epiphanium) omnem paruulis ſalutem negantibus, quoniam neque credere, neque certare valent, qui verò non credederit, ait Dominus, condemnabitur; & nemo coronabitur, ait Paulus, niſi qui legitimè certauerit: vbi nunc è contrario volunt Anabaptiſtæ cūctos indifferenter ſine baptiſmo paruulos ſaluari, quoniam Dominus ait: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Catholica verò & Apoſtolica mater Eccleſia, ſpiritu ſancto ſemper eam edocente, media & regia via incedens, nemini ſine Chriſto vitam concedit, & omnes qui-cunque ſunt Chriſti, ſaluat, adeoque paruulos: qui non niſi per Baptiſmum Chriſti fiunt, neceſſario baptizandos docet, ne ſine Chriſto defuncto propter originale peccatum damnentur. Nam per vnius delictum in omnes, ait Apoſtolus Paulus, peccatum

Chryſoſt. apud Auguſt. li. 2. cōt. Iulia.

Hereſi 67. quæ fuit Hieracitarū.

Marc. 16.

2. Tim. 2.

Matt. 19.

Rom. 5.

cedit in condemnationem. Sed doctrinæ cauſa præſtiterit in ordinem diſtinguere, & ob oculos clarè conſtituere, quibus rationibus appareat paruulos debere baptizari.

1. Ratio baptiſmi paruulorum. Prima eſt, quoniam qui ſine Baptiſmo moriuntur, vti nunc dictum eſt, in originali peccato decedunt immundi & ſordidi, carnales & iræ filij, quos regnum cœlorum non ingredi, ſed in damnationem cadere neceſſe eſt: Non intrabit, inquit Ioannes, in eam aliquid coinquinatum, & iudicium ex vno in condemnationem, ait Paulus, & vnius delicto mors regnauit per vnum. Cum autem in veteri teſtamento Circunciſio contra peccatum iſtud, velut alterum cordis præputium, inſtituta fuerit, non aliud in nouo teſtamento paruulis aduerſus idem peccatum inſtitutum remedium legimus, quam Baptiſmi ſacramentum, quo per ſpiritum ſanctum innouantur, mundantur, & de poteſtate Sathanæ in regnum Chriſti transferuntur: Mundans eam, inquit, Apoſtolus, lauacro aquæ; &; non ex operibus iuſtitiæ quę fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ſpiritus ſancti: ſiquidem fides ante Baptiſmũ in eis nulla eſt, qua Chriſtum inuocare, vel gratiam eius ipſi quoquomodo queant impetrare.

Apoc. 21. Rom. 5. Epheſ. 5. ad Titũ. 3

2. Ratio. Ioannis 3. Secundo: hæc eſt perſpicua & clariſsima domini ordinatio, vt quod natum eſt ex carne, id omne ex aqua regeneretur: Niſi quis rena-

renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt, inquit, introire in regnum Dei, quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt; porrò ex aqua renaſcimur, quando per Baptiſmum, deterſa peccati colluuie renouamur, & in Chriſto nouæ creaturæ conſtituimur: quam ob cauſam à Paulo lauacrum regenerationis & renouationis appellatur.

Præterea, notum eſt quod paruuli non naſcuntur Chriſtiani, ſed propter originale peccatum, (vti nunc oſtenſum eſt) naſcuntur ſub poteſtate Sathanæ, natura, ſicut ait Paulus, filij iræ. Vt autem quis Chriſtianus fiat, maximè paruulus, neceſſe eſt vt Chriſti ſacramentis initietur, Chriſtum induat & membris eius aſsocietur, quod per Baptiſmum fieri clariſsimè ſcripturæ docent. Etenim vno ſpiritu, dicit Paulus, omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Et: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, Et: an ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Qui-

3. Ratio. *1. Cor. 12.* *ad Gal. 3.* *Rom. 6.*

bus verbis dilucidè docet Apoſtolus nos omnes per Baptiſmum mori peccato, & ab originali peccato liberari & verè Chriſtianos mundo mortuos fieri.

4. *Ratio.* Ad hæc, debet proculdubio diſcrimen agnoſci inter baptizatos fidelium liberos, & eos qui ex gentibus & hæreticis non baptizati moriuntur. Nemo enim dixerit iſtos fideles aut Chriſtianos eſſe, vel ad Chriſtum pertinere, nemo dixerit eos mundos & ſanctificatos, aut ſpiritualiter in Chriſto circunciſos, ſed, ſicut verè, & vt Sapiens loquitur: Semen maledictum ab initio natiuitatis: Quare ne quis fruſtra ſit Chriſtianus, omnes iſti baptizari debent, ſi ſalutem eos conſequi velimus: quia non eſt aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri, quam dulce & ſuaue nomen Ieſu, à quo longè alieniſsimi ſunt infidelium liberi, qui neq; fide, neq; ſacramento Chriſti ſunt participes. porro non diſsimilis eſt eorum conditio, qui ex Chriſtianis parentibus nati ſine baptiſmo moriuntur, quoniam eadem in vtriſq; damnationis cauſa eſt peccatum originale.

Actuū 4.

5. *Ratio.* Prætерea, ſi paruuli ſine Baptiſmo quacūque etiam ratione forent in ſtatu ſalutis, iam non rectè qui maiori ætate baptizantur, dicerentur per Baptiſmum ſaluari, regenerari, renouari, peccato mori, & de poteſtate Sathanæ transferri in regnum Chriſti, ſi quidē hæc antea alia ratione in minori ætate conſecuti fuiſſent, quòd apertè contra ſcripturas eſt, quæ Baptiſmo in adultis, qui puerili ætate non

te non ſunt baptizati, prædictos effectus tribuunt.

Quibus adde, totam Eccleſiam, in qua paruulos, quos ſaluari cupis, debes comprehendere, mundari baptiſmo & lauacro aquæ: Mundans, inquit, eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Qui igitur mundantur paruuli, debent per lauacrum aquæ mundari & ita Eccleſiæ inſeri. *6. Ratio.* *Epheſ. 5.*

Inſuper, veteris teſtamenti figuræ & Prophetiæ palam huic fidei ſuffragantur. Nam extra Arcam nemo ſaluatus fuit, vbi ſecundum Petrum Apoſtolū forma Baptiſmi fuit, ſicut & in mari rubro, per quod omnes tam paruuli quàm adulti vt liberarentur à Pharaone & AEgypto tranſierunt. Ezechiel verò clariſsimè ſpiritu ſuo prophetico eos reprehendit, & abominabiles coram Deo prædicat, qui ab initio natiuitatis non ſunt Eccleſiæ more baptizati: Quando nata es, inquit, in die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus, & in aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, non inuoluta pannis, nō pepercit ſuper te oculus meus: quibus euangelicis verbis, non tam propheticè quam Apoſtolicè deſcribit Baptiſmi ceremonias, eiuſque prædicat neceſsitatem quando primum in lucem ædimur. *7. Ratio.* *Geneſ. 7.* *1. Petri 3.* *1. Cor. 10.* *Ezech. 16.*

Poſt hæc conſiderandum eſt, adultis qui credunt, & minori ætate baptizati non ſunt, Baptiſmum citra omnem controuerſiam eſſe. Nam qui crediderit, ait dominus, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et quando viri *8. Ratio.* *Marc. 16.*

Actuũ 2. illi religioſi, auditis in die Pentecoſtes Apoſtolis, compuncti corde dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite & baptizetur vnuſquiſq; veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum. Similiter Saulus & Centurio, cùm alter à Domino, alter ab Angelo intellexiſſent fore, vt eis in ciuitate & à Petro diceretur, quid ipſos oporteret facere, vterque iuſſus eſt baptizari. Sed eadem eſt in paruulis, quæ in adultis baptiſmi neceſsitas, peccatum videlicet originale, quod ſecundũ Chriſti conſtitutionem Baptiſmo tollitur: imò maior in paruulis eſt ratio, qui propria fide ſe ſicut adulti iuuare non poſſunt.

Act. 9. & 10.

9. Ratio. His adde totius & vniuerſalis Eccleſiæ cõſuetudinem, quæ iam ab initio tanta firmitudine & authoritate ſeruata eſt, vt etiam Pelagiani hæretici peccatum originale negantes, paruulos baptizandos eſſe concederent, & contra vniuerſæ Eccleſiæ traditionem venire non auderent; Si quis autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, ait Dominus, & Publicanus.

Aug. li. 1. de pecca. mer. c. 26

10. Ratio. Poſtremò lubet clariſsimas antiquiſsimorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum ſententias aliquot breuiter ſubijcere. Dionyſius Areopagita in fine eccleſiaſticæ hierarchiæ calumnijs eorũ reſpondens, qui paruulos in baptiſmo cõueniri ridebant: Diuinis noſtris præceptoribus, ait, placuit admitti pueros & diuini ortus participes fieri, ſanctiſsimorũmq;

rumque diuinæ ſocietatis ſignorum.

Origines: Eccleſia ab Apoſtolis traditionē accepit etiam paruulis Baptiſmum dari: ſciebant enim illi quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & ſpiritum ablui deberent. *Oregines lib.5. in 6. ca. ad Romanos & Hom. 14. in Lucā.*

Cyprianus: Hæc fuit in Concilio noſtra ſententia à Baptiſmo atq; à gratia Dei (qui omnib. miſericors, & benignus, & pius eſt) neminem per nos debere prohiberi: quod cum circa vniuerſos obſeruandum ſit atq; retinēdum, tum magis circa infantes ipſos & recens natos obſeruandū putamus, qui hoc ipſo de ope noſtra, ac de diuina miſericordia pl' merentur, quòd in primo ſtatim natiuitatis ſuæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur. *Cyprian. lib.3. ep. 8*

Gregorius Nazianzenus: Omni ætati Baptiſmus conuenit. Quod ſi tibi ſit infans, nō ſurripiat malitia tempus, ex pueritia ſanctificetur, ex vnguibus ſpiritui conſecretur. *B. Gregorius orat. de Baptiſmo.*

Auguſtinus: Scimus ſecundum Adam carnaliter natos contagiū mortis antiquę prima natiuitate contrahere, nec liberari à ſupplicio mortis æternæ, quod trahit ex vno in omnes tranſiens iuſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto. Et alibi: Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. *Aug. epi. 107. & tota eius et eccleſia contra Pelagium eo tempore diſputat. De Gen. ad literā li. 10. c. 23*

Chryſoſtomus loco prius citato, &c.

D. Grego-

D. Greg. li.7.ep.53. D. Gregorius in extremo epiſtolæ: Quæſiſti, quid eis reſpondendum ſit, qui dilectionem tuam de paruulorum animabus requirunt, qui ſine gratia Baptiſmatis moriuntur. Illud incertum non eſt, quia niſi ſacri Baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta.

Bernard. ſerm.66. in cātica epiſt.140 S. Bernardus: Videte detractatores, videte canes, irrident nos, quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere huiuſmodi atq; in vtroq; ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis & paruulis. Et alibi: paruulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum Baptiſmi negatur gratia.

Concilium Mileuitanum: Placuit vt quicunq; paruulos recentes ab vteris matrũ batizandos negat, Anathema ſit.

S. Concilium Lateranenſe: Sacramentum Baptiſmi, quod cum inuocatione Trinitatis cõſecratur in aqua, tam paruulis, quam adultis in forma Eccleſiæ à quocunq; ritè collatũ fuerit, proficit ad ſalutem.

S. Concilium Vienenſe: Baptiſma vnicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſſe (ſicut vnus Deus, ac fides vnica) ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratur in aqua in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis quam paruulis cõmuniter perfectum remedium ad ſalutẽ.

S. Concilium Florentinum: primum omnium ſacramentorum locum tenet Baptiſ-

mus,

mus, quod vitę ſpiritualis ianua eſt. Per ipſum enim membra Chriſti ac de corpore efficimur eccleſiæ, & cum per primum hominē mors introierit in vniuerſos, niſi ex aqua & ſpiritu ſancto renaſcamur, nō poſsimꝰ, vt inquit veritas, in regnum cœlorum introire.

S. Concilium Tridentinum: Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint a baptizatis parentib. orti, Anathema ſit. Et rurſus: Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit. Et ſi quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate qua Chriſtus baptizatus eſt, vel ipſo mortis articulo, Anathema ſit. Item: ſi quis dixerit paruulos, quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cū ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizādos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quàm eos non actu propriè credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, Anathema ſit. Seſſ. 4. Seſſ. 7.

DE GRA-

DE GRATIA CHRISTI TRACTATVS.

CAPVT I.

Gratiæ tractatus peccati originalis explicationem rectè ſubſequitur.

QVemadmodum medici primum de morbo, Deinde de remedio diſſerunt; ſic poſt originalis peccati languorem congruè de Gratia Chriſti tractatus ſubijcitur. ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificantur: Et non eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri, quam dulciſsimum Ieſu Chriſti redemptoris noſtri, qui datus eſt à Patre mediator Dei & hominum, & dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam, & transferret in regnum gloriæ gratiæ ſuæ. Vnde nihil æquè ad Chriſtianam pietatem pertinet, quã ſcire donum Dei quo ex morte & damnatione, quam ex Adam incurrimus, per Chriſtum liberamur. Cœterum vt in alijs Chriſtianæ pietatis articulis, ſic etiam de Gratia Chriſti varia in Eccleſia authore Sathana nata ſunt ſcandala, quibus gloria Dei, quæ pro tanto munere ſuæ bonitati debebatur, plurimum obſcuratur & impeditur. Siquidem Martinus

Lutherus

Lutherus noſtri temporis hęreſiarcha, quæ contra Pelagium olim à Patribus generatim de Gratia contra ſuperbiam & infirmitatem liberi arbitrij dicta ſunt, dum ſpeciatim magno errore refert ad gratiam, quam ſcholæ gratum facientem nominant, confundit omnia, totamque iuſtitiæ rationem & ordinem ſubuertit. Noſtrorum verò quidam ſic de Gratia loquuntur quaſi Pelagio: alij, quaſi Luthero fauere videantur: Quare maximum operæprecium facturus mihi videtur qui cauſas erroris aperire, & confuſionem tollere ſtuderet. Quid itaque contra Pelagium de gratia actum ſit, primum iuuãte Domino declarabimus, Deinde quid contra Lutherum, Deniq; quomodo aduerſus vtrumque catholicus habere ſe debeat, quantum in Domino poſsimus, aperiemus. *Diſtributio operis*

CAPVT II.

Duo Pelagij de gratia errores explicantur, quibus tertius qui fuit etiam D. Auguſtini cum dilucida quæſtionis, inter patres & Pelagium de gratia motæ, illuſtratione ſubnectetur.

IN diſputatione de Gratia contra Pelagiũ, vt in errore gradus, ſic etiam in veritatis defenſione & agnitione gratiæ progreſſus facti ſunt. Nam primus Pelagij error fuit, quod gratia Dei ſecũdũ merita noſtra detur, quodq; pœnitentib. pœna nõ detur ſecundũ gratiam *Auguſt. epiſt. 106.*

gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm meritum & laborem eorum qui per pœnitétiam digni fuerunt miſericordia. Secundus error erat, quòd homini ſufficiat liber. arbit: ad legem Dei implēdam & ad operandā perficiendamq; iuſtitiam, etiam ſi Dei gratia & ſpiritus ſancti dono non adiuuetur. Deindè conclamantium religioſorum & piorum vocibus preſsi, & à ſe fatebantur Pelagiani ad habendam ſeu faciēdam iuſtitiam diuinitùs adiuuari, vt tamen ipſam bonam voluntatē ſine adiutorio Dei, hominem habere dicerent, & vt rectè credamus in Deum & euangelia, conſentiamus ex nobis eſſe: quo errore etiam Diuus Auguſtinus iunior laborabat in expoſitione propoſitionis ad Romanos: Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt: Quod enim credimus, ait, noſtrum eſt, quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus in ſe dat ſpiritumſanctum, vt per charitatem bona operemur. Contra primum errorem, quem etiā Pelagius ipſe in Concil: Palęſtino dānauit, patres ſic ſtatuerūt: Scim' gratiam Dei nec paruulis, nec maioribus ſecundum merita noſtra dari. Contra ſecundū verò ſic loquitur Auguſtinus: Nos dicimus humanam voluntatem ſic diuinitùs adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præterq; doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat ſpiritum ſanctum, quo fiat in animo eius delectatio, delectatioque ſummi illius, atque incom-

Auguſt. epiſt. 89.

Auguſt. epiſt. 105.

Idem epiſt. 107.

Auguſt. epiſt. 107.

Augu. de ſpiritu & litera. c. 3

incommutabilis boni, quod Deus eſt, etiam nunc cum adhuc per fidem ambulatur, nondum per ſpeciem, vt hac ſibi velut arra data gratuiti muneris inardeſcat inhęrere creatori atq; inflãmetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei benè ſit, à quo habet vt ſit. Et in eodem lib. cap. 29. Hæc ergo ſola diſtantia eſt, quia ipſum: Non concupiſces, & cætera mandata eius ſanctã & bona ſibi tribuebant; quæ vt poſsit homo facere; Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti; qui finis eſt ad iuſtitiam omni credenti; id eſt; cui per ſpiritum incorporatus, factuſq; membrum eius, poteſt quiſq;; illo incrementum intrinſecus dante, operari iuſtitiam. Ex quibus manifeſtum eſt, quod primum contra Pelagianos in primo & ſecũdo errore, actum eſt de magna illa quæ per Antonomaſiam gratia dicitur, quæ eſt gratia gratum faciens; qua Deo reconciliamur, & per ſpiritum ſanctum inhabitantem iuſtificamur. Nam hæc ſola eſt arra gratuiti muneris, & qua per ſpiritum incorporatus, factuſque membrum Chriſti, poteſt quiſq; veram operari iuſtitiam, quæ etiam paruulis latenter infunditur; & ſola eſt de quo concipi poteſt, quod in adultis ſecundum merita daretur: De qua Paulus Apoſtolus: benedictus Deus; inquit, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecũdum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificauit nos in *Epheſ. 1.* *Rom. 5.*

dilecto filio ſuo. Et ad Romanos: Iuſtificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtam in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, quam potiſsimum etiam

Ioan. 1. reſpicit & intelligit Euang. Ioannes, quãdo declarata dignitate filiorum Dei; Qui nõ ex ſanguinibus, neq; ex volũtate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed per hanc gratiam ex Deo nati ſunt: ſubijcit; vidimus eũ plenũ gratia; & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiã pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. De qua quoq; præcipuè tanto molimine

Rom. 3. cõtra Iudęos ſæpè diſſerit Apoſt. Omnes, inquit, peccauerunt & egent gratia Dei: iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionẽ, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Et non ſicut delictum, ait, ſic & donum, ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit: ſi enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per v-

Rom. 5. num Ieſum Chriſtum: vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

CAPVT III.

De excellenti gratiæ munere & dignitate.

CVius quidem muneris excellentiam & dignitatem Scriptura ferè per repromiſsionem Abrahæ factam & per ſpiritum declarat. Quoniam ſicut Iſaac non ex facultate naturæ vel parentum fœcunditate, ſed ſupernaturali & gratuito Dei dono natus eſt patre Abraham iam emortuo, & concluſa vulua matris Zaræ cui muliebria quoq; fieri deſierant: ita non ex viribus naturæ, neq; operum præcedentium meritis, neq; ex lege, ſed ſuperabundanti Dei bonitate, cœleſtis hæc gratia confertur, qua filij ex Deo naſcuntur: ſiquidem in Iſaac, ait Dominus, vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſsionis æſtimantur in ſemine. promiſsionis enim verbum hoc eſt: ſecundum hoc tempus veniam, & erit Zaræ filius: Et ad Galatas: Quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera, ſed qui de ancilla, ſecundum carnem, id eſt, virtute carnis natus eſt; qui autem de libera: per repromiſsionem, id eſt, ex promiſſa Dei gratia: quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim duo ſunt teſtamenta: vnum in ſeruitutem generans, &c. Nos autem fratres, ſecundum Iſaac filij promiſsionis ſumus, ſecundum ſpiritum non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberauit. Et iterum, vbi venit, inquit, plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex

Rom. 4. Hebr. 11. Gene. 17.

Rom. 9. Gen. 21. Item 17. & 18.

Galat. 4.

muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub legẽ erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater. Alibi per dignitatẽ templi, huius muneris excellentiam & rationem declarat: neſcitis, inquit, quià templum

1. Cor. 3. & 6. Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctũ eſt, quod eſtis vos. Et rurſus: An neſcitis quoniam membra veſtra templũ ſunt ſpiritusſa. qui in vobis eſt; quem habetis à Deo & non

Epheſ. 5. eſtis veſtri? Ad Epheſios verò: Quia membra

1. Cor. 12. ſumus corporis eius, de carne eius & de Oſſibus eius. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Huic tam excellenti Dei dono volebat homines omnes præparari, & eius gratia ad Chriſtum venire

Matth. 3. & pœnitentiam agere: Ego, inquit, baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius nõ ſum

Ioann. 3. dignus calciamenta portare; ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. Quod etiam Chriſtus dominus intellexit, quando voluit nos naſci denuo, & ex aqua & ſpiritu ſancto regenerari. Nã quando pœnitentes per Chriſtum Deo reconciliantur, non ſolam nudamque recipiunt peccatorum remiſsionem, ſed, vt elegãter teſtatur Chryſoſtomus, ſanctificantur, liberi & iuſti, & filij Dei cõſtituũtur, nec ſolum filij, ſed & hæredes, nec ſolũ hæredes, ſed & fratres Chriſti, nec tantum fratres

Chri-

Chriſti, ſed cohæredes, nec ſolũ cohęredes, ſed & mẽbra, nec mẽbra tantũ, ſed & templũ, nec tantum templum, ſed & organa ſpiritus: Benedictus, inquit, Deus qui facit mirabilia ſolus. vides quot ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis quidem videtur cœleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſsionę conſiſtere. Nos autem honores computauimus decem. Hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, vt eis addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hęreditas, fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint omnes & ſpiritus habitatio fiant: Addit ſubinde ſcriptura honorem ſpõſæ, quo fideles in Chriſto in ſponſas eius aſſumuntur: Deſpondi, inquit Apoſtolus, vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: Et de Matrimonio agens, ſacramentum, inquit, hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Vnde in canticis, fidelis & regenerata anima ſæpiſsimè nomine ſponſæ honoratur, quemadmodum & Eſaias declarat: Omnes, inquit, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus: gaudens gaudebo in Domino, & exultauit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitię circundedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis: Et in Apocalypſi: Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe. Et datum eſt illi vt cooperiat ſe biſsino ſplẽdenti & candido. Biſsinum enim iuſtifica-

Chryſ. ad Neophy. Hom. 10. et citatur ab Augu. li. 1. cõtra Iulian.

2. Cor. 11. Epheſ. 5.

Eſai. 61.

Apoc. 19.

tiones ſunt ſanctorum. Hæc eſt igitur gratia noui teſtamenti per quam prædictis honoribus per ſacramenta Chriſti, aut ex eorum voto donamur.

CAPVT IIII.

Quid ſit gratia gratificans, & in quo ſita, & quis eius auctor ex Cyrillo alijsq́; Græcis patribus colligetur.

CAEterum quid ea ſit, & in quo poſita ſit, preſsius & particulatius explicare difficilè quidem eſt: Doctores tamen ad hunc modum aperire conantur: vt ſit cœleſtis & diuinus quidam habitus, quo diuinitus induimur & diſponimur vt apti ſimus regno Dei, quo velut lumine & fonte ſalutis in eſſentia animæ reſidente & ſplendente, diuinæ & ſupercæleſtes quædam virtutes in omnes animæ vires ſcaturiunt, quibus anima in Deum erecta, ſanata & ſtabilita, Domino Deo ſuo pro creaturæ conditione aſsimulatur, & ad imaginem eius ſplendore quodam mirabili transformatur, pulchra & formoſa in cōſpectu eius efficitur, ac vt ſponſa filia & amica diligitur: eſtq́; velut veſtis nuptialis, qua cœleſti conuiuio apta ſit & congrua; & ſtola, quæ ſit proprium filiorum ornamentū: Arra & pignus futuræ hæreditatis. Sicut enim per peccatū originale fuimus natura, id eſt, vitio naturæ inſito, filij

peccati

peccati:ſic & per gratiam ſumus quaſi natura, id eſt, dono naturæ indito, filij Dei, per quod reſtaurata natura velut naturaliter, promptè & ſuauiter in ſummum, beatificum & æternum bonum diſponimur, vt in illud digno & congruenti amore feramur & clamemus Abba pater; eſt enim quoddam amabile & beatificum diuinæ naturæ conſortium, quo nouum quoddam & diuinum eſſe recipimus, quo ſicut ipſe eſt, ſuæ bonitatis participatione & nos ſumus: Quemadmodum Petrus Apoſtolus ait, quod Deus per Chriſtum maxima & prætioſa donauit nobis promiſſa, vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ; vt quemadmodum veſtes aromatum participatione ſuauiſsimum odorem recipiunt & ferrum ignis participatione candeſcit & vrit: ſic homo ad imaginem Dei conditus diuinæ bonitatis participatione diuinus & deificus per ſpiritum efficiatur, de quo diuinus Cyrillus agens de ſpiritu ſancto ſic loquitur: Quaſi odor ſubſtantiæ Dei eſt viuens atque actiuus, à Deo ad creaturas quæ Dei ſunt tranſportans, ac participationem eius immittens: nam ſi aromatum odor propriam virtutem eorum veſtibus relinquit, & tranſmittit quodam ad ſeipſum modo ea in quibus adhæſit; quomodo Spiritus ſanctus, qui ex Deo naturaliter eſt, participes diuinæ naturæ eos non efficiet, in quibus habitabit? Hæc diuinæ bonitatis in

2. Pet. 1.

Baſilius in homil. de ſpirit. ſancto.

Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 2. Omnia q̄ habes mea ſunt.

anima participatio ſeu participata ex Deo bonitas, ipſa eſt gratia, quam gratificantem dicimus, quæ donum eſt diuinæ bonitati proprium, ab eius præſentia & inhabitatione, ſicut lumen à ſole dependens, ex cuius qualitate & excellentia idem Diuus Cyrillus & alij Græci volunt intelligi ſpiritum ſanctum eius authorem & principium ſeu fontem, verum eſſe Deum. Nam de hoc dono rurſus agens, Eum poſſe, inquit, facere, & concedere naturis dignitatem, quæ creaturā excedit, amplius ſit, quam ferat creaturarum natura & gloria, & ſpiritus deificet, quomodo eſſet creatus & non magis Deus? propriū enim huius gratiæ eſt Deificare, & quod omnium rerum appetibilium, iuxta Baſilium, ſummū eſt, vt videlicet ex ſpiritu Deus fias, nimirum participatione & conſortio quodam mirabili, cuius ratione ſpiritus ſanctus in nobis habitat, & filios Dei nos conſtituit, Ideoq; hoc donum prorſus ſupernaturale & ſuperſubſtantiale ſic cenſeri debet, vtpote, quo ſupra naturę ſtatum & facultatem homo attollitur, &, vt ait S. Bonauentura, ſupra naturale complementum omnis creatura in eo honore conſtituitur, vt, ſicut dictum eſt, in templum Dei conſecretur, & in filium adoptetur. nunquam enim, ait Cyrillus ad ſupremæ naturæ imaginem humilitas noſtra conſcenderet, niſi à ſpiritu, voluntate videlicet patris pulchrè conformaretur. Et in Dialogo: vbi, inquit, Deo conditore animal hoc, id eſt, homo ſuę naturę rationibus abſolutū eſt, accipit

D. Cyrill. initio libri de ſpiritu ſancto.

Baſil. de ſpiritu ſancto ca. 9. & in homil. de ſpiritu ſancto Deus cauſam vt dij ſūt neceſſe & Deū eſſe.

Gratia eſt ſupernaturalis.

Cyril. 12. in Ioannē cap. 56.

accipit ſtatim ſimilitudinem ad illum. Inſculpta eſt ei diuinæ naturę imago, inſpirato ſpiritu ſa. vnde etiam cœleſte & diuinum bonum hoc donum eodem dialogo nominat: & alibi de eodem loquens: Creatura cum ſerua ſit, voluntate patris ad ſupernaturalia vocatur. Et rurſus: Aſcendamus ad ſupernaturalem gratiam per Chriſtum. Supernaturalem verò dicit, non ſolum quia corruptæ naturæ facultatem excedit, ſed quoniam nulla creata natura eam ex ſe habere poteſt, neque vlla lege vel neceſsitate naturæ debetur, & omnem ordinem & proportionem naturæ ſuperat. Agit enim Cyrillus de hoc dono prout Adæ primo parenti datum eſt, quem ſpiritus ſui participatione Deus muniuit, quando ſpirauit Dominus in faciem eius ſpiraculum vitæ: Et non abſque ſanctificatione Spiritus, inquit, animam datam homini ſignificat nec à diuina natura pœnitus deſtitutã. Nam ſi vel ex principijs integræ naturæ haberi potuit, iam non eius erit excellentiæ vt ex ea colligi vel doceri poſsit, ſpiritum ſanctum proprium eius authorem eſſe Deum, non magis quam naturam ipſam eſſe deam vnde procederet: Et quæ eſt naturæ poteſtas vel lex vt ad ſtatum filiorum Dei & honorem templi ac ſponſæ Dei eleuetur? ſed hanc poteſtatem dedit Deus hominibus qui Chriſtum recipiunt, vt eius merito per ſpiritum ad hanc gratiam aſſumantur.

Cyrillus in dialogo & lib. 1. in Ioãnem c. 15.

Cyrill. in Ioan. lib. 12. ca. 56.

CAPVT V.

Proprium fructum gratiæ eſſe charitatem: deque differentia inter opera ex gratia gratificante & ex natura profecta, deque octo meriti cauſis.

HVius gratiæ proprius quidem fructus eſt charitas, qua clamamus Abba pater & Deum ſicut filij patrē colimus: Non tamen ex ſola perfectione & magnitudine operum dignitas eius æſtimatur, ſed ex deifica affectione, qua diuinè erga Deum in ſpiritu diſpoſiti ſunt, qui eſt ſplendor & decor quidam vultus animæ, vnde ipſa & omnia eius opera, quæ inde procedunt, accepta ſunt coram Deo, quo, ſicut antea dixmus, in ipſa eſſentia animæ commorante, fit vt quaſi naturaliter & ex intimis naturæ principijs, affecta ſit anima in Deum vt patrem & ſponſum ſuum, & in proximos velut in conciues & domeſticos Dei: & quemadmodum lumē colores perficit, illuſtres & conſpicuos facit; ſic diuina hæc gratia virtutes proferens, eas ſuo ſplendore gratas & acceptas reddit, ſic vt magis coram Deo modus attendatur, quo bona opera ex gratia procedunt, quam ipſa ſubſtantia vel operum magnitudo. Sicut enim veſtes ex loco eburneo & aromātibus pleno elatæ alium ſpirant odorem, quā ſola earum habet natura: ita fructus ſpiritus aliū ex ſua radice ſaporem & odorem proferunt, quam ſi etiam ſimilia opera ex ſpiritu humano ederentur: tum quod alterius ſint efficatiæ ali-

tiæ aliterq; viuant opera quæ ex ſpiritu profluunt; tũ quod ipſa dignitas habitaculi Dei ſeu hominis, qui Deo ſecum morante operatur, ipſis operibus plus quam à nobis intelligi poteſt, dignitatis & ponderis adijciet. plurimum enim ad operũ æſtimationẽ facit perſonę laborãtis dignitas, vt aliter ſudor & labor filiorum regis æſtimari debeat, quã ſeruorum, etiam ſi ꝙ ad ſubſtãtiam attinet, ille minor ſit. Vnde fit vt qui per regenerationẽ vel reconciliationẽ hac gratia decorati ſunt, alijs qui nondũ renati vel reconciliati ſunt, longè perfectiores ſint apud Deum, propter hoc gratiæ donũ, maioresq́; reputẽtur & æſtimẽtur: id ꝙ D. Cyril. pulcherrimè docet exẽplo Ioan. Baptiſtæ, quẽ cõſiderat ſub perſona hominis qui ad extremũ humanę virtutis ꝑuenit, non tamen ex ſpiritu renatus eſt. Pertractans enim ſententiã Dñi: Inter natos mulierũ, non ſurrexit maior Ioan. Baptiſta, qui aũt minor eſt in regno cęlorũ maior eſt illo: Cum, inquit, multa magnaq́; de Ioãne dixiſſet, & ſummũ inter natos mulierũ eſſe ipſũ affirmaſſet, q: ad extremũ humanæ virtutis perueniſſet, maius bonũ poſtea ponit, meliorem q́; dicit atq; maiorẽ eũ, qui iã regnũ cęlorũ tetigerit & filius Dei factus ſit per Spirit. S. renatus, vt oſtenderet mirabilẽ eſſe Ioannẽ ꝓpter virtutes ſuas ꝑcipuas, ſed mirabiliores ipſo regni cęlorũ participes. maior igitur omnib. natis mulierũ inuenitũ, qui per S. S. renatꝰ eſt: Illi. n. filij carnis adhuc appellãtũ: iſti filij Dei ſunt, quẽ orãtes appellãt Abba pater.

Cyril. li. 3 theſauri cap. 4.

Quare

Quare etſi inter natos mulierum ſecundum humanam virtutem mirabilis Ioãnes ſit: qui tamẽ ipſo minores videntur in regno cœlorum, hoc eſt, renati per ſpiritum ſanctum, maiores ſunt, quia non mulierum nati, ſed Dei participes filij Dei ideo appellantur, etiam ſi minimi perfectioribus virtute, quaſi infantes, quia modo renati, videantur. Hæc D. Cyrillus, ex quibus præſtantiam & dignitatem huius muneris perſpicere licet, vt vnum opus in ſpiritu ex hac gratia factum, Deo gratius & acceptius ſit, quam centum millia, quæ vitam & odorem huius gratiæ non referunt. Deus enim ſpiritus eſt, & ideo qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Vnde Paulus hanc ſanctorum operum dignitatem & præſtantiam reſpiciens: Qui ſcrutatur, ait, corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. ipſe enim ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; vt quamuis opera (ſi ſpectentur quatenus à nobis proficiſcuntur) exilia ſint, magnum tamen & inenarrabile pondus habeant quatenus à ſpiritu ſancto procedunt, qui per hanc gratiam cor hominis inhabitans, diuino modo in homine & per hominem operatur, eum afficiendo, diſponendo, ordinando, eleuando, prout ſuperno regno, cui hominem adaptat, congruum & dignum eſſe nouerit. Quoniam enim beatitudo illa omnem naturæ facultatem & ordinem excedit, vt nulla opera quæ ſint illi regno proportionata, per ſe natura ædere queat; ſpiritus homi-

Ioann. 4.

hominem inhabitans eum ſuæ bonitatis participatione eleuat, vt homo ex ipſo Spiritu ſibi iam coniuncto & inhabitante, opera tali gloria digna proferre queat; Gratia enim operatur, ſed ex ſpiritu, quo influente homo per gratiam diuinè viuit & operatur. Quare etiam ſi quædam opera bona ex Dei munere, ſinè hac tamen gratificante gratia homo præſtare queat; multiplex tamen inter hæc & illa, licet ſimilia videantur, differentia, ſicut facile ex ſuperioribus deprehenditur. Prima eſt ex modo, quoniam filialiter & diuinè ex hac gratia opera procedunt, quibus homo Deo ſicut filius patri ſuo ſeruit & afficitur, non tantum ore dicendo Abba pater (quod prę ſumptuosè & mēdaciter à multis dicitur) ſed veraciter corde per gratiam hanc ſic ergà Deum affecto, ſicut filius erga patrem naturaliter afficitur. Eadem enim opera poſſunt à ſeruis & filijs in familia præſtari, ſed aliter accepta ſunt, quę filiali corde à verè filijs procedunt. Secunda differentia eſt, quod longè perfectius & conſtantius gratia gratificans, quàm natura aut alia dona, operatur. Deniq; ex ipſa dignitate fontis & ſpiritus vnde profluunt, maiorem æſtimationem, vti dictum eſt, ſortiuntur. Quæ omnia de gratia gratificante intelligenda ſunt, prout etiam in ſtatu innocentiæ primis parentibus ad regnum cœlorum capeſcendum neceſſaria fuit. Cæterum paulo amplius addendum eſt, & plura includit prout in ſtatu corruptæ naturæ poſt lapſum & peccata, requiritur. Adam enim

Differentia inter opera, ex gratia gratificāte facta & alia.

enim vt gratus & acceptus eſſet Deo, non õpus habuit ante lapſum redemptore, cui velut capiti membrum inſereretur, quia nullã captiuitatem incurrerat, ſed duntaxat vt rectè & congruè ad vitam æternam diſponeretur, quod per interna dona & virtutes gratiæ præſtabatur. Cæterum in lapſis, propter reatum peccati, amplius vt grati ſint exigitur: nempe vt velut membra Chriſto capiti, & tanquam palmites dulci & fructiferæ illius vineæ inſerantur, quo fiat, vt meritis Chriſti nũc homini applicatis, peccata præterita iuſtè ei non imputentur, & alia quædam peculiaria ſubſidia accipiat, quę in Chriſtiana vita & Chriſti confeſſione homini ſunt neceſſaria, vnde etiam fiat, vt in Chriſto & per meritum Chriſti, opera noſtra acceptentur: quę gratia eſt ſacramentalis, quam ex ſacris vel eorum voto recipimus. Gratia itaq; quę nos iam gratos Deo facit, in ea noſtri diſpoſitiõne poſita eſt, ſecundum quam ſpiritus Chriſti in nobis habitat & membra Chriſti conſtituit, vt ex eo tamquam noſtro ſpiritu filialiter in Deum & Chriſtum moueamur. Nihil enim poſt naturæ corruptionem gratum & acceptum eſt Deo, niſi quod etiam Chriſtum & hunc crucifixum redolet, ſic vt Chriſti mēritis initi debeat, & Chriſto crucifixo ſeruiat, ideóq; Paulus: nemo, inquit, in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu, & nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in ſpiritu ſancto. Qui igitur mirantur, quo pacto in tãta vitæ noſtræ imperfectione, qua etiam iuſti langui-

D. Thom. 3. parte q. 62. ar. 2.

Quid gratia ſacramentalis ſit.

1. Cor. 12.

languidè cum multorũ peccatorũ admixtione operãtur, poſsint opera aliqua tam grata & accepta eſſe Deo, vt apud ipſum vitam mereantur æternã: has breuiter cauſas conſiderent, quas D. Bonauentura in cõpendio Theologiæ valde eleganter commendat. Prima eſt, inquit, efficacia doni Spiritusſa. cooperãtis in meritum. Secunda veritas Dei promittentis. Tertia perſuaſibilitas liberi arbitrij cõſentientis & finaliter perſeuerãtis. Quarta difficultas ſtatus merẽdi. Quinta dignitas Chriſti noſtri capitis interueniẽtis, quod glorificari debet in mẽbris ſuis. Sexta liberalitas Dei retribuentis quem non decet parua reddere. Septima obſequiũ ſibi fideliter obtemperantis. Octaua, nobilitas operis, quod ex charitate procedit, ꝙ tantum ponderatur in cõſpectu iudicis, quantũ amor ex quo procedit, cuius in amante nõ alia ratio eſt q̃ ipſa bonitas Dei, qua ſummũ & beatificũ ipſe bonum eſt; ſed de meritis alium tractatum edidimus. Hæc quatenus ad explicationem gratiæ pertinent, breuiter dicta ſint. *Cauſa meriti octo.*

CAPVT VI.

Quæſtiones aliquot ex dictis diſſoluuntur.

HIs probè conſideratis nunc oſtiũ patet; & facilis eſt ad multas cõtrouerſias reſponſio, vnde ſcãdala ſæpè ſolent exoriri. I. eſt qua quęri ſolet: An primus homo ſine gratia creari potuerit, & ſi ſic, an in gratia creat⁹ ſit? Vbi manifeſtũ eſt, ꝙ ſine gratia gratificãte creari potuerit, qa nulla fuit neceſsitas vt ad tantum *Controuerſia. 1. quæſt.*

tantum honorem ſtatim aſſumi debuerit; quin ſine vitio donum illud ad tempus differri, & per humile obſequium tandem obtineri potuerit, ſicut fieri potuiſſe diſertè tradit Diuus Auguſtinus de libero arbitrio: Quòd verò in hac gratificante gratia creatus ſit, longè probabilior eſt ſententia, quemadmodum de Angelis teſtatur Auguſtinus, quod eos dominus creauerit, ſimul in eis cōdens naturam & largiens gratiam. Et de Adam D. Cyrillus: Quando ſpirauit Dominus in faciem eius ſpiraculum vitæ, ſui ſpiritus, ait, participatione eum muniuit, & non abſque ſanctificatione ſpiritus animam datam homini ſignificat, nec à diuina natura pœnitus deſtitutam. Et ſcriptura: Creauit illis, inquit, ſcientiam ſpiritus, & ſenſu impleuit cor eorum, & mala & bona oſtendit illis. Poſuit oculum ipſorum ſuper corda illorum oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomē ſanctificationis collaudent: & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrēt operum eius. Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos, teſtamentum æternum conſtituit cum illis & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis: Quæ manifeſtè gratiam gratificantem arguunt. Quod etiam ſimilitudo poſtulat, ad quam initio creati ſunt: Faciamus, ait Dominus, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: vbi imago ad naturam, ſimilitudo ad virtutes & gratiæ participationem, iuxta veteres doctores, pertinet. Quamobrem ſi quando hæc

Aug. li. 3. de lib. arbit. c. 20. & ſeq.
Aug. 12. de ciuit. Dei cap. 9.
D. Cyrill. 12. in Ioannē c. 56
Eccleſ. 17.
D. Leo ſermo. 1. de ieiunio, & de paſſione 15.

primi

primi hominis dignitas naturalis dicatur, proculdubio eo ſenſu debet intelligi, quod eam homo in ſua creatione ſimul cum natura recepit. Deinde ſi quæras: An quicquid gratiam præcedit, in homine vitioſum & peccatum ſit; quia ex modò proponendi de gratia gratificante videtur intelligi, quę antonomaticè dicitur gratia, & ſola in homine bona opera comitari poteſt: certiſsima reſponſio eſt, quod non: quoniam non ſolum politica & honeſta quædam opera naturali luminé ſine gratificante dono præſtare poſſimus, ſed etiam ex fide nos ad eam pœnitentiam pręparare: ideoq́; rectè in Luthero dānatum eſt, tanto hominem grauius peccare, ſicut impiè aſſerebat, quanto vehementius nititur ad gratiam ſe diſponere. item ante gratiam omnia in homine peccata eſſe, liberum arbitrium ſine gratia nihil valere, niſi ad peccandum. Sic enim iſta à Luthero elata ſunt, vt cōmunibus auribus de gratia gratificante dicta videantur, ſicut ipſe Lutherus ſe accepiſſe ſignificat, quando dicit ante amorem gratificantem; omnia in homine peccata eſſe. Et hæc de ea gratia nunc dicta ſufficiant, de qua primus & ſecundus erat Pelagianorum error. Sed, vt dictum eſt, piorum vocibus preſsi his errorib. relictis eò tandē confugerunt, vt dicerent fidem, & bonū propoſitum, & in bono permanendi voluntatē ex nobis ſine Chriſti gratia prouenire. Contra quem errorem non minori ſedulitate & diligentia à maioribus laboratum eſt, & con

Proſper cōtra Caſſianum. Fulgētius de incarnatione, ca. 23. 24. 25. 2. quæſtiō

Artic. 36. Conc. Trident. canone 7. dē iuſtificatione.

futatur ab Auguſtino clariſsimis ſcripturæ ſententijs. Primum ad Simplicianum in lib. 1. quæſt. 2. de ſpiritu & litera capit. 33. toto libro de prædeſtinatione ſanctorum, de bono perſeuerantiæ, epiſt. 106. & 107. ſimiliter & libris de gratia Chriſti, & de gratia & libero arbitrio, vbi docet, ſicut veritas habet, credere opus eſſe gratiæ, quam nobis attulit ſecundus Adam: non naturæ, quàm totam perdidit in ſemetipſo primus Adam. Cumque Auguſtino à nonnullis contradiceretur, varijs & frequentibus contra inimicos gratiæ diſputationib. eò peruentũ eſt, vt clariſsimè & certiſsimè definiretur, gratiã Chriſti ad ſingulos actus dari, quodq; in omnib. actib. cauſis, cogitationib. motibus, adiutor & protector orandus ſit Deus, atq; bonæ voluntatis exordia & incrementa probabilium ſtudiorum & in eis vſq; ad finem perſeuerantiã, ad Chriſti gratiam referenda ſunt: Et rurſus: Omniũ bonorũ affectuum atq; operũ, & omnium ſtudiorũ omniumq́; virtutum, quib. ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum, inquiunt, fatemur authorem: Vbi non de ijs donis agitur, quæ Chriſtianis cum impijs & infidelibus cõmunia ſunt, ſed de eo propter quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, & propter quod ipſe paſſus, & mortuus eſt: agitur, inquam, de gratia qua Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quę totà propriè gratia dicitur & ad gratiam gratificantem velut principalem & præcipuam reducitur & ordinatur. De qua Chriſti gratia ge-

Auguſt. epiſt. 107.

Celeſtin. c. 9. 11. 12.

Aug. de gra. Chriſti cap. 2.

tia generatim accipitur, quod Paulus agnoſcit: Gratia Dei ſum id quod ſum: Et plus omnibus laboraui, non ego ſed gratia Dei mecum: & quod Dominus ait Paulo; Sufficit tibi gratia mea. 1. *Cor.* 15. 2. *Cor.* 12.

CAPVT VII.

Quid gratia Chriſti generalis ſit & in quo ſita.

HAEC Chriſti gratia cùm ad fidem & pœnitentiam & ad perſeuerantiam, &, vti dictum eſt, ad ſingulos actus neceſſaria ſit, quæritur quid ea ſit, & in quo poſita ſit? Deinde: quomodo ad ſingulos actus detur? pro cuius difficultatis intelligentia, conſiderandum eſt, ex quo ſtatu Chriſtus nos redimat, & ad quem ſua bonitate nos perducat. Quoniam enim per Adam, mortem animæ & corporis incurrimus, omnesque animæ vires per ipſum grauiſsimè læſæ, & in ordine ad veram vitam corruptæ ſunt; intellectus per infidelitatem, affectus per malitiam & concupiſcentiam: ſanè quicquid ad vitam vel curationem animæ pertinet, Chriſti gratiæ tribuendum eſt: venit enim ille inſtaurare, curare & ſaluum facere quod perierat. Fides igitur, ſpes, pœnitentia, timor Domini: quibus ab infidelitatis & malitiæ vulnere curamur, & ad gratiam adoptionis diſponimur, abſque omni dubio, gratię Chriſti tribuenda ſunt, de qua Petrus: 1. *Pet.* 1.

Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati: Rurſus, quicquid ad ſalutem nos promouet, & ipſa potiſsimum ſalus, eidem Chriſti gratiæ aſſcribendum eſt: venit enim in hunc mundũ peccatores ſaluos facere. Quamobrem omnia merita, mandatorum Dei obſeruatio, & in ijſdem perſeuerantia, certiſsimè dona Chriſti agnoſcenda ſunt, ſicut Apoſtolus

Rom. 8. teſtatur; Quòd impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de

Rom. 7. peccato damnauit peccatum in carne, vt iu-

1. *Cor.* 15. ſtificatio legis impleretur in nobis. Et iterũ; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia, inquit, Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et ad Corinthios. Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Quamquam igitur gratia gratum faciens proprijſsimè

Gratia gratũ faciens vnde dicta.

dicatur gratia, ſic dicta, quia gratis per Chriſtum data, hominem Deo gratum & amicum conſtituit, facitq; eum gratis & amore, non ſeruiliter operari; non tamen de ea ſola cõtra Pelagianos diſputatum eſt, ſed generalius etiã de dono Spiritusſancti quo per Chriſtum iuuatur noſtra infirmitas, vt ad hanc gratiam credendo & pœnitendo perueniat, & in ea ad finem vſque perſeueret: quod quidem Spiritus donum etiam propriè, ſed quadam analogia, gratia dicitur, quoniam gratis in

tis in Chriſto datur,& ad gratiam gratificantem diſponit vel ordinat. Generatim itaque donum Dei, quo nos in Chriſto dilecto filio ſuo gratificat, vel ad hoc nos præparat, diſponit, dirigit, cuſtodit & adiuuat, Gratia Chriſti propriè nũcupatur, quæ cùm ad credendũ & perſeuerandum, ſicut diximus, ſit neceſſaria, diligenter & grauiter à Doctoribus diſſeritur in quo poſita ſit hæc gratia: Vbi ſanè mihi hallucinari videntur, qui illam in generali Dei concurſu conſtituunt, quo ſingulis potentijs pro ſua qualitate & conditione cooperatur vt vniuerſalis motor & prima omnium actuum cauſa: tum quia per peccatum originale liberum arbitrium internè læſum eſt, inclinatum & viribus plurimum attenuatum, obtenebratum, languidum & concupiſcentijs ſub poteſtate dæmonis immerſum: ideoque donis internis & inhærentibus opus eſt, quibus oculi mentis illuſtrentur & aperiantur, cor hominis emolliatur, & homo de poteſtate dæmonis eripiatur & regno peccati liberetur; vbi ſi nihil aliud quàm generalis ille Dei concurſus homini adſit, prorſus non aliter quam vt infidelis & prauus viuet, ſicut arbor mala, non obſtante hoc concurſu, malos fructus facit: tum etiam, quoniam Chriſtus Dominus non ob id venit in mundum, quod lege naturæ omnibus creaturis commune eſt. Quemadmodum enim non apparet ſua humanitas, vt homo ambulet, agriculturam exerceat, comedat & bibat, ſed vt ſobriè iuſtè & piè viuat in

In quo gratia Chriſti poſita ſit.

Non eſt generalis cõcurſus.

uat in hoc ſeculo: ſic nec propter hunc communem ſupremæ cauſæ concurſum, qui omnibus pro ſua qualitate adeſt, ſuam bonitatem veniſſe credendum eſt. Deinde non ſatis hanc Chriſti gratiam explicare videntur, qui illam ſolum in præueniente quodã Dei auxilio conſtituunt, quo animam internè dũtaxat vocat, mouet, pulſat, excitat, & ſuadendo hortatur, quoniã his præſentib. licet voluntas acquieſcere poſſet & operari, fit tamẽ ſæpè vt nõ acquieſcat neq; operetur. Datur, inquã, per iſta poſſe credere & pęnitere, ſed nõ ipſum credere & operari. Chriſti verò gratiã talẽ vult nos fateri B. Auguſt. qua non ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verũ etiã perſuadetur, nec ſolũ reuelatur ſapientia, verum & amatur. Cũ enim Pelagius tria iſta diſtingueret, poſſe, velle, & operari, primumque Deo, cætera homini tribueret, repræhendit eum Auguſtinus, quia manifeſtè tradit Apoſtolus: quoniam Deus eſt, qui in nobis operatur non ſolum poſſe, ſed & velle, inquit, & operari. Nam & huiuſmodi preuiæ ſuggeſtiones & ſuaſiones per angelos fieri poſſunt, & vix aliam quàm doctrinæ & legis virtutem habẽt: Patres verò, ipſam voluntatem & actionem hominis voluerunt ſubminiſtratione ſancti ſpiritus adiuuari: Audit enim homo dicentem vel hominem vel Angelum, inquit Auguſtinus, ſed vt ſentiat & cognoſcat verum eſſe, quod dicitur, illo lumine mens eius intus aſpergitur, quod æternum manet & in tenebris lucet; Et de gratia

Non eſt ſola præueniens Dei motio vel ſuaſio.

Aug. de gratia Chriſti ca. 4. 5. 7. 10.

Aug. de gra. Chriſti ca. 34.

Aug. li. 1. *de pecca. mer. cap.* 25.

gratia Chriſti: Quantum attinet, inquit, ad iſtam de diuina gratia & adiutorio quæſtionem, tria iſtá quæ apertiſsimè diſtinxit, attédite, poſſe, velle, eſſe, id eſt, poſsibilitatē, voluntatē, actionē. Si ergo cōſenſerit nobis non ſolā poſsibilitatē in homine: etiā ſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoq; voluntatē & actionem, id eſt, vt bene velimus & benè agamus, quę non ſunt in homine niſi quādo benè vult & benè agit: ſi, vt dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus, eamq; eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſiæ relinquetur. Et in principio libri hoc vnicè poſtulat, vt quod verbo Pelagius profeſſus fuerat, corde & vero ſenſu teneret. Dixerat enim anathema omni qui vel ſentit vel dicit, gratiam Dei, qua Chriſtus venit in hunc mundū peccatores ſaluos facere, non ſolū per ſingulas horas, aut per ſingula momēta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros nō eſſe neceſſariā. Quare nō in hoc ſolū ponēda eſt gratia Chriſti, quod pręuia aliqua cor noſtrū inſpiratiōe pulſat, ſed quod per ſpiritū ſuū facit vt operemur, iuxta illud Prophetæ: Auferā cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritū meum ponam in medio veſtri, & faciā vt in pręceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. Vnde concludit D. Auguſtinus, Deum non ſolum

Aug. de grat. Chriſti, ca. 47

Aug. ca. 2

Ezec. 36.

Ezec. 11.

Aug. li. 3. cont. duas epiſt. Pelag. ca. 4. adiutorem, quod Pelagiani ſuo dogmati ſufficere exiſtimabant, verum etiam largitorem eſſe virtutis, quia videlicet virtutem quam præcipit vel conſulit, ipſe largitur & donat. Sicut de continentia Dominus ipſe loquens: non omnes, inquit, capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Et Paulus, vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic. Sapiens quoque: Cum ſcirem quia nemo eſſe poteſt continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum. Vnde de ſingulis ferè virtutum operibus, de quibus vel præcepta vel conſilia extant in ſcripturis, oſtendit & docet D. Auguſtinus eadem illa dari à Deo, quia dat Deus ſua bonitate, quod iubet, ſæpè id repetens: Da quod iubes & iube quod vis: Quæ verba Pelagius Romæ, cum à quodam Coepiſcopo Auguſtini fuiſſent eo præſente commemorata, ferre nō potuit. Teſtantur quoque ſcripturæ fidem ipſam pœnitentiam, charitatem, & victoriā à Deo dari: Nequando Deus, inquit Apoſtolus, det illis pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem. & Apoſtoli gentium audita conuerſione, glorificauerunt Deum dicentes, ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam: vnde conſtanter tradit Auguſtinus eos qui prædicato euangelio credunt, donum accipere à patre, quo credant, ipſiſque dari vt credant, ipſaque opera eſſe Dei dona. Cæterum nonnulli dum gratiam Chriſti diligenter ſecundum iſta tueri volunt, in tali

Matt. 19.
1. Cor. 7.
Aug li. 10 ca. 29. & 30. de bono perſeueran. li. 2. ca. 20. li. 2. cōtra duas epi Pelag. cap. 5.
2. Tim. 2.
Act. 11.
Aug. de prædeſt. ſanctorū cap. 8. De bono perſeuer. cap. 17.

eam

eam Dei operatione conſtituunt, vt ipſam libertatem & actiuitatem arbitrij non mediocriter lædant, & internis Chriſti donis, quibus hominem reparat, curat & ſanat, nõnullam iniuriam inferant, quaſi gratia ſit Dei operatio, qua hominem ſine internis & inhærentibus viribus velut miraculosè operari faciat. Non multò aliter, quàm ſi hominem abſque inſita & naturali potentia miraculosè ambulare faceret, quod prorſus abſurdum & à ſcripturis ac patribus alienum reputatur. Siquidem per fidem, ſpem, charitatem cæteraſque virtutes & dona, dominus hominem intus illuminat, curat & ſanat, vt iſtarum opera virtutum, ſint ei connaturalia, eaque velut naturaliter exerceat, ſicut cuidam dicitur: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare. Et Propheta gratias agẽs Deo: Domine Deus, inquit, clamaui ad te & ſanaſti me. Et rurſus. Benedic anima mea Domino, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Et de Chriſto Eſaias: Liuore eius ſanati ſumus. Et Sapiens: per ſapientiam, inquit, ſanati ſunt omnes quicunq; placuerunt tibi à principio. vnde Dominus ſe medicum profitetur, qui malè habentibus ſit neceſſarius, quique medetur contritis corde. Dicimur verò ſanari quia vires internas ad opera vitæ præſtanda recipimus, quibus tamquam talentis quibuſdam acceptis à Deo, fructuoſi ſumus, & potentes ad operandum etiam quando non operamur, velut ſufficientiam habentes ex Deo, qua pro rerum & temporum oportunitate

Gratia non eſt ſola Dei operatio.

Ioann. 5.

Pſalm. 29

Pſal. 102.

Eſaia 13.

Sapien, 9.

Matt. 9.

Eſaia 61.

2. Cor. 6. tate bona cogitemus & operemur: quam qui-
Hebr. 12. dem gratiam monemur ab Apoſtolo ne in
1. Cor. 15. vacuum recipiamus, & ne quis deſit gratiæ
Dei, de qua gaudet quod in ſe vacua non fue-
1. Tim. 4. rit, monetq; Timotheum, ne negligat gratiã
2. Tim. 1. quæ in ipſo eſſet, ſed reſuſcitet eam quæ da-
ta eſſet ei per impoſitionem manuum eius.
Et ob huiuſmodi virium defectum Petro di-
Ioann. 13. cebat Dominus: non potes me modò ſequi,
Matt. 26. poterat tamen vna hora cum Domino vigi-
lare, quoniam ad paſsionem vires non habe-
bat idoneas, quæ tamen ad orandum ſufficie
bant, quarum virium conſideratione rectiſ-
ſimè vult Auguſtinus, vt virgo quantumuis
Augu. de caſta, nõ præferat ſe mulieri coniugatæ, pro-
ſancta Vir pter occulta, inquit, dona Dei quæ non niſi
ginitate, interrogatione tentationis, etiam ſemetip-
cap. 44. ſum vnicuiq; declarat. forſitan enim virgo
propter aliquam incognitam ſibi mentis in-
firmitatem nondum eſt matura martyrio, il-
De bono la vero iam poſsit bibere calicem dominicæ
coniugali humilitatis. Ideoque ſicut in Petro & Ioan-
cap. 21. ne, quorum alter paſſus eſt, alter non eſt, nõ
impar agnoſcit patientiæ meritum, ſic in Io-
anne virgine & Abraham coniugato, par vo-
luit eſſe meritum, cõtinentiæ internum vir-
tutis habitum, quo aliquid agitur cum opus
eſt, cum autem non agitur poteſt agi, ſed non
eſt opus, idq; pro rerum & temporum opor-
Lib. 10. cõ tunitate & Dei voluntate. vnde etiam de ſe
feſſ. ca. 5. teſtatur idem Auguſtinus: Ego quibus ten-
& 1. Cor. tationibus reſiſtere valeam, inquiens, qui-
10. bus non valeam, neſcio, & ſpes eſt, quia fi-
delis

delis eſt qui nos no ſinit tentari, ſupra quam poſsimus ferre. Vides ab Apoſtolo & Auguſtino vires internas agnoſci, quibus tentatines nonnullas ſuperare, & bona quædam præſtare poſſumus, & ad hęc vel illa præſtanda idonei ſumus, iuxta illud quod ad Corinthios ſcribit: Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti: Et ad hæc quis tam idoneus? quibus etiam viribus dicuntur ſancti fortes in fide, pleni gratia & fortitudine, & potentes etiã freno circunducere totum corpus: quemadmodum & ipſa ſeries & connexio virtutum ab Apoſtolo armatura Dei nominatur, vnde poſsimus ſtare aduerſus inſidias diaboli: propter quam Dei armaturã Eccleſia & quælibet anima ſancta terribilis dicitur vt caſtrorum acies ordinata, & mulieri forti à Sapiente comparatur: & de populo Dei ſcriptum eſt: Cuius fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis; quam fortitudinem in interna ſapiẽtia & charitate Scripturę cõſtituunt: quia vir ſapiens fortis eſt, & fortis eſt vt mors dilectio. Vnde etiam qui per has virtutes ſegregat ſe à vaſis immundis, dicitur fore vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Huc pertinent etiam ſacramenta Chriſti per quæ gratia cõfertur interna, ſicut per Baptiſmũ regeneramur, renouamur & ſingulariter illuſtramur: per Confirmationẽ roboramur, per ſacrã Euchariſtiã nutrimur & creſcimus, per pœnitẽtiam reparamur, & per alia ſimiliter interna

2. Cor. 3. *1. Petr. 5.* *Hebr. 11.* *Iacob. 3.* *Epheſ. 6.* *Cantic. 6.* *Prou. 31.* *Num. 24.* *Prou. 24.* *Cant. 8.* *2. Tim. 2.*

& inhæ-

& inhærente gratia perficimur. Huc quoque referendum eſt, quod elegãter tradit Auguſtinus: duobus modis contingere quod nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Tanto enim quidq́ue vehementius volumus, quantò certius, quàm bonum ſit, nouimus, eoq́ue delectamur ardentius. Ignorantia igitur, inquit, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates; qua vti non adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt non in Deo. Ex quibus conſtat internas agnoſcendas eſſe gratias, quibus ignorantia & infirmitas curantur, ex quibus natura iam ſanata & eleuata, virtutum exercitia, velut connaturali & delectabili cooperatione, præſtet & operetur.

Aug. li. 2. de pecca. mer. c. 17.

CAPVT VIII.

Differentia inter vires naturales & virtutes infuſas & quomodo gratia detur ad ſingulos actus.

CAeterum vires iſtæ inhærentes & permanentes, non tales ſunt, quę cum viribus & potentijs naturalibus per omnia comparari queant, quas Diuus Auguſtinus ſeminales vocat cauſas, ſeu rationes naturaliter

liter ab authore naturæ rebus inſitas. ſecundum quas pro earum qualitate & conditione res illas pro ſua prouidentia Deus adminiſtrat, generali illo concurſu, de quo ſupra diximus, eis concurrendo: Huiuſmodi ſine dubio non ſunt dona & vires quas diuinitus ad benè operandum accipimus, primum, quoniam iſtæ nõ tam perfectè in nobis ſunt, neque tam firmiter velut ex natura prodeuntes inhærent; ſed velut lumẽ in aere ſpiritus ſancti illuſtratione cordibus noſtris aſſperſæ ſunt. Deinde quia habent perpetuò ſibi repugnantem morbum concupiſcentiæ, qua homo velut pondere quodam naturali ſemper in contraria trahitur, per quam etiã Diabolus noſter aduerſarius varijs technis & occaſionibus facilè poteſt nos fallere, qui etiam ſine concupiſcentia imperfectè cognoſcimus & diligimus Deum. Deniq; quoniam per hæc dona ſupra propriæ naturæ cõditionem & facultatem erigimur, eleuamur, & velut rapimur ad finem ſupernaturalem & beatificum in videndo Deo bonum, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit: qui in ſanctiſsimis ſuis iudicijs & vijs ſeu operibus, omne rationis lumen, omnemq; æſtimationem humanam excedit, propter quod ſupernaturalibus virtutibus & donis ſuperſubſtantialibus indigemus, quibus ex altiori quàm naturalis luminis principio, ad finem tam ſublimem moueamur. Propter has differentias, homo in his virtutibus (quibus ad credendum,

dum, ſperandum, pœnitendum & alia pietatis ac iuſtitiæ opera præſtanda diſponimur) opus habet ſingulari eoque diuino ſpiritu, quo per eas in hunc finem, præter naturam contra concupiſcentias & diaboli inſidias feratur, dirigatur, deducatur, iuxta illud Apoſtoli: Qui ſpiritu Dei agũtur, hi filij Dei ſunt, & in Pſal. dicitur: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Si enim vires in homine naturales ſine ſpiritu humano nihil omnino valét, ſed mortuæ ſunt, & ſpiritu per aliquam rationem impedito nihil omnino homo præſtare poteſt: multò minus aliquid veræ virtutis aut iuſtitiæ per internas iſtas ſpirituales virtutes poteſt operari, niſi per inſtinctum & aſpirationem Spiritusſancti continuo iuuetur & agitetur; ſicut ſcriptum eſt: nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in ſpiritu ſancto. Id quod pereleganter tradit D. Auguſtinus in Ioannem ſcribens, vbi multis recitatis virtutibus: Semper, inquit, hæc tenenda ſunt; quià intus ſunt omnes iſtæ virtutes quas nominaui. Quis autem ſufficit omnes nominare? Quaſi exercitus eſt imperatoris, qui ſedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum ſuum agit, quod ei placet: ſic Dominus Ieſus Chriſtus incipiens habitare in interiore homine noſtro, id eſt, in mente per fidem, vtitur iſtis virtutibus quaſi miniſtris ſuis. Gratia itaque Chriſti ſaluatoris noſtri, propter quam in hunc mũdum venit, poſita eſt, tum in internis donis & vir-

D. Aug. tract. 8 in epiſt. Ioannis.

In quo gra. Chriſti poſita ſit.

& virtutibus quibus habitualiter ſeu virtualiter ad opera virtutum afficimur, diſponimur & præparamur: tum in aſpiratione & cooperatione ſpiritus ſancti, qua ſingulis operibus nos adiuuando cooperatur, cum protectione & cuſtodia contra inſidias inimici: atque ad hunc modum gratia datur ad ſingulos actus: Non quod in ſingulis actibus nouæ virtutes neceſſariæ ſint (abſit) ſed quia ſingulis actibus dignatur Dominus Ieſus ſpiritu ſuo cooperari, hominem etiam protegendo, cuſtodiendo ac dirigendo iuuare ne actus impediantur; qua ratione pro ſingulis cũ pręſtiti ſunt, gratias agere ſeu gratum perpetuò animũ habere, & vt dignetur in omnibus & ſingulis nos adiuuare, Dei benignitatem per Chriſtum orare debemus. Vnde Diuus Auguſtinus modum tradens, quo ſalubriter de hoc argumento in Eccleſia loquamur, dicit peccatores hoc modo admonendos eſſe: Apprehendite ſaluberrimam diſciplinam. Quod tamen cum feceritis, nolite extolli quaſi de operibus veſtris, aut gloriari quaſi hoc non acceperitis: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: & à Domino greſſus veſtri diriguntur, vt eius viam velitis. Et hæc de gratia quæ propriè Chriſti eſt, dicta ſint, qua videlicet ex damnatione ſeu morte in ſalutem dirigimur & iuuamur.

Augu. de bono perſeueran. li. 2. c. 22.

CAP.

CAPVT IX.

Rurſus de concurſu Dei generali, auctor agit fuſius.

CAEterum vt ea plenius intelligatur, & natura eius propius apprehendatur, nõ inutile fuerit paulò fuſius diſſerere, quo Deus vt cauſa vniuerſalis, omnibus actionibus & motibus etiam naturalibus, vt ſupra attigimus, concurrit. Licet enim cõtra Pelagiũ propriè de gratia Chriſti quæ Chriſtianis propria eſt, diſputatum ſit; ſerie tamẽ & ordine diſputationis; prout vnumq; ex alio deduci vel manifeſtari ſolet, affectũ eſt, vt etiam de hoc concurſu contra eoſdẽ ageretur. Nam apud D. Hieronymum Crytobulus Pelagij nomine ſic obijcit: Si in ſingulis rebus quas gerimus Dei vtẽdum eſt adiutorio, ergo & calamum temperare ad ſcribendum & temperatum pumice terere, manumq́ue aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere & cætera huiuſcemodi, niſi Deus iuuerit, non poterimus. Reſpondet Atticus Catholicus: Iuxta meum ſenſum non poſſe perſpicuũ eſt. Et ad Cteſiphonten: Audite quæſo ait Hieronymus, audite ſacrilegum. Si inquit voluero curuare digitum, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam dirigere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium

D. Hierõ. lib. 1. aduerſus Pelagium.

ſariũ erit? Audi ingrate imo ſacrilege Apoſt. *1. Cor. 10.*
prædicantem: Siue manducatis, ſiue bibitis, *Colloſ. 3.*
vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei
facite. Et illud Iacobi: ecce nunc qui dicitis *Iacob. 4.*
hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatẽ
& faciemus ibi quidem annum & mercabi-
mur, & lucrum faciemus (qui ignoratis, quid
erit craſtino; quæ eſt enim vita veſtra? vapor
eſt ad modicum parens, & deinceps extermi-
nabitur) pro eo quod dicatis, ſi Dominus vo-
luerit; & ſi vixerimus, faciemus hoc aut il-
lud. Addit Hieronymus: Iniuriam tibi fieri
putas & deſtrui arbitrij libertatem, ſi ad De-
um ſemper authorem recurras, ſi ex illius pẽ-
deas voluntate, & dicas oculi mei ſemper ad *Cõtrouer-*
dominum & cæt. Agnoſcit ergo vir ſanctus *ſia de ge-*
& vult nos etiam in naturalibus operibus *nerali*
auxilium Dei confiteri: de quo tamen non *Dei con-*
exigua inter Doctores controuerſia eſt. Du- *curſu.*
randus enim non aliud hic auxilium neceſ- *Durand.*
ſarium conſtituit, quam quia Dominus res i- *in 2. diſt.*
pſas cum potentijs & viribus ſuis naturali- *1. quæ. 5.*
bus conſeruat, naturam & qualitatem ipſa-
rum; prout ab ipſo conditæ ſunt, continuã-
do & cuſtodiendo: Quoniam, inquit, actio
quæ non excedit virtutem agentis, ſufficien
ter ab eadem virtute producitur. Fruſtra i-
gitur aliud principium eiuſdem actionis re-
quiritur. Nã fruſtra alioqui videbitur Deus
rebus ab initio ſua quibuſq; indidiſſe ſemi-
na, vnde ſibi ſimilia ſecundum genus & ſpe- *Geneſ. 1.*
ciem ſuam producerent. Deinde abſurdum
videtur, quod diuina maieſtas malis & pra-

uis actibus peccatorum, qui etiam motus & actiones ſunt, aliter concurreret, quã quod potentias & vires naturales, quibus illa perpetrantur, non obſtante illorum malitia, ſua bonitate conſeruet. D. Thomas verò, D. Bonauentura & plæriq; alij ſcholaſtici doctores, præter hanc virtutem naturalium cõſeruationem, volunt ipſas vires & potentias diuinitùs ad opera & actus applicare, & ab ipſo Deo, tamquam primo immobili motore, motus omnes & actiones procedere; quę ſententia ſcripturis & rationibus eſt conformior. Nam ad patris nos imitationem Dominus exhortans: Qui ſolem ſuum, inquit, oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Et Propheta: Qui dat niuem ſicut lanam, & nebulam ſicut cinerem ſpargit. Et iterum Dominus de volatilibus cœli & lilijs agri, loquens: Pater, inquit, cœleſtis paſcit illa: Et ſi fœnum quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Rurſus Propheta: manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis cõpegiſti me. Et pſalmo 102. totum naturæ curſum & ordinem, omneſq; rerum naturalium motus & actiones, in Deum authorem Dauid manifeſtè refert: Qui emittis fontes in conuallibus, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, &cæt.

D Tho. Bonauẽ. & alij plerique.

Matt. 5.

Pſal. 147.

Matt. 6.

Iob. 10.

Pſal. 102.

&cæt. Paulus vero Apoſtolus: neque qui plantat, inquit, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quibus ſcripturis ſatis luculenter oſtenditur, non tantum potentias & vires naturales, ſed actus ipſos & motus à Deo prouenire. Quod etiam D. Cyprianus pulcherrimè teſtatur his verbis: Hic ſpiritus ſanctus omnium viuentium anima, ita largitate ſua ſe omnibus abundanter infundit, vt habeant rationabilia, & irrationabilia, ſecundum genus ſuum, ex eò quod ſunt & quod in ſuò ordine, ſuæ naturæ competentia agunt. Non quòd ipſe ſit ſubſtantialis anima ſingulis, ſed in ſe ſingulariter manens de plenitudine ſua diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis diuidit & largitur, & quaſi Sol omnia calefaciens, ſubiecta omnia nutrit, & quod ſatis eſt & ſufficit omnibus commodat & impartit. Cuius rei neceſſitatem, Diuus Bonauentura rectè conſtituit in exeminentià & perfectione ac ſuperioritate diuinæ potentiæ ſeu primæ cauſæ, ſine qua fieri non poteſt vt effectus aliquis cogitetur: Tum ex indigentia, defectu, & debilitate creaturæ, quæ quoniam ex nihilo eſt, per ſe velut pōdere quodam in nihilū tendit. vnde omnis creata pōtētia ſeu virtus, quantū eſt de ſe, defectiua eſt, nec purè actiua, vtpote ab actu & operatione ſua diſtinctà, cuius proinde ſicut eſſe, ſic & operari ab illo dependet, qui purus eſt actus. Quia enim creatura per ſe vana eſt, & vapor (vt ex Iaco-

1. Cor. 3.

D. Cypri. ſermon. de ſpiritu ſancto.

D. Bonauēt. diſt. 37. li. 1. q. 1. & 37. li. 2. qua. 1.

bo audiuimus) ad modicum parens, neceſſè eſt, vt & in ſe ipſa & in ſuo operè per præſentiam virtutis diuinæ fulciatur & ſuſtẽtetur. Conſtituendus eſt igitur certus cauſarum ordo, quo ſuperioribus inferiores ſubordinatæ ſunt & ſub illis ex earum virtute agunt. Quemadmodum de finibus bonorum dicitur, quòd proximus finis virtute primi & vltimi finis agentem mouet, ita ſecundum agens primi agentis virtute operatur: non quia propriam virtutem & actiuas vires inſitas habeat, ſed quòd ſic rerum natura poſtulet, vt ſecunda & inferior creata cauſa, ſine ſuperioris concurſu & influentia propriam virtutem exercere nequeat. In quo quidem ordine id perdoctè quidam annotant, quòd ſic accipiendus ſit, vt neq; prima cauſa ſecundam, neq; ſecunda primam in opere ſecundę cauſæ pręueniat, ſed ſimul hęc ſub illa operetur. Summus enim rerum opifex Deus cauſas ſecundas inſtituens; ijſdem præſens adhæret, & velut quædam anima earum vel eſſentia, ſicut ex Cypriano dictum eſt, illis adeſt, eaſq; concomitatur, vt ex eo in ſuo eſſe, & opere ſuo fulciantur & ſuſtententur, ſeu in eſſe & fieri contineantur, ne videlicet vel nihil ſint, vel nihil operentur: quoniam ſine eo factum eſt nihil.

Gabriel Biel diſt. 37. diſt. 1. quæſt. 2.

CAP.

CAPVT X.

Quid ſit concurſus Dei generalis: & quod Deus non ſit auctor mali culpæ: & quomodo in malis, quomodoq́; in bonis naturalibus actibus operetur.

ITaque, ſi concurſum iſtum generalem paucis concipere velis, rectè dixeris eum poſitum eſſe in præſentia & adhæſione virtutis diuinæ, vnde actus in ſuo fieri dependēt. Cum enim agere præſupponat eſſe, & aliquid perfectionis adijciat, creatura nō minus à Deo in ſuo agere, quã in ſuo eſſe dependet. Cœterum non parum diſcriminis inter effectus naturales & liberam voluntatis actionem conſtituendum videtur. Nam naturales cauſas Dominus ſic conſtituit, vt illę naturaliter ad effectus ſuos ſint determinatæ, & effectus illi, cauſis ſuis poſitis, naturaliter conſequantur. Voluntatem verò ſeu liberum arbitrium ad certum aliquem actum non determinauit, ſed liberùm relinquens, adhęret tamē illi, vt ex eo poſſet velle. Quamobrem aliter quoque de motibus & effectibus naturalibus ſtatuendũ eſt, quod ad Dei concurſum attinet, quã de prauis noſtræ voluntatis actibus. In his enim, vt rectè à Gregorio Ariminēſi & D. Bonauentura notatum legimus, non ſic concurrit Deus, vt hominem præueniendo excitet, vel faciat vt homo malum agat (id enim ab ipſo fieri nõ poteſt, qui omnia ad ſe, qui eſt ipſa bonitas, 2. *diſt.* 37.

 conuer-

conuertit,) ſed hactenus tantum concurrit, quoniam amplitudine ſuæ virtutis voluntatem hominis comitatur vt actus voluntatis per ipſum poſsint ſubſiſtere, ſine quo, qui eſt ſummum & primum ens actuſque primus & ſupremus, nullum ens nulluſque actus ſubſiſtere poteſt: ſic, inquam, concurrit, quoniam actus ab ipſo dependent & in ſuo eſſe ſeu fieri ab ipſo fulciuntur & ſuſtinentur, non quod voluntatem ad eos inclinando moueat, aut illos per voluntatem producat vel efficiat (ab-
Iacob.1. ſit enim hoc ab illo, qui intentator malorum eſt, & neminem tentat) ſed quoniam ſine eius beneficio actus nullus ſubſiſtere aut exiſtere poteſt. Et ſi quæras: Quomodo ab illo dependent, ſi ab illo per voluntatem non producantur? Reſpondeo, quoniam ſua virtute ipſos in ſuo fieri ſuſtinet vt ſint; ſine quo, etiam poſita voluntatis potentia, eſſent nihil. Producit enim voluntas prauum ſuum velle ſeu nolle. Deo voluntatem & actum eius ſua bonitate ſuſtentante, vt eſt commune rebus & actibus fundamentum, cui in ſuo fieri vel eſſe innituntur; quemadmodum quis graue aliquod corpus volubile in aere, ſicut ait Diuus Bonauentura, tenet & ſuſtentat, ita Deus, qui eſt velut ipſum vniuerſale eſſe, rebus & actibus omnibus, vt ſint, manum ſubiectam habet, quæ omnia continet verbo virtutis ſuæ. Vnde facilè poteſt intelligi quod prauum velle & nolle,
quam-

quamquam eis Dominus concurrat, non poſsint tamen ſuæ bonitati imputari: quoniam non facit ipſe, vt homo ſic velit, ſed maximæ ſuæ bonitatis & patientiæ eſt, quod illos in ſuo eſſe ſuſtineat, & voluntas malis actibus ſuæ virtutis præſentia abutatur; dum non niſi ab ipſo fulta & ſuſtenta, nihil omnium operari queat. Cum igitur ſine huiuſmodi Dei cooperatione nihil omnino eſſe vel fieri poſsit, & ordo rerum poſtulet vt & bona & mala fiant; non malè diuina prouidentia non ſubtrahit hoc virtutis ſuæ ſubſidium, ſine quo nemo poteſt ſimpliciter actum aliquem expetere: ſiquidem non ob id rebus hoc vniuerſale ſubſidium poſuit, vt quando factum eſt homo peccet, ſed vt aliquid fieri poſsit, de quo pro ſua qualitate diuina prouidentia diſponat & ordinet. Ex quibus ſtatue quòd non, ſicut rectè dicitur, quod Deus facit Solem ſuum oriri: ita rectè quoque dicatur quod Deus facit Iudam tradere: quoniam illud Dominus facit, quia naturam ſolis ad motum illum determinauit, & in illo eundem conſeruat & retinet; proditionem verò Iudæ non operatus eſt, nec voluntatem eius ad actum illum inclinauit, ſed tantum eam influentiam ſuæ virtutis non ſubtraxit, ſine qua motus ille ſubſiſtere non poterit. Secundo quoq; confidenter dicere potes, quod actus voluntatis malus non eſt, neq; fit à Deo, ſed ſuſtinetur, &

Deo velut fundamento quodam nititur, nã quicquid nonnulli de natura actus & ratione peccati diſtinguant, & laborioſiſsimè a-
Ioan. Capreolus 6. & 7. & 5.
ctum peccati à peccati ratione diſcernere conentur: nihil amplius tamẽ tam operoſa diſputatione efficiunt, quàm quòd Deus actum illum producendo non peccet, quodq́; actus rationẽ peccati induat, nõ ex eo, quòd à Deo procedit, cui nihil eſt prohibitum, ſed ex eo capite, quod ab homine committitur, cui talis actus prohibetur. At verò natura diuinæ bonitatis amplius nos confiteri compellit, quòd videlicet non ſolum diuina Maieſtas nunquam peccet, ſed quod etiam nemini cauſa eſt vt id faciat quod peccatũ eſt; quod tamen concedendum foret, ſi Deum dixeris actum volũtatis qui malus eſt effectiuè producere, voluntatem ad illum inclinando: ſiquidem manifeſtũ eſt, quod hac ratione diuina bonitas author eſſet vt voluntas peccaret, mouendo nimirum ad illum actum, qui, vt à voluntate procedit neceſſariò, pec-
Gregor. Arimin. 17. & 5.
catum eſt. Attamen ſi cum Gregorio Ariminenſi, paulo ſublimius mentem attollendo dixeris: quod Deus non quidem voluntati vt actum illum exerceat, cauſa vel author ſit, ſed quod in ipſum actum, dum fit à voluntate, proximè & immediatè influat: ſicut eſt primum & ſupremum omnium principium, à quo quicquid quoquomodo eſt, dependet & in eſſe ſuſtinetur: iam in illum cõcurſum, quem antea poſuimus, relaberis, & rectè hac conſideratione ſuſtinere poteris actũ illum,

vt actus

vt actus quidam eſt, à Deo prima omnium cauſa fieri, qua ratione commodiſsimè tam ſaluantur pulcherrima illa philoſophica fundamenta, quibus Doctores in hoc argumento nituntur, & euitantur abſurda ad quę ſolēt deducere. Nam qui dixerit actus iſtiuſmodi non eſſe à Deo, duplici errori proximus videtur: prior eſt, quoniā ex eo ſequi videtur, quod ſint plura prima principia, ſi voluntas per ſe, ſine ſuperioris in actum influentia, actum aliquem producere poſsit. Poſterior eſt, quòd ſequeretur aliquā eſſentiā ſeu naturam exiſtere quæ à Deo non eſſet: quem tamen pietas omnium entium principium & authorem confitetur. Fundamenta verò, quib. ſolēt niti, ſunt huiuſmodi: Quicquid exiſtit diſtinctum à Deo, non eſt ſuum eſſe vel ſubſiſtere, ſed hoc aliunde participatum habet, non à ſe ipſo, (quia nihil ſeipſum facit) ſed ab illo qui per ſuam eſſentiam eſt ipſum eſſe: ideoq; omnis actio, quæcunque ea ſit, ab illo ſupremo ente velut quædam eius participatio deriuatur. Rurſus: Omnis motus eſt à primo mouente, quod eſt Deus. Sed actus vel actio quælibet eſt quidam motus, eſt igitur à Deo. Conſiderabis igitur diuinæ maieſtatis amplitudinem velut ipſum vniuerſale eſſe, cuius participatione eſt quicquid aliquem eſſendi modum habet. Quibus adde naturam boni iuxta B. Auguſtin. in modo, ſpecie & ordine conſiſtere, quæ cū in quolibet actu reperiantur, manifeſtum eſt hactenus omnem actum à Deo proue-

D.Thom.

Augu. de natura boni cōt. Manich. præſertim cap. 23.

 nire.

nire. Cæterùm quoniam actus malus, quatenus à voluntate progreditur, à recto modo, ordine & ſpecie deficit, propterea nulla ratione tolerandum vel dicendum eſt, quod diuina bonitas voluntatem ad ipſum moueat vel inclinet, licet actui ſecundum ſe, prout actus quidam eſt, ſuam habēs ſpeciem & ordinem, immediatè concurrat, velut fundamentum à quo dependet, & cui ne nihil ſit innititur: non multo aliter quam ſi proprius rei dominus in furto, quod ei diſplicet, hactenus ex cauſa concurrat, non quod author ſit furi vt rapiat, ſed propter melius manū ponderi ſubijciat, quod fur ſolus ferre non poteſt: vbi fur quidem peccat, ſed dominus neque peccat neque furem peccare facit. Cæterùm in naturalibus & ijs quæ mala non ſint, amplius, ſicut antea dictum eſt, dominus operatur, hoc videlicet, quod cauſas ſecundas ad actus ſuos & motus ipſe quoque determinat & applicat, faciens eaſdem operari, non, ſicut etiam prius annotatum eſt, quòd ipſe ſemper nouo aliquo defluxu potentias naturales præueniat & ad operandū excitet, ſed quoniam ipſe cauſas ſecundas inſtituens, earundem & effectuum ipſorum manet ipſa prima & ſuprema cauſa, cuius virtute & influentia agunt ſecundæ quando-
Act.17. cunque operantur, iuxta illud Apoſtoli: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Nam ſecundæ cauſæ illi ſubordinatæ ſunt, & his ille ſic præeminet & adeſt, vt hæ ſimul cum ipſo, & ipſe ſimul cum his operetur. neque

aliter

aliter hæc prima cauſa ſecundis in cauſando prior eſt, quam quia ſuperior eſt, à qua inferiores dependent. Sic enim ſe habet bonitas Dei, vt continua ſua influentia cauſis inferioribus adſit, eaſque præſentia ſuæ virtutis velut comitetur, vt ex ipſo, in ipſo, & per ipſum ſint & operentur: quemadmodum virtute ſpiritus rotæ & animalia, de quibus Ezechiel, pariter ambulabant ſimulque eleuabantur, ibant & ſtabant: ſicut etiam de gratia teſtatur Apoſtolus: Plus omnibus, inquiens, laboraui, non ego ſed gratia Dei mecum. Hunc concurſum manifeſtè licuit animaduertere in fornace Babylonica, in lacu Danielis, in apprehenſione domini & in facto Abrahæ, quando filium immolabat, vbi hoc ſubtracto concurſu, neque ignis, neque leonum feritas, neque vires Abrahæ, quas iuxta Gregorium nunc laxauerat, naturales ſuas operationes perficere potuerunt. Hunc ergo generalem Dei concurſum in omnibus neceſſarium negabant etiam Pelagiani, vt ex Diuo Hieronymo nuper probatum eſt. *1. Cor. 15.*

CAPVT XI.

Quæ ſit gratia ad ſingulos actus bonos neceſſaria.

CAeterũ pro maiori elucidatione gratię Christi nunc pulcherrima, ſed difficilis oritur quæſtio, propter cuius explicationẽ, quæ

quæ nunc dicta ſunt de generali cócurſu inſeruimus, an videlicet gratia, quam patres tam ſerio in ſingulis pietatis actibus exigũt, non aliud ſit, quam hic diuinus & ſupremæ cauſæ generalis concurſus, & an cordibus noſtris per infuſas & inhærentes virtutes, quibus anima ſanatur, illuminatis poſsimus hoc ſolo concurſu, quædam pietatis opera præſtare, quoniam (vt D. Proſper contra Collatorem confitetur) ab illuminatis iam cordibus poſſunt ſalubres prodire conatus, qui ideo ipſius hominis propria eſſe dicantur, quia iam bonorum conatuum acceperũt facultatem, & eorum ſemina ad ſuum referuntur authorem: videtur enim per fidem homo ſatis inſtructus, vt bonum cognoſcat & per inhærentem charitatem ſatis affectus, vt cognitum bonum ſufficienter eum delectet, quæ vires ſunt animæ quibus ad præſtandum bonum ſatis videtur idonea. Sed pro contrario facit, quod hic concurſus, qui rebus omnibus communis eſt, & ad naturalem rerum conditionem pertinet, nõ videatur poſſe ad gratiam Chriſti referri, qui pro tali concurſu impetrando non venit in hunc mundum, ſed vt reſtauraret quod per peccatum amiſſum erat. Denique talem gratiam patres exigunt pro qua ſemper orare, & quãdo actus præſtitus eſt, Deo gratias agere tenemur, quod de generali hac cooperatione ſeu concurſu non ita ſtatuendum videtur: oportet, inquit, D. Proſper, fateri gratiã Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum ad facien-

D. Proſp. cont. Collatorem.

faciendum iuſtitiam nos per actus ſingulos adiuuari, vt in bonis quibuſq; voluntatibus humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium, repræhendenſque Collatorem; vult inquit nos, gratiam Dei non ad ſingulos actus accipere, ac proinde non pro omni bono opere ſemper orare. Et Hieronymus Pelagianos vituperans, ita Dei gratiam ponunt, inquit, vt non per ſingula opera eius nitamur, & regamur auxilio: & paulo poſt: ergo nequaquam vltra orare debemus nec ipſius clementiam precibus flectere, vt accipiamus quotidiè, quod ſemel acceptum in noſtrà eſt poteſtate: iſtiuſmodi homines tollunt orationem, philoſophantur & diſputant, ſi nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera eius eſt omne quod geſſero, &c. Rurſus velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. Deus ſemper largitor ſemperq; Donator eſt, nō mihi ſufficit quod ſemel donauit, niſi ſemper donauerit, peto vt accipiam, & cum accepero rurſus peto, fraudulenter prætendis vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras, & iterum poſtea: liberum arbitriū Dei innititur auxilio, illiuſq; per ſingula ope indiget. Auguſtinus verò: ſcimus, inquit, gratiam Dei maioribus ad ſingulos actus dari, ſed pro cōcurſu, quæ cauſis ſecundis in ſuis motibus neceſſarium & velut naturali lege ſemel poſita rebus ſemper adeſſe diximus, licet Deum benedi-

Hieron. ad Cteſiphontem.

Auguſt. epiſt. 107

benedicere, non tamen ſimiliter iubemur vel tenemur orare: ſicut gratia Chriſti aſsiduè poſtulatur, cumque ad illum diuinæ prouidentiæ ordinem pertinet, quo ſecundum naturales leges Deus res pro ſua cuiuſque qualitate adminiſtrat, non videtur ad gratiam Chriſti pertinere, qua Deus ſecundum conſilium in ipſo abſconditum ſalutẽ noſtram operatur. Porro manifeſtum quoque videtur gratias & virtutes inhærentes hic à patribus non intelligi, quas manifeſtũ eſt cum ſemel datæ diuinitus in nobis cuſtodiuntur, non ad ſingulos actus dari vel accipi. Neque enim quotieſcunque Symbolum fidei profitemur, vel eleemoſynam propter Deum largimur, opus eſt vt ſingulis actibus nouum fidei vel charitatis donum nobis infundatur. Pro huius itaque quæſtionis ſolutione diligenter perlegenda & annotanda ſunt, quæ D. Thomas 1. 2. tractat de inſtinctibus & inſpirationibus ac donis Spiritus ſancti, quibus conformiter iuxta ſuperiora dicendum eſt, quod patres licet in hoc argumento ſubinde verba ad hunc concurſum extendant, propriè tamen de illo non agũt, quando nos pro ſingulis volunt Chriſti gratiam implorare, eſt interim hæc gratia concurſui illi perſimilis, & quædam eius loco ſanctiſpiritus inſpiratio, cooperatio & directio, qua ſecundum inhærentes virtutes & dona mentem ad bonum pietatis inclinat, agitat, aſſpirat & cooperando dirigit; vt ſicut ex ſpiritu hominis humana, ſic ex

D. Aug. li. 9. de Gen. ad literã c. 17. & 18

Solutio quæſtionis.

D. Thom. quæſt. 68. 1. 2.

ſpiritu

ſpiritu Dei ſingula pietatis opera fiant: licet enim per infuſos & inhærentes habitus homo ad pietatem aptè diſpoſitus ſit, propter eorum tamen imperfectionem & hominis inſtabilitatem, qui quoniam imperfectè cognoſcit & diligit, debiliter pietati adhæret: ſimiliter & propter adhærentem morbum concupiſcentiæ, quo ſemper velut pondere ad malum inclinamur, item propter inſidias inimici & varias mundi occaſiones neceſſaria eſt, præter hos habitus perpetua ſpiritus ſancti aſpiratio, inſtinctus & directio, quo mentem velut in bono ſupernaturali ſemper languidam afflat, excitat, mouet, inſtigat, pulſat, agitat & contra inſidias & occaſiones mundi protegit, & ſic dirigat & gubernet, vt voluntatem ſuauiſsima ſua cooperatione ſingulos pietatis actus præſtare faciat. Vbi tria notari poterunt, Inſtinctus videlicet, Cooperatio, & directio, quorum ille actum præcedit, cooperatio verò ſicut cõcurſus generalis actum comitatur & ſimul cum eo eſt: Directio autem exterior Dei prouidentia eſt, qua curam hominis contra inſidias & impedimenta gerit. Gratia ergo, quæ ad ſingulos act⁹ datur & pro ſingulis petitur, paucis dici poteſt, ſuauis illa cooperatio S. S. qua cor hominis inclinãdo & dirigẽdo hominem facit operari, quæ quidẽ cooperatio, quoniã extra naturalẽ rerum ordinẽ eſt, nec cuiq̃ debetur, propriè gratia dicitur, q̃ Chriſt⁹ ſuo ſanguine nobis cõparauit, vt ſpiritus eius nos in ſingulis iuuare, nobiſq; cooperari digne- *Notandũ*

dignetur: eſtque talis concurſus, quo Deus vt pater miſericordiarum & fons gratiæ ſingulis actibus concurrit, & indeclinabiliter; ac inſeparabiliter ſpiritu ſuo cor agit & dirigit. hanc gratiam inſinuat Celeſtinus pontifex, quando ex B. Soſimo refert nos inſtinctu Dei ad fratrum conſcientiam vniuerſa retulimus, & paulo poſt: vt boni aliquid agant paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium.

Celeſtin. regul. 8.

C A P V T X I I.

Quæ gratia homini ab initio ad finem vſq; vitæ ſit neceſſaria.

VIdes igitur, Chriſtiane lector, quam variè neceſſaria fuerit, & ſit tibi gratia Chriſti, quamque multis nominibus ſuæ bonitati gratus eſſe debeas; quod vt clarius adhuc & euidentius intelligas, placet nunc ordine repetere, quæ gratia ab initio ad finé vſq; ſit neceſſaria; cum enim per peccatum originale omnes ex origine ſint infideles & impij, ſecundum ſeculum mundi huius ambulantes, ſecundũ principem poteſtatis aeris huius, in deſiderijs carnis ſuæ varijs errorib. & ſuperſtitionib. implicati, alienati à Chriſto & ſine Deo in hoc mundo, primum neceſſarium fuit, vt ineffabili Dei bonitate ad dominum, vnde declinauerat, homo vocaretur: vbi duplex gratia neceſſaria fuit, altera qua per Euangelij prædicationem foris inuitaretur: altera, qua cor intus ad accommodandum

Vocatiò. Euãgelij prædicatiò.

modandum aſſenſum moueretur, quæ gratia eſt fidei, & in hoc iuxta D. Auguſtinum poſita, quod mens lumine diuinitus aſpergitur & tali viſo tangitur, vt iam non ſtultum, ſicut antè per infidelitatem, ſed verè credibile & acceptandum videatur ſpiritu ſancto per pulſum & inſpirationem aſſenſum perſuadente. qui quidem aſſenſus habitualiter ſeu virtualiter in animo fidelis, remanens ac reſidens, vnde promptus & diſpoſitus eſt, vt loco & tempore actum fidei exerceat: ipſe eſt virtus & habitus fidei, quo nobis inhærente, fideles dicimur & ſumus, pro cuius exercitio, ſemper, vt antè diximus, neceſſaria eſt & luminis illius conſeruatio, & continuata illa ſpiritus aſpiratio ac directio, qua contra tentationes & hæreſes per intelligentiæ donum homo munitur. Atque hoc modo mens ſeu intellectus tenebris infidelitatis curatur & liberatur. Cœterum non ſtatim vt aliquid verum eſſe creditur, etiam ad praxin referendum & amplectendum iudicatur, multi enim, vt teſtatur Ioannes, crediderunt in Ieſum, ſed propter Phariſæos nō confitebantur, vt de Synagoga non eijcerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei; quamobrem vbi per euangelium ad pœnitentiam vocamur, dono Dei opus eſt, quo præter fidem veram pœnitentiam concipiamus, quod donum domi nus apud Ioannem inſinuat dicens; nemo poteſt venire ad me niſi pater, qui miſit me, traxerit eum; quem tractum Auguſtinus a-

Fides.

Aug. li. 1. de pecca. mer. c. 25. de ſpiritu & litera cap. vltimo, & in fine lib. 1. ad Simplicianū.

Ioan. 12.

Pœnitentia & quæ ad illam incitat charitas.

Ioan. 6. et Aug. ibi.

more, & inſpirata quadam voluptate fieri intelligit, cui dulcis eſt panis cœleſtis, ſicut poetæ dicere licuit: trahit ſua quemque voluptas, quæ in ſpiritualibus ſuauis eſt quædam affectio, vnde peccatum appareat homini malum, peruerſum, iniquum & deteſtabile, ſeruitus verò Dei bona æqua & amabilis, quæ eſt inſpiratus quidam amor ſeu complacētia boni & odiū vel diſplicentia peccati, vnde homo cooperante ſpiritu S. veram pœnitentiā & dolorē cum ꝓpoſito melioris vitæ cōcepit. Rurſus autem quoniā inæſtimabile ſeu inexpectabile & hominis æſtimationē excedere videtur, ꝙ homo peccator tantam ſalutē & gratiam apud dominū inuenire poſsit, vt non ſolum illi remittantur peccata, ſed adoptetur etiam in filiū Dei

Spes. & regnum cœlorū conſequatur, opus eſt dono fiduciæ, quo licet hoc arduum & difficile videatur, conſiderata tamen bonitate & miſericordia Chriſti, confortetur & erigatur, vt infirmam horum omniū ſpem & expectationem, ſpirituſancto ſimiliter aſpirante & cooperante, aſſurgat, quibus omnibus fide videlicet pœnitentia & ſpe vera ad iuſtitiā ꝑparatio conficitur, de quibus licet nōnulli aliquando ſenſerint quod, & pœnitentia & fiducia, ex ſola oſtenſione & demonſtratione fidei ſpirituſancto cooperante, ſine nouis alijs donis naſcantur & elici poſsint, quia tamen non ſolus intellectus per peccatum corruptus eſt, ſed præcipue cor & voluntas, quæ inordinato ſui amore tā peruerſa eſt, vt etiā

quod

quod intellectu bonum & plenũ eſſe ratione perſpicitur ſua libertate reijciat, & quod peccatum eſſe intelligitur, ſciens & volens amplectatur, hęc malitia contrario dono curari & tolli debet, eſtq; neceſſarium vt voluntati diuinitus affectio, & ſtimulus quidã imprimatur, vnde quod verè bonum eſt; placidum, amabile & appetibile fiat, quam cũ D. Auguſtino poſsimus dicere, primam boni cupiditatem, qua bonum dulceſcere incipit, quaq; fit in nobis vt ex benedictione dulcedinis Dei delectet in quá nos præuenit Deus & ſic afficit vt aſpirante & cooperante ſpiritu S. homo indeliberatũ amorem & proſecutionem boni & ſimilem mali deteſtationẽ ex lib. arbit. iudicio prorumpat. Hanc itaq; pręparationem; qua ſic diuinitus ad ſtatum gratiæ diſponimur, ſequitur iuſtificatio, quam per ſacrameta vel eorum voto ſine vllis præcedentibus meritis ſecundũ miſericordiam Chriſti percipimus, quæ poſita eſt in remiſsione peccatorũ, & gratia qua in mẽbra Chriſti & filios Dei adoptamur. Hæc maxima gratia eſt, quæ Antonomatice gratia dicitur, q̃ tamen ſic recipimus vt obicem & impedimẽtum eius infuſioni homo præſtare queat, cor & faciẽ à Deo ſuã auertẽdo. eſt enim velut lumen ꝙ ſuper vultũ animæ noſtræ Deũ reſpicientis & in ipſum intentę funditur. nã voluntaria reqritur in adultis ſuſceptio, qua cordis os aperiãt, & dona celeſtia accipiant, cũq; hęc adoptionis gratia in animæ eſſentia ſedẽ vt antea diximus, habeat, gratũ tñ Deo facit

Aug. li. 2. cõt. 2. epiſtol. Pelá. cap. 9.

Iuſtificatio.

Gratia gratũ faciens.

hominem, quatenus liberum hominis arbitrium filialiter in Deum conuertit, eique vt ſummo & beatifico bono ſubijcit, quod actualittr contingit, quando ex ſpiritu inhabitante per hanc gratiam cor ſic actualiter in Deum mouetur & dirigitur. Cęterum homine in hoc ſtatu iam inter varias tentationes conſtituto, grauis exoritur quæſtio, an ſine alijs donis poſsit ad finem vſque perſeuerare; ad quam congruè patrum ſententijs & verbis reſpondere debemus, neminem etiam baptiſmatis gratia renouatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adiutorium Dei perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit, & B. Auguſtinus: qui non infertur in tentationem non diſcedit à Deo, non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt, fuerat in homine antequàm caderet, poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere vt homo accedat ad eum; neq; niſi ad gratiam ſuã voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo quo ſortem conſecuti ſumus, id eſt, Chriſto. & alibi, de differentia gratię primi hominis & noſtræ diſſerens: proinde, inquit, & ſi non lætiore nunc veruntamen potentiore gratia indigent iſti, & quæ potentior, quam Dei vnigenitus filius. & paulò poſt: vt non acciperet hoc donum Dei primus homo, id eſt, in bono perſeuerantiam, ſed perſeuerare vel non perſeuerare in eius relin-

De dono perſeuer.

Celeſt. regula 6.

Augu. de bono perſeueran. lib. 2. ca. 7

De correptione & gratia, cap. 11. 12.

relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ ſine vllo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, vt dignè tantæ bonitati & benè viuendi facilitati perſeuerandi committeretur arbitrio, nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas etiam maioribus donis adiuuanda remanſit infirmitas. Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur. quibus verbis luculenter ſatis aperitur quæ ſit gratia ad perſeuerandum neceſſaria, vt videlicet voluntas diuinitus indeclinabiliter & inſeparabiliter agitetur, quæ eſt perpetua Dei directio & protectio contra tentationũ impulſus, qua vel tentationes ſua bonitate impediat, vel vires idoneas ad eas euincendas ſuppeditet, propter varios enim rerum euentus homo pro diuerſis tentationibus & occaſionibus alijs & alijs auxilijs indiget, & licet per gratiam gratificantem ſanatus vires ad quaſdam tẽtationes ſuperãdas habeat idoneas, non tamen ad omnes: ſicut Petro dictum eſt, non potes me modo ſequi: & quia ſemper in nobis magna remanet infirmitas carnis & quædam ignorantiæ obſcuritas, ſecundum quam, vt dicitur ad Romanos, quid oremus aut etiã quid agamus, ſicut oportet, frequenter neſcimus, ſæpè opus eſt vt internis donis confortemur & roboremur, & pleniori lumine mens illuſtretur, atq; ſic internæ gratiæ ac virtutes diuinitus augeantur:

propter varias quoq; rerum occaſiones & inextricabiles diaboli laqueos, & in tentando potentiā ſimul & magnam liberæ voluntatis inſtabilitatem nullum eſt vitæ noſtræ momentum, nulla tam parua peccandi neceſſitas, quin ſine diuina protectione ac directione facillimè in quoduis peccatū homo prolabi queat, ideoq; pientiſsimè à ſancto pontifice dictum eſt, in omnibus actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus eſt Deus. & ab alio, ſiue in proſpero curſu, ne extollatur, ſiue in tempeſtate tētationum, ne mergatur, Dei gubernaculo, quoaduſq; ad portum paradiſi perueniat, poterit homo manere ſecurus. Itaq; gratia illa quæ ad ſingulos actus datur, de qua ſuperius egimus, vſq; ad finem Dei bonitate continuata, ipſum eſt donum perſeuerantiæ quo dominus electos ſuos facit in bono permanere.

Celeſt. ex B. Zoz. 1. ma reg. 9.

CAPVT XIII.

An omnibus hominibus qui rationis vſu fruuntur, ſemper adſit gratia.

Alex. de Hales. D. Tho. Bonauēt. Schotus. Henricus de Gandauo. Adrian. ſextus. D. Roff.

POſt hæc ſupereſt ſolemnis illa queſtio: An omnibus hominibus qui vitæ & rationis vſu fruuntur, ſemper adſit diuina gratia, vt qui mali ſunt, poſsint à malo in bonum efficaciter velle conuerti, & qui boni, poſsint in bono perſeuerare: de qua tametſi ſapientes contrariò opinentur, veriſimilior tamen & probabilior eſt ſententia quàm D. Thomas contra gētiles, & pleriq; ſcholaſtici commu-

communiter ſequuntur, quæ habet, animam *Domin.*
hominis pondere quidé peccati & poteſtate *de Soto.*
Sathanę ſic deprimi, vt per ſe ad verũ bonum *D. Ruar.*
aſſurgere non poſsit. qui enim facit peccatũ,
ait dominus, ſeruus eſt peccati. Hanc tamen
generalem eſſe ſuper oẽs filios Adæ miſeri-
cordiã Dei in Chriſto Ieſu, vt quibus huius
lucis & rationis vſum concedit, prorſus ne-
minem omnino relinquat, quin ſaltẽ paula-
tim ſeu gradatim ad verum bonũ attolli que
at, quod equidem auxilium in diuinis inſtin
ctibus, pulſibus, inſpirationibus, & illuſtra-
tionibus poſitũ eſſe & omnibus pro tempo-
re & loco ſufficienter adeſſe crediderim, vt
ex illis cooperante Deo, homo cõuerti & ad
cor redire queat: nulla eſt enim anima quan-
tumuis peruerſa in cuius conſcientia non lo
quatur Deus, & quamuis naturale lumẽ ſyn-
dereſis ex peccato multum attenuatum ſit,
Deus tamen ſua bonitate propter generalem
Chriſti mortem plurimum illuſtrat, vt in
multis bonum à malo, pium ab impio diſcer
nere & viam ſalutis inuenire queat; quæ ſen-
tentia vt eſt immenſæ Dei bonitati conſona,
ſic ſatis euidẽtibus ſcripturis comprobatur:
Nam Ioãnes de Chriſto loquẽs, erat, inquit,
lux vera quæ illuminat omnem hominẽ ve- *Ioan. 1.*
nientem in hunc mundum. Et Paulus Apoſt.
Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & ad *1. Tim. 2.*
agnitionem veritatis venire, & iterum Ioan-
nes: Ecce ſto ad oſtiũ dicit Dominus & pulſo, *Apoc. 3.*
ſi quis audierit vocẽ meam & aperuerit mihi
ianuã, intrabo ad illũ & cęnabo cum illo & *2. Pet. c. 3.*

ipſe mecum. Petrus quoque Apoſtolus, dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Sapiens verò de impijs loquẽs, ſed & his, inquit, domine, tamquam hominibus pepercisti, ſed partibus ſeu paulatim iudicans dabas locum pœnitentiæ, cui cura de omnibus, docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe & humanum & bonæ ſpei feciſti filios tuos, quoniã iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ, ſi enim inimicos ſeruorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione & liberaſti, dans tempus & locum per quæ poſſent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos. Clamat etiam Eſaias: Expectat Dominus vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus, & alibi, plantauit vineam electam & expectauit vt faceret vuas & fecit labruſcas, nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meã, quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ & nõ feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas? Sanè ſi ſufficiens ad bonum populo auxilium defuiſſet, nõ ſic Dominus de vinea conqueſtus eſſet. Deinde ſtatus huius viæ ſeu peregrinationis, quę pro comparandis meritis data eſt, prorſus ſic exigit vt viator auxilio, ſine quo viam carpere non poteſt, non deſtituatur, alioqui fruſtra in via conſtituitur, quoniam igitur diuinæ bonitati placuit hominem non velut in ter-

Sapiẽ. 12.

Eſai. 20.

Eſai. 5.

mino ſuo poſitum, ſtatim ob peccatum damnare, ſed in via qua poſsit & debeat tendere ad patriam, conſtituere, congruum huic prouidentiæ ordini fuit, vt generalia quædam præſidia, toti naturæ humanæ tum intus, tum foris concederet, quibus viam ingredi &ad patriam contendere poſſunt, propter quæ etiam ſcelerato Chain à Domino dictum eſt, ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius ſcilicet peccati. cumque inter hæc præſidia doctores Angelorum cuſtodiam referant, negant cuiquam, quantumuis impio vel etiam Antechriſto bonum deeſſe angelum, qui ſaltem à maioribus malis eos reprimat & ad bonum ſubinde reuocet. Denique poſtulat iſtud ipſum ratio iudicij quo Deus ſtatuit orbem iudicare in æquitate, & omnium quæcunq; dicta vel facta ſunt ab homine rationem exigere, quæ ratio locum non haberet, ſi diuina gratia non ſic homini adfuiſſet, vt ex ea declinare malũ & bonum facere potuiſſet: Habet id etiã ratio præcepti quo Deus minãdo, corripiẽdo, ſuadendo, promittendo, inſtat: vt homo bonũ faciat & malũ derelinquat, quod fruſtrà ſine gratia attentatur, non minus quã ſi dæmonibus diuinum iudicium proponeretur & de moribus pręcepta darentur. Quare rectè D. Leo: Dominus, inquit, iuſtè inſtat præcepto, quia præcurrit auxilio. Et Auguſt. omnes poſſunt ſe conuertere ſi velint, quoniam Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & ſermone 20. de verbis domini

Gen. 4.

D. Tho. in fine 1. partis.

Leo ſerm. 16. de paſſione domini.

Aug. cõtr. Manich. de geneſ. cap. 3. & ſerm. 20. de verbis domini.

mini, vnuſquiſq; noſtrum dum licet & cum Dei adiutorio in poteſtate noſtra conſiſtit & peccata vitare, & quod bonum eſt exercere contendat: Quæ tamen omnia non ſic intelliges, quaſi omnibus hominibus tota adſit gratia qua malum vitare & benefacere poſſint, ſed, vt ante dictum eſt, qua ſaltem paulatim & gradatim ad hunc ſtatum peruenire poſſunt, primum enim iuuatur, vt non obſtante pondere peccati ductum naturæ ac rationis ſequatur, bonum appetendo & malum deteſtando, in quo pro deſiderio & conatu non deerit clementiſsimus & miſericordiſsimus Deus, vt oculos ad magnitudinem & pulchritudinem creaturæ conuertat, ſimiliter & mirabilia quæ de cœlo in mundo ab initio facta commemorantur attēdat, & ex horum conſideratione cognitionem & credulitatem aliquam de Deo concipere poſſit, quo gradu facto, poterit, Deo ipſum non deſerente Dominum & authorem omnium pro vera ſapientia & ſalute, & certa veritatis inueniendæ via rogare & inuocare, cuius rurſus ductu & directione iuuabitur: ſicut in Cornelio Centurione factum eſt, vt illos qui celeberrimam & antiquiſsimam veritatis de ſalute famam habent, id eſt, Chriſtianorum catholicos magiſtros adeat, conſulat & audiat, quæ diuinæ inſpirationis & directionis præſidia, velut ſemina ſunt pietatis, quæ cordibus humanis inſerta ſufficiunt, vt ex his ſpiritu ſancto cooperante veram concipere fidem, & per veram pœnitentiam ad

Vt Aug. de vtili tate credendi.

ſtatum

ſtatũ iuſtitiæ peruenire queat. Vnũ eſt ꝙ his obijcitur, quoniã non oẽs videmus cõuerti, non omnes perſeuerare: Cum igitur ipſa cõuerſio & perſeuerantia gratiæ ſint, vt antea diximus, ſicut & ſcriptum eſt, omnis qui audiuit à patre & didicit venit ad me, & nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum datum à patre meo: Manifeſtum videtur gratiã Dei quæ pro conuerſione neceſſaria eſt, non omnibus dari, quemadmodum etiam D. Auguſt. palam pronuncians: ſcimus, inquit, gratiam Dei maioribus ad ſingulos actus dari, ſcimus non omnibus hominibus dari. Et de prædeſtinatione ſanctorum: Hæc gratia quę occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Deinde obijcitur non fore neceſſe vt pro infidelium & impiorum cõuerſione Deum oremus, ſi ipſis ſufficiens adſit gratia qua conuertantur, quoniam fruſtra ab alio petitur, quod in ipſorum eſt poteſtate, quemadmodum ſæpè B. Auguſtin. hoc argumentum cõtra Pelagianos repetit: ad hęc dicendum; iſta pręcipua eſſe in quibus cardo difficultatũ in hoc argumento verſatur, quãtum tamen Dominus dare dignatur: reſpondendum videtur quod ſicut D. Anſelmus de caſu diaboli diſſerens, dicit eum non perſeueraſſe, neq; perſeuerantiam accepiſſe, non quia Deus illi non dedit, ſed quia ipſe accipere vel retinere noluit. Ita de ijs qui non conuertuntur vel in bono non perſeuerant,

Obiectio.

Ioan. 6.

Auguſt. epiſt. 107

Augu. de prædeſti: ſanctorũ cap. 8.

Obiect. 2.

Solutio.

D. Anſel. de caſu diab. c. 3.

aptę

aptè & rectè dicitur, id eos non facere non quoniam Deus eis non tribuit vt faciant, ſed quia nolunt recipere, vel admittere quod ex parte Dei paratum illis adeſt, de quibus ſcriptura conqueritur, quod ſunt rebelles lumini, & ſpiritui ſancto reſiſtunt, & in vacuum gratiam Dei relinquunt: contra quos nos monet Apoſtolus, ne quis deſit gratiæ Dei; Deus enim cordis oſtium pulſando & ſtimulis pietatis conſcientiam agitando ſpiritu ſuo præſens adeſt, vt ex hoc dono iam poſſint ipſo cooperante ſe erigere & de ſomno peccati ſurgere, ſed non ita quin hominem in manu ſui conſilij & arbitrij libertate relinquat, vt diuinam inſpirationem abijciat & cooperationem impediat, ſiquidem, vt antea diximus, cooperatio ſpiritus perſimilis eſt generali concurſui, qui ſimul eſt cum actu, & actui velut ſuperior cauſa præeminet, à qua in lib. arbit. ſic dependet, vt ſemper in huius arbitrij libertate & facultate maneat illum impedire vel ab illo aliud volendo recedere. Cum igitur duo prædicationem audiunt, & intus æqualiter ambo pulſantur, fit vt vnus acquieſcat, alter reijciat, ille tamen non habet vnde in ſe contra alterum glorietur, quoniam Deo iuuante & cooperante id facit, alter verò non habet etiam quod conqueratur, quoniam id ipſum, ſicut ille, Deo ſimiliter iuuante & cooperante potuit, ſed libertate ſua noluit, & hæc eſt regularis Dei aſsiſtentia, quam omnibus quos ſtatuit aliquando ſecum adducere in iudiciũ, ſua bonitate

Iob. 24. Actor. 7. 2. Cor. 6. Hebr. 12.

D. Tho. cont. gentiles lib. 3 cap. 159.

per mortem Chriſti largitur, quam, ſicut antea attigimus, apparet poſitam eſſe in diuino quodam intelligentiæ ſeu conſcientiæ lumine, ſimul & inſtinctu, quo Deo cooperante moueantur ad fidem. Cæterum vt D. Thomas contra gentiles tradit, abũdãtioris eſt bonitatis & gratiæ hoc ipſum præſtare, ne quis ex libero arbitrio defectus vel rebellio contingat, Deo cor hominis & rerum euentus & occaſiones ſic dirigente & diſponente, vt actu fiat quod libertate arbitrij nõ fieri poterat, quę gratia illorum eſt, quos ſingulari & ſpeciali prouidentiæ ordine Deus ſimpliciter perire non vult, quæ tamen ſæpè in homine ſic directo nihil ponit amplius, quam in altero, quo liber voluntatis actus præueniatur & magis in vno quam in altero excitetur, cur autem hunc ſic dirigit dominus, aliter illum, inſcrutabile iudicium eſt ſuæ maieſtatis, ſicut enim non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos ſanat, vt & in illis, quos curat, opus virtutis eius appareat, & in alijs ordo naturæ ſeruetur; ita non omnes tãta abundantia gratiæ iuuat, vt actu conuertantur & in bono maneant, in quibus ſuam vult eminentem miſericordiam apparere, ſic vt in alijs communis rerum curſus & ordo iuſtitiæ manifeſtetur; qua de re latius, volente domino, quando de lib. arbitrio tractabitur. Quando igitur B. Auguſtinus dicit, gratiam à nullo duro corde reſpui, de illa loquitur quæ ex Dei prædeſtinatione & ſecundum propoſitum datur; qua ſingulari

Aug. li. 2. de bono perſeuer. cap. 14.

Contra gentiles li. 3. c. 131.

Dei

Dei directione & diſpoſitione efficitur, vt a-ctus pietatis non impediantur, ſed efficaci-ter id fiat, quod voluntatis libertate omitti & impediri poteſt, quæ etiam gratia eſt quã pro conuerſione impiorum & perſeuerantia bonorum non perfunctoriè neque inaniter precibus ſuis poſtulat eccleſia, quæ etiam multis deeſt, quoniam non ſufficienter illã petiuerunt, quantũ res tanta petenda eſt, li-cet enim homo multa Deo cooperãte poſsit, libertate tamen arbitrij efficitur, vt non om̃ nia faciat, aut velit quæ poſsit. Argumentum verò S. Auguſtini rectè contra Pelagianos militat, qui ipſos actus negabant à Deo eſſe; ſed tantũ ex libero arbitrio dependere. Nos autem omnes & ſingulos, ſicut antea profeſsi ſumus, dicimus cum S. Auguſtin. ex Deo eſſe, Deumq́; ſingula nobiſcum ac in nobis opera ri, ita tamẽ vt in nobis ſit, ſanctiſsimam eius operationem impedire. duplici igitur neceſ ſitate conuerſionem & perſeuerantiã ab illo petimus, quoniam vtrumq; ab illo eſt, quòd videlicet & poſſumus & facimus, ſic tamẽ vt donum quo poſsimus abijcere eiq́; reſiſtere; & donum quo facimus impedire valeamus; quod ne fiat ſemper & ſine ceſſatione oran-dum eſt.

Augu. in Pſalm. 102. ad 2. verſicul.

C A P V T   X I I I I.

Quid homo ſine gratia, & an aliquid ſine ea præſtare queat.

QVæ hactenus dicta ſunt, ad explicatio-nem gratię potiſsimum pertinent, quã decla-

declarauimus in munere & dono gratificãte poſitã eſſe, quo natura ſanatur, & ad finẽ beatificum eleuatur. Deinde in donis quibuſdã quæ D. Bonauentura gratias gratis datas appellat, quæ naturæ ſuperadduntur, quibuſq; iuuatur, illuminatur, dirigitur & excitatur, & præparatur volũtas ad Deum, ſiue per modum habitus animæ inhæreat, ſicut inſpirat⁹ timor pœnæ vel pietas aliquorũ viſceribus inſerta, ſiue diuinus ſit actus, vocatio vel locutio, quo De⁹ excitat animũ hominis, vt ſe requirat. Deniq; in ſpiritus S. cooperatione quæ ſimilis concurſui generali omnia & ſingula pietatis ſtudia nobiſcũ ex prædictis gratijs & donis operatur, nunc ſtrictim & breuiter diſſoluendæ ſunt quæſtiones quid homo ſine gratia & an aliquid ſine ea præſtare queat. Certũ eſt enim quod opera iuſtitiæ quib. coronam promereatur nemo ſine gratia gratificante præſtare poteſt, quæ gloria eſt filiorum Dei & merces filiorum duntaxat laboribus propoſita, adeo vt nec in paradiſo vllũ ſine hac gratia meritũ eſſe potuiſſet. Deinde nemo quoq; ſine poſterioris generis interna gratia, qua illuminetur, dirigatur & excitetur ad ſtatum huius gratiæ ſe pręparare poteſt, de qua ſcriptum eſt: volũtas præparatur à domino, & ſimpliciter ſine Chriſti gratia nullum poteſt homo pietatis opus præſtare quo ad Deũ vel ſalutẽ tenditur. Nam per peccatũ originale cor hominis à Deo auerſũ eſt, & tenebris infidelitatis & concupiſcẽtię vitio obcęcatũ, vt ad Deũ & ſalutem ſuam ſine Chriſti

Augu. in Enchiri. cap. 106.

Chriſti gratia aſſurgere nequeat, qui ob id quoq; ſaluator noſter eſt, vt quidquid ad ſalutem pertinet, non niſi per illū accipiamus. Cum igitur operum quæ ſalutis & pietatis ſunt, alia ad gratiam gratificantem pręparēt, alia vt in ea homo cuſtodiatur & conſeruetur valeant, alia coronę cœleſtis verè meritoria ſint; nihil horum ſine Chriſti gratia fieri poſſe manifeſtum eſt, & huiuſmodi omnia illa ſimpliciter credimus quę ſincero corde pro Deo vel ſalute fiant. Cœterum grauior & difficilior quæſtio eſt: an ſine eadem gratia poſsit homo tentationi alicui reſiſtere vel actum aliquem exercere in quo non vel ex genere operis, vel ex intentione peccet: Nam de quibuſdam Dominus palā pronunciat, quod omnia opera ſua faciūt vt videantur ab hominibus, & Concilium Arauſicanum manifeſtè confitetur, quod nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum: ad quam quæſtionem reſpondens D. Bonauentura, dicit hoc valdè durum videri quod liberum arbitrium in hoc ſtatu nulli poſsit tētationi reſiſtere, vel actum aliquem in quo non delinquat exercere, quoniā naturale habet iudicatorium; & quendam naturalem conſcientiæ inſtinctum, qui contra malum murmurat & ad bonum inclinat: vnde ſola Dei cooperatione abſque munere gratiæ naturalibus additæ licet difficulter, inquit, in opus aliquod, qnod non ſit peccatum, exire poteſt. Duo ſunt enim, vt prius ex Auguſtino dictum eſt, vnde peccare contingit, vel quia igno-

Matt. 23.

Conc. Arauſic. can. 22.

D. Bonauent. in 2. diſt. 28. qu. 2. & 3.

ignoratur quod bonum eſt, vel quia non delectat, vnde à contrario ſi adſit ſcientia & nõ abeſt delectatio, ſufficit & potens eſt homo vt bonũ aliquod ſine peccato præſtet, atqui natura neque ita excæcata eſt, neq; tam obdurata, vt non ſatis ad quædam bona afficiatur, neque ſatis ab apertis & manifeſtis quibuſdam ſceleribus abhorreat, vnde de quibuſdam naturalibus loquens Apoſtolus, ad *1. Cor. 11.* ipſam naturam remittit: vos ipſi, inquiens, iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum: nec ipſa natura docet vos, ſicut eoſ *1. Cor. 6.* dem obiurgat, quod apud eos talia perpetrarentur, quæ nec apud gentes inueniuntur; & B. Auguſtinus: neque enim, ait, vſq; adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, vnde quædam etiam in impijs facta; vel legimus, vel nouimus; vel audimus, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam, non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam meritò recteq; laudamus, quamquam ſi diſcutiatur quo fine fiant; vix inueniuntur, quæ iuſtitiæ debitam laudem defenſionémue mereantur. Quemadmodum igitur poteſt homo ſine ſpeciali gratia pro victu comparando laborare, & in hoc non peccare, ſic etiam abſq; ſimili gratia poteſt honeſta ratione ductus nolle furari, vel latrocinari. Hæc eſt enim lex naturaliter ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas, quæ furtum improbat; quis enim æquo animo furem patitur?

Augu. de ſpiritu & litera ca. 27. & 28.

Aug. li. 2. confeſſ. cap. 4.

quamuis autem in ſingulis actibus homo finem aliquem vltimum habeat in quo quieſcit, & impij non in Deo finem hunc conſtituant, non eſt tamen is rigor ſententiæ Dei, vt omnia & ſingula in verum vltimum finem (qui Deus eſt) referre teneamur, neque neceſſe eſt vt determinatè in hoc vel illud bonum pro vltimo fine referantur, ſed vniuerſalis & confuſa ratio boni ſufficit, vnde voluntas ſine vlteriori fine actus aliquos exerceat, vt quamuis inueniantur, quorum, proh dolor, Deus venter eſt, non tamen neceſſe eſt vt omnes & ſingulos ſuos cogitatus & actus ad ventrem referant, ſed à quibuſdam ſceleribus abſtinere poſſunt, non alia ducti ratione, quam quia nimis turpia & abominanda videntur: ſicut & quædam virtutum officia præſtare, quoniam honeſta & æqua videntur, quemadmodum & in iuſtis, quibus Deo adhærere ſummum bonum eſt, neque neceſſe eſt neq; lege aliqua prçcipitur, vt omnia & ſingula in hunc finẽ referant, ſed iuxta Chriſti verba ſufficit vt præcipuum amorem & principale ſtudium in hoc conſtituant. Primum, inquit, quærite regnum Dei & iuſtitiã

Matt. 6. eius. Nam nimis anguſta, dura & abſurda reputatur ſententia, quod omnia iuſti hominis opera vel peccata ſunt vel vitæ æternæ meritoria, vtpote qui multa ex naturæ neceſſitate vel ciuili, ac politica ratione facit, in quibus hoc ſtudium & hæc intentio ſufficit, ne quid admittat quo vel offendatur Deus, vel ſcãdalizetur proximus. Cum igitur quçdam in

dam in natura honeſtatis ſemina & rectæ rationis lineamenta remanſerint, & non neceſſe ſit vt ſingula in determinatum aliquē finem referantur, non rectè ſtatuitur quod homo nullum opus ſine gratiæ adiutorio præſtare poteſt in quo non delinquat. ad obiectiones verò congruè dicitur; nihil his obſtare quin quidam ſicut tunc Scribæ & Phariſæi ad eam malitiam perueniant, vt omnia opera ſua malo & prauo fine faciant, & ad verba concilij dicendum eſt, aliud eſſe quippiam habere de ſuo, aliud ſine gratia Chriſti. Nam quicquid ex naturæ talentis ſine peccatis facimus, Dei cooperatione ex naturalibus eius donis præſtamus; vnde verè in nullo gloriandum eſt, quia noſtrum nihil eſt, ſed quod naturæ eſt, & non obſtante peccato in natura relictum; non propriè ad gratiam Chriſti pertinet; qui venit inſtaurare, & ſaluū facere, quod de natura perierat, curare quod languidum & ſemimortuum iacebat, tametſi non improbanda ratione etiam hæc ipſa gratia nuncupatur; quoniā gratis diuina bonitate, ſicut ſanitas & vigor & acumen ingenij per Chriſtum largiuntur, qua ſignificatione rectè ab B. Auguſtino dictum eſt: Gratiæ tuæ deputo, quæcunque non feci mala, quid enim facere non potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? Et rurſus: Nullum eſt peccatum quod fecit homo, quod nō poſsit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo, & iterū: *Aug. epi. 95. lib. 2. confeſſ. ca. 7. ſer. 114. de Magdalena & de ſanct. Virgin. ca. 41*

cautius & veriùs virgo ſancta cogitabit, omnia peccata ſic habenda, tamquam dimittantur, à quibus Deus cuſtodit mentem ne committantur. Hoc interim contra quoſdam qui nimium naturæ tribuunt, confidenter ſtatuendum eſt, quod in tanta hominis corruptione, ſub tanta poteſtate Sathanæ, nemo poteſt ex ſolis naturę dotibus omnia vitare crimina, quæ legi naturæ repugnant, vel multas dæmonis aut mundi tentationes ſuſtinere, vel etiam habitus aliquos moraliter bonos acquirere, quoniam omnes naſcimur ſub peccato, quibus dominatur iniquitas & concupiſcentia peccati, qua fit vt non ſecundum Deum, vel rectæ rationis dictamen, ſed ſecundum nos ipſos viuere delectet, cum animam, priuſquam à medico notitiã ſuæ calamitatis accipiat, in profundo miſeriæ ſuæ iacere delectat, amantem errores ſuos & implectentem falſa pro veris, cuius etiam voluntas priuſquã ſpiritu Dei agatur, vaga eſt, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad faciendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum auidior, famæ quam conſcientiæ diligentior, parit enim ciues terrenæ ciuitatis, (quam facit amor ſui vſque ad contemptum Dei) peccato vitiata natura, cæleſtis verò ciuitatis ciues (quam condit amor Dei vſque contemptum ſui) parit à peccato naturam liberans gratia: quemadmodum & propheta cum Apoſtolo de omnibus loquitur Adæ filijs,

D. Proſp. cõt. Colla.

D. Proſp. li. 1. de vocatione gent. c. 2.

Aug. li. 14 de ciuit. Dei c. 28. & 15. c. 2. & 21.

filijs, priuſquam gratia Chriſti cæperint liberari, quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonũ, non eſt vſq; ad vnum, ſepulchrũ patẽs eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorũ os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum, ad effundendum ſanguinem, cõtritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum. In quo ſtudio & peruerſitate fieri non poteſt vt licet aliquando præter hæc naturali inſtinctu bonum aliquod morale præſtent, habitus etiam virtutum comparentum, quia principalis in eis vitę ſcopus prauus eſt, & præcipuus operum finis malus, tũ quia dominio iniquitatis tam multa immiſcentur & interſeruntur mala, vt habitus qui ex frequentia & continuatione bonorum actuum fiunt, inter tot ſcelera conſurgere non poſsint, ex quibus rectiſsimè D. Auguſtinus & Proſper ſtatuunt, nullas in infidelibus philoſophis fuiſſe virtutes, quantumuis magnifica virtutum officia gloriæ vel commodi temporalis amore vel aliquo alio vano & inutili ac ſtulto fine præſtiterint. De quibus pereruditè hoc contra Iulianum agit Auguſtin. vt etiam ſi in ipſis veræ virtutes extitiſſent, non niſi diuinæ gratiæ tribui deberent, Deinde opera malo fine præſtita quãtumuis ſint excellentia, verè tamen

Rom. 4.

D. Aug. cõt. Iulia. li. 4. ca. 3. & lib. 19. de ciuit. Dei ca. 25 D. Proſp. cõt. Collator. & li. 1. de Vocat. gent.

Rom. 14. tamen eſſe peccata, quæ non fideli ſed infideli & impia intentione fiant, quo ſenſu ab Apoſtolo quoque dictum eſt: omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, quia quicquid ex infidelitate vel mala fide peragitur, vere peccatum eſt. atque hæc de gratia Chriſti pro noſtro inſtituto dicta ſufficiant pro quibus eidem ſit gloria & honor in ſecula ſeculorum.

FINIS.

DE LI-

DE LIBERO ARBITRIO TRACTATVS.

CAPVT I.

Qui liberum arbitrium negarint deq; eorum ſtupore.

LIBERVM arbitrium olim varij diuerſis quidem rationibus, ſed ſimili impudentia negauerunt: Nã Manichæi non ad liberum voluntatis arbitrium, ſed ad naturã bonæ & malæ animæ opera bona ac mala referebãt. ante illos verò pagani & infideles quidã Mathematici, ſideribus & ordini ſtellarum (quod fatũ appellabant) cuncta tribuebant. Nonnulli quoq; Stoici, &, ſicut refert Epiphanius, etiã phariſęi quandam imaginabantur neceſsitatem, & ineuitabilem rerum connexionem, ex prima ſumma Dei voluntate prouenientem, vnde liberam in agendo facultatem auferebant. Hos poſtea ſecuti ſunt Ioannes Vvicleff, Lutherus & Caluiniſtæ, volentes omnia abſoluta neceſsitate ex Dei prouidentia contingere, quod dogma eò potiſsimum ſpectat, vt inueniantur excuſationes in peccatis, quæ etiam contra naturalem conſcientiæ ſtimulum homines ſe perpetrare ſentiũt. Mirum enim eſt id ab aliquo poſſe negari quod tã euidenter in nobis ipſis

Augu. de hæreſ.

Epip. li. 1.
Cic. de diuinatiõe & de fato.
Aug. li. 5. de ciuit. Dei ca. 8. & 9.

videmur experiri, nam ex ipſis conatibus, quibus hi liberum arbitrium oppugnant, & ſe & alios id habere manifeſtant. Nam ſi neque ipſi, neque nos libero vtimur arbitrio, cur ſeipſos fatigant, quid currunt: quid ſcribunt: quid prædicant: quid doctis pariter & indoctis hoc perſuadere laborant? cum fruſtra & inaniter in id labor aſſumitur, quod non in hominis arbitrio & poteſtate, ſed in neceſsitate poſitum intelligitur, & aliter quam futurum eſt, fieri non poteſt, nam quidquid feceris, id ſemper fiet, quod neceſſario futurum erat. Habet interim quæſtio ſuas difficultates, & ſuauiſsimum ſtudij fructum, quando ſeruata regula fidei, modeſtè pro ingenij tenuitate diſcutitur. Quid igitur ſit liberum arbitrium, An ſit, & quomodo ſe habeat, & quatenus ad veram operum laudem & meritum ſit neceſſarium: propter hos noſtri temporis hæreticos diligenter inueſtigandum eſt.

Quid ſit: An ſit, & quomodo ſe habeat liberũ arbit. diſcuſitur.

CAPVT II.

Liberi arbitrij ratio inueſtigatur.

PRimum ergo nemo, qui ſui compos eſt, negare poteſt, quin ſicut nos viuere, ſentire, & intelligere, ſic etiam iudicare, appetere & velle nos percipiamus. Hæc enim eſſentia & natura cuiuſuis animantis eſt, vt ex apprehenſione & æſtimatione ſenſus aliquid proſequendo vel fugiendo appetat, ad quod tamen nulla vi, vel externa neceſsitate compel-

compellitur, ſed ex interno principio naturali videlicet æſtimatione & appetitu mouetur, ſicut cum cibum & potum ſibi naturalem appetunt, & quædam animantia ſibi noxia vt lupum oues fugiũt. Cæterum quoniamq; quæ rationis expertia ſunt, ſolis naturæ inſtinctibus & naturaliter ad vnum determinato iudicio operantur, imo magis aguntur, quam ipſa agunt ſine vlla actus ſui conſideratione, ad libertatem arbitrij non ſufficit quod homo in ſuo opere non cogitur, quodue ſponte ex interno operatur, ſed amplius requiritur vt iudicium ſuum ipſe cognoſcat, & ad ſuum actum ſe reflectere, & de eodem ex conſideratione finis & aliorum particularium, in quibus actio conſiſtit, diſcernere poſsit, vt ſe ipſum iudicare & ad opus determinare queat: exigitur etiam vt quod appetit ad ſui ipſius imperium appetat, & ſic velit vt ipſum velle ſibi imperet, & ſciens quid facit ſe velle velit, quod propriũ eſt eorum qui voluntariè agunt, qui ſeipſos mouent, & ex ſeipſis agunt, idq; iudicio non ad hoc vel illud ſicut in beſtijs naturaliter determinato, ſed quod ſub communi ratione boni & mali poteſt diuerſas in particulari rationes, quibus moueatur homo, conſiderare, & iſtud equidem, nempe ſic velle aliquid, manifeſtiſsimè omnes qui ratione vtuntur in ſe ipſis experiuntur, nemo enim eſt qui non beatus eſſe velit, & miſer eſſe nolit, verum quoniã etiam in neceſſarijs iſtud velle inueniri poteſt, vbi ſic volunt vt aliter velle

Ariſtotel. 3. ethic.

velle non poſsint, nec iſtud ad libertatem arbitrij, quomodo in homine ſtatuendum eſt, ſufficit. Nollent enim damnati puniri, nolunt dęmones bene facere, ſicut & diuina bonitas & qui in cœlis immobiliter ei adhęrent, ita voluntate boni ſunt vt aliter non poſsint, vbi fœlicisſima, licet ſit à peccato & miſeria libertas, non tamen in hoc velle, is modus eſt libertatis, quem in viatoribus, quos in loco comparandi boni vel mali meriti poſuit Deus, oportet agnoſcere, quæ eſt libertas non à ſola coactione vel externa neceſsitate, qua fit quod nolumus, ſed à neceſſitate, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, is enim motus libertatis in bonis operibus ad veram rationem laudis & meriti, & in malis pro iuſta reprehenſione neceſſarius eſſe videtur, vt nõ ſola voluntas, vel quod dicimus voluntariũ, ſed etiam contingentia in actibus liberi arbitrij requiratur. Quamobrem doctores omnia diligentiſsimè conſiderantes, liberum arbitrium, prout iſtic in homine agnoſci debet, dicunt eſſe facultatem, cuius ratione in hominis poteſtate eſt, vt poſitis omnibus quę electionem & actionem præcedunt; & ad eã prærequiruntur, poſsit ſe ipſum ad eligendum & agendum flectere, vel ab ijſdem abſtinere: non quod eodem temporis momento agere & ſimul non agere queat (hoc enim cõtradictionẽ inuoluit) ſed quod ſine omni variatione ſibi vel alteri contingente, rebus omnibus quæ electionem præcedũt, ſimiliter ſe ha-

Quid ſit liberum arbitriũ.

ſe habentibus, aliquid poteſt facere, & idem antequã facit, poteſt nõ facere, & quando facit, iiſdem eodẽ modo ſe habentibus, poteſt ſtatim non facere & ab eodẽ ceſſare. De quo propter diuinæ prouidentiæ, cui ſubſunt omnia, concurſum apud eos qui rẽ non benè perſpiciunt dubitari & diſputari poteſt, an naturali ratione (nam fide rectiſsimè tenendum eſt) vel experientia demonſtrari poſsit: deinde an ad laudem vel meritum vel vituperationem & reatũ pœnæ neceſſarium ſit, diligenter inquirendum eſt. Prima ratio eſt, quoniã quantumcunq; ratio aliqua vel ſuaſio, vel inſpiratio nos ad conſentiendum & agendum inclinet & moueat, experimur tamẽ in nobis, quod poſsimus acquieſcere vel non acquieſcere. Secunda eſt, quod naturam noſtrã talem eſſe experimur, vt plurima nõ niſi præconſiliantes & cum aliqua pręcedẽte deliberatione eligamus. vnde ipſa natura docet nobis liberum eſſe in hanc vel illã partẽ nos flectere & noſtrum eſſe hanc vel illã eligere, alioqui fruſtra natura ad conſultandũ inclinaret vbi in alterã partẽ res eſſet determinata. Tertia eſt, quoniã certo experimur quod non inaniter nobis leges & cõſilia dantur, minæ & præmia proponuntur, quod ipſi rogamur, inuitamur, corripimur, laudamur, vituperamur, quæ ꝓrſus fruſtra & ſtultè adhiberentur, ſi quod homo facturus eſt, id neceſſario vel ineuitabiliter faciet, & laudãdus erit Lenonis ſeruulus, q dicebat nõ debere ſe plecti, qa Stoico fato peccare debuerat. ꝓinde

An naturali ratione lib. arbit oſtẽdi queat.

1. *Ratio.*

2

3

qui

qui negant actiones hominis in eius eſſe poteſtate liberas & contingentes: ijs comparandi ſunt, qui prima negant principia & nõ ratione ſed pœna indigent. Digni, iuxta quendam, qui tormentis exponantur, quouſque concedant poſsibile eſſe eos non torqueri.

Gabriel Biel.
Auicēna.

CAPVT III.

De libero arbitrio dicta varijs ſcripturæ teſtimonijs illuſtrantur, definitioq; liberi arbitrij ſtatuitur.

CAEterum priuſquam in explicatione quid ſit, & quomodo ſe habeat liberum arbitrium progrediamur, præſtat rem ſcripturis & patrum teſtimonijs ante ſtabilire, & ex his quæ reſtabit obſcuritas, quantũ Chriſti gratia poſsimus eam enodare & obiectiones diſſoluere. Scripturas ergo quibus liberum probatur arbitrium, quoniam plurimæ ſunt, placet in certos ordines & claſſes redigere, quas nõ inerudite quidam in octo digeſſerunt.

Scripturarum de lib. arbit. claſſes octo.

1. Primus ordo ſeu claſsis earum ſcripturarum eſt, quæ ſignificant aliquid eſſe in poteſtate hominis, quod tamen aliquãdo non facit, cuiuſmodi eſt eccleſiaſtici de diuite iuſto; qui potuit, inquit, tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit; & ſententia Domini ad Caim: ſubter te erit appetitus eius & tu dominaberis illius, & Ioannes: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, & Petrus ad Ananiam: Nonne manens

Eccleſ. 31.
Geneſ. 4.
Ioann. 1.
Actuũ 5.

tibi

tibi manebat, & venundatum in tua erat po-
teſtate? & Paulus ad Corinthios: Non ſum
liber? nunquid non habemus poteſtatem 1. Cor. 9.
manducandi & bibendi; nunquid non habe-
mus poteſtatem ſororem mulierem circun-
ducendi ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres
Domini & Cephas, aut ſolus ego & Barna-
bas, non habemus poteſtatem hoc operandi?
ſed non vſi ſumus hac poteſtate. Et Chriſtus
Dominus; an putas quia non poſſum rogare Matt. 26.
patrem meum & exhibebit mihi modo pluſ-
quam duodecim legiones angelorum. Secũ- 2
dus ordo earum eſt quibus nominatim ipſa
libera voluntas conuincitur, ſi volueritis,
ait Eſaias, & audieritis me, bona terræ come-
detis. Et Dominus: Si vis ad vitam ingredi,
ſerua mandata, Et: nolite timere eos qui oc- Eſai. 1.
cidunt corpus: noli negligere diſciplinam: Matt. 19.
nolite vinci à malo: noli emulari in malig- Matt. 10.
nantibus: nolite fieri ſicut equus & mulus:
Et ad Philemonem. Sine conſilio autem tuo ad Phil.
nihil volui facere, vti ne velut ex neceſsita-
te bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Ter- 3
tius eorum locorum eſt quibus homini per-
mittitur optio & electio, vel in eius aliquid
arbitrio ponitur. Optio vobis datur, inquit
Ioſue, eligite hodie quod placet, cui ſeruire Ioſue. Vlt.
potiſsimũ debeatis: & Moyſes: teſtes inuoco Deut. 30.
cęlũ & terram, quod propoſuerim vobis vitã
& bonum, benedictionẽ, & maledictionem,
elige ergo vitam, vt & tu viuas & ſemen tu-
um. Et alibi: vxor ſi vouerit, in arbitrio vi-
ri erit, ſiue faciat ſiue non faciat. Et Dauidi Num. 30.
per

1.*Para.*21 per prophetam diuinitus optio datur vt ex
tribus plagis vnam eligat. Clariſsimè verò
Sapiens velut naturam liberi arbitrij deſcri-
Eccle. 15. bens. Deus, inquit, ab initio conſtituit ho-
minem & reliquit illum in manu cõſilij ſui,
adiecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris
mandata conſeruare, conſernabunt te, appo-
ſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris
porrige manum tuam: ante hominem vita &
mors, bonũ & malum, quod placuerit ei dabi
tur illi, quã ſententiam quidã perperã & fru-
ſtra ad primum duntaxat hominem referũt,
cum ad præſentẽ lectorem ſermo dirigatur.
1. *Cor.* 7. Paul. quoq; de conſilio & libertate viginita-
tis agẽs, qui ſtatuit, inqt, in corde ſuo firm⁹,
non habens neceſsitãtem; poteſtatem aũt ha
bens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in cor-
de ſuo ſeruare virginẽ ſuã, benè facit. Si quis
autem turpem ſe videri exiſtimet ſuper vir-
gine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet
4 fieri, quod vult faciat. Quartus ordo ſcriptu-
rarum eſt, quib. declaratur, homines quędã
contra Deum, & eius expectationem facere,
Prouer. 1. Deoq; reſiſtere: vocaui, ait Dominus, & renui
ſtis, extendi manum meam & non fuit qui a-
Matt. 25. ſpiceret. & quoties volui congregare filios
Ezec. 24. tuos, quemadmodũ gallina cõgregat pullos
Act. 7. ſuos ſub alas, & noluiſti. Et apud prophetã:
Eſai. 5. mundare te voluit, & non es mundata à ſor-
dib. tuis, & Stephanus: vos ſemper reſtitiſtis
ſpiritui ſancto: Eſaias quoq;: expectaui vt fa-
ceret vuas & fecit labruſcas. Et in Apoc. Dedi
Apoc. 2. illi tempus vt pœnitẽtiam ageret, & nõ vult

pœnite-

pœnitere: quæ fruſtra proculdubio dicerentur, ſi non eſſet in homine libera faciendi & non faciendi facultas. Quinto loco ſunt di- 5
uina præcepta, prohibitiones, conſilia, ſuaſiones, exhortationes & dehortationes, laudes, correptiones, pœnæ & præmia in ſcripturis fuſiſsimè propoſita. Similiter & obſecrationes, & inuitationes, quibus in prouerbijs & libris Sapientiæ propheticis & Apoſtolicis ſcriptis dulciſsimè & humaniſsimè commonemur. quibus addes grauiſsimũ & æquiſsimũ Dei iudicium, quo reddet vnicuiq; ſecundũ opera ſua, quorũ omniũ nihil
6 ſine libertate arbitrij locũ habet. Sexta claſſe habes ſerias ſcripturarũ interrogationes, cur hoc, & nõ illud nõnulli fecerint? quare, inquit Dñs ad Euam, hoc feciſti? & ad Caim: *Geneſ.* 4.
quid feciſti? ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, & Petrus ad Ananiã: cur *Act.* 5.
Sathanas tentauit cor tuũ & cur poſuiſti hãc *Luca* 19.
rem in corde tuo? Et Dñs ad ſeruum nequam *Matt.* 22.
& infidelẽ; quare non dediſti pecuniã meam ad mẽſam? & alibi: Amice quomodo huc intraſti nõ habens veſtẽ nuptialẽ. Septimo lo- 7
co ſunt, quib. eorũ qui peccarũt multi ad cor rediјſſe & ſeipſos grauiter accuſaſſe & culpaſſe cõmemorantur. Quid dicã, inquit Ezech. *Eſa.* 38.
aut quid reſpondebit mihi, cũ ipſe fecerim? *Pſal.* 50.
& Dauid: Quoniã iniquitatem meã ego cog- & 118.
noſco, & peccatũ meũ contra me eſt ſemper. Et: exitus aquarũ deduxerũt oculi mei, quia non cuſtodierũt iuſtificationes tuas. Ierem. *Ierem.* 8.
quoq; reprehẽdit populũ, ꝙ nullus eſt q agat & 31.
pœniten-

pœnitentiam ſuper peccato ſuo. Dicens quid feci? & de verè pœnitente: poſtquam, ait,conuertiſti me egi pœnitentiam,& poſtquam oſtēdiſti mihi, percuſsi femur meum. Propheta quoque Iob pœnitentiam agens: vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem,qui leuiter locutus ſum,reſpōdere quid
8 poſſum? idcirco me reprehendo.Octauus ordo ſcripturas habet,quę declarant nos à Deo in bonis operibus adiuuari,ipſum nobiſcum & nos ipſius bonitati cooperari: vnde clamores illi ſanctorum: adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Deus in adiutorium meum intende. Memoratus ſum ait Eccleſiaſticus miſericordiæ tuæ & cooperationis tuæ. Paulus verò,laboraui,inquit, nō ego,ſed gratia Dei mecum:& alibi: vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet ſecūdum ſuum laborem: Dei enim ſumus adiutores, ſeu συνεργοὶ vel cooperatores Dei,qui verò iuuatur & cooperatur; ſine dubio liberi arbitrij eſſe conuincitur. Quibus ſcripturis docetur,non ſolum quod poſt peccatum homo voluntatem retinuit, quam nulla rationabilis ſubſtantia manente ſua natura amittere poteſt,vtpote quę ad naturam & eſſentiam eius pertinet, ſed quod etiam liberam retinuit facultatem,qua cum gratia Dei benè, & per ſe malè facere poteſt: pater enim in ſanctiſ.trinitate,volūtate quidem de ſua eſſentia filium gignit, & voluntate bonus & miſericors eſt,ſed non eo liberratis modo qui ex humanæ conditionis gradu pro comparandis meritis in homine ſtatuendus

Pſal. 69. *Pſal.* 78. *Eccl. Vlt.* 1. *Cor.* 15. & 3.

Hilar. de ſynod. in fine 3. ſynodi.

tuendus

tuendus eſt, qui etiam in actionibus, quas dominus Deus foris circa creaturas operatur, certiſsimè agnoſci debet, poſſe videlicet agere aut non agere, poſſe ſic aut aliter agere; nam quod aliter fit videlicet ex neceſsitate; neq; virtus neq; vitium propriè eſſe poteſt: tollit etiã hæc hæreſis orationes & gratiarũ actiones ſimul & æquitatem diuini iudicij, quo rationem de omnibus cum ſeruis ſuis initurus eſt; qua de re mox paulo latius.

CAPVT IIII.

Antiquiſſimorum Patrum Eccleſiæ teſtimonijs liberum arbitrium probatur.

VIdeamus interim quid patres & Eccleſia ſemper de hoc dogmate ſtatuerint, B. Clemens Petri diſcipulus diſputationem B. Petri contra Simonem magum referẽs; Narrat Simonem fatò tribuiſſe, quo cuique decerneretur prout vel ſaperet aliquid vel intelligeret, Petrum verò hoc abſurdiſsimum eſſe declaraſſe. Dic, inquit Petrus, quomodo ergo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit; hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia, fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora, ſed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt & puniũt eos qui malè agunt: non enim ſua in poteſtate habuerunt vt non peccarent: Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas ſtatuunt. Miſeri erunt & hi qui ſeruant

S. Clemẽs lib. 2. recognitionum.

cum labore iuſtitiam, beati verò illi qui in delicijs poſiti, tum luxuria & ſcelere viuentes tyrannidem tenent. Secundum hæc ergo nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec vlla virtus: & vt vis, nec Deus. Et paulo poſt, arbitrij poteſtas eſt ſenſus animæ, habens virtutem qua poſsit ad quos velit actus inclinari. & reſpódens argumento Simonis: Si quid Deus vult eſſe, eſt: & ſi quid non vult eſſe, non eſt, ignoras, inquit, quomodo in ſingulis quibuſque voluntas ſit Dei, quædam enim voluit ita eſſe vt aliud eſſe non poſſent, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt, cuiuſmodi eſt ſolis & cœli motus, & his neque præmia neque ſupplicia ſtatuit: ea verò quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant agere quod velint, his pro actibus ac volútatibus ſuis ſtatuit, vt aut remunerationes mereantur aut pœnas. Similia & his conformia habet ipſe Clemens epiſtola tertia de officio ſacerdotum, Similiter & Irineus. Aliud quod ait, quoties volui congregare filios tuos & noluiſti, veterem legem libertatis hominis manifeſtauit, quia liberũ eum Deus fecit ab initio habentem ſuam poteſtatem, & paulo poſt Apoſtolus teſtificatur, qui operentur quidẽ bonum, gloriam & honorem percipiẽt, quoniam operati ſunt bonum, cum poſsint non operari illud, hi autem qui illud nõ operantur, iudicium iuſtum recipient Dei, quoniã non ſunt operati bonum, cũ poſsint operari illud. Et cap. ſequenti: Si igitur in nobis nõ eſſet facere hęc, aut non facere, quã cauſam habebat

Definitio lib. arbit. ex Clem.

S. Clemẽs epiſt. 3.

Irineus lib. 4. cõt. hæreſ. ca. 71. & 72.

habebat Apoſtolus? & multò prius ipſe Dominus cōſilium dare, quædā quidem facere, à quibuſdam verò abſtinere. Tertul. quoque: liberū & ſui arbitrij & ſui poteſtatis inuenio hominē, ait, à Deo inſtitutum, non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequiū debitum legi in ſua poteſtate, nec rurſus cōminatio mortis trāſgreſsioni adſcribetur, ſi nō & contemptus legis in arbitrij libertatē homini deputaretur. Sic & in poſteris legibus creatoris inuenias proponentis ante hominē bonum & malum, vitā & mortem, ſed nec aliás totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitū, auocante Deo, minante, & exhortante niſi & ad obſequium & ad contemptū libero & voluntario homine; Sequitur glorioſiſsimus martyr D. Cyprianus, qui de verbis domini agens, nunquid & vos vultis abire, ſeruat, inquit, legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio cōſtitutus ſibimet ipſi vel mortem appetit vel ſalutem. His merito iungimus D. Ambroſ. In ſtudio, inquit, ſunt omnia per quod adhibetur obedientia, quæ in vtramlibet partē propēderit, aut culpam adiungi aut gratiā, non eſt quod cuiq; noſtram aſſcribamus culpam niſi noſtrę voluntati, nemo tenetur ad culpam niſi voluntate propria deflexerit, voluntarium ſibi militē legit Chriſtus, voluntariū ſeruū ſibi diabolus auctionatur. & coęqualis Ambroſij Baſil. magnus: quod igitur propriè malū eſt, inquit, peccatum ipſum ex noſtra voluntate pendet, cum in nobis ſitū ſit aut abſtinere à

Tertuli. aduerſus Marcion: lib. 2.

D. Cypri. lib. 1 ep. 3.

Ambroſ. li. 1. de Iacob & vita beata cap. 3.

D. Baſil. concione quod Deus nō author malorū.

malo, aut mala perpetrare, & poſtea, vnde enim malus eſt homo? ex propria ipſius volũtate: vnde malus diabolus? ex eadem cauſa: nam & ipſe per ſe, id eſt, ex ſua conditione liberam habet vitam & liberum arbitrium in ſe ſitum aut manendi apud eum, aut ſe abalienandi à bono. Frater verò Baſilij Gregorij Nyſenij pulchrum de libero arbitrio ſcripſit opuſculum, declarans quædam eſſe in nobis, & nos actionum dominos exiſtere, ſummatim verò omnium, quæ per nos volũtariè geruntur, neque enim voluntariè geri dicerentur actione in nobis non exiſtente, & ſimpliciter, inquit, ea quæ vituperatio vel laus ſequitur, & in quibus eſt admonitio atque lex: principaliter autem in nobis ſunt omnes animæ actiones, & ea de quibus conſultamus, quaſi enim in nobis exiſtat quod propoſitum eſt facere & non facere cõſultamus, non quod diuites ſimus vel pauperes poteſtatem habemus, ſed actionum ſecundum virtutem & vitium & electionum, & motuum, & quorum ſimiliter oppoſita agere poſsimus. Eadem fuit Hieronymi fides liberi arbitrij, ait, nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſsitate trahimur. Et in Eſaiam: Hæc vniuerſa dicuntur vt liberum hominis arbitrium monſtraretur: Dei enim vocare eſt & noſtrum credere, nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſsibilis Deus eſt, ſed potentiam ſuã noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſtè voluntas præmium conſequatur. Et rurſus: liberum ſic confitemur arbitrium, vt

Gregor. Nyſen. in opuſ. de lib. arbit. cap. 2.

Hieron. li. 2 cont. Iouiniã. Lib. 2. in Eſaiam cap. 49.

dicamus

dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichęo dicũt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare: vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, vt ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. *Hieron. de ſymbolo ad Damaſum tom. 4.*

His oportet addere clariſsimum Eccleſiæ lumen B. Auguſtinum quem falſiſsimè noſtri hæretici dicunt ſententiam retractaſſe: nam poſterioribus temporibus, quibus aduerſus Pelagianam hæreſim diligentiſsimè vigilauit, pulcherrimos & doctiſsimos libros ſcripſit de gratia & libero arbitrio: De correptione & gratia, poſtquam antea tres libros cõtra Manichæos de libero arbitrio ediderat: quis, inquit, noſtrum dicat quod peccato primi hominis liberum arbitrium perierit de humano genere? Et alibi, ratio quemlibet noſtrum vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur. Rurſus ne ſic liberum aſſeramus arbitrium, vt ſuperba impietate ingrati Dei gratię iudicemur, & mox poſt pauca: quapropter niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè vti malus poteſt, ſed etiã voluntatem bonam niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus, quod dictum eſt, quid enim habes quod non accepiſti? & rurſus breuiſsime: operatur *Aug. li. 1. cõt. duas epiſt. Pelag ca. 2.* *Augu. de peccator. mer. li. 2. cap. 18.* *Aug. ſup. Deut. lib. 5 quæ. 15. in fine.*

ergo Deus, cooperamur nos, non enim au-
Li 2 cõt. Fauſt. c. 5 fert, ſed adiuuat bonę voluntatis arbitrium.
& contra Manichęos: Nos quidem ſub fato
ſtellarũ nullius hominis Geneſim ponimus
vt liberum arbit. volũtatis, quo vel benè vel
malè viuitur, propter iuſtũ iudicium Dei ab
omni neceſsitatis vinculo vindicemus. De-
niq; pulchrè ſubinde Deum nos admonentẽ
Augu. in Psal. 26. enarra. 2. introducit, in via ambula, liberum arbitriũ
tibi dedi, volũtatis tuę es, proſequere viam,
quære pacem & ſequere eam, & hic nos re-
ſpondere docens, dic, inquit, Deo; volunta-
tem quidem liberam mihi dediſti, ſed ſine te
nihil eſt mihi conatus meus, adiũtor meus e-
ſto, ne derelinquas me. poſtremo vſq; adeo
voluntarium malum eſt peccatum, vt nul-
lo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntariũ,
atque hoc ita manifeſtum eſt, vt nulla huic
Augu. de vera religion. c. 14 doctorum paucitas, nulla indoctorum turba
diſſentiat, quare negandum eſt peccatum
committi, aut fatendum eſt voluntate com-
mitti, vt per eandem ipſum caueri poſsit, &
quoniã peccari dubium non eſt, nec hoc vi-
deo quidem dubitandum, habere animas
Augu. de lib. arbit. li. 3. ca. 18. liberum voluntatis arbitrium. Et de libero
arbitrio: quis peccat in eo, quod nullo mo-
do caueri poteſt? peccatur autem, caueri igi-
tur poteſt: Et in eodem libro: Motus autem
quo huc atq; illuc voluntas conuertitur, niſi
eſſet voluntarius, atq; in noſtra poſitus po-
Cap. 1. teſtate; neque laudandus, cum ad ſuperiora,
neque culpandus homo eſſet, cum ad inferi-
ora detorquet, quaſi quendam cardinem

volun-

voluntatis. Quæ & ſimilia loca vir ſanctus non retractat,ſed propter Pelagianos interpretatur,per voluntatem poſſe quidem caueri peccatum,ſed cum gratia Chriſti.Non minus perſpicua ſententia eſt D. Chryſoſtomi, quoniam,inquit,bona atque mala in noſtra Deus poſuit poteſtate, electionis liberum donauit arbitrium,& rurſus: ſæpè qui malus eſt, ſi voluerit, in bonum mutatur,& qui bonus, per ignauiam excidit & fit malus, quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturam fecit, nec imponit neceſsitatem, ſed congruis remedijs appoſitis totum iacere in ægrotantis ſententia ſinit. Item ſi malignitates, inquit, à ſeipſis non ſunt, noli tuos ſeruos caſtigare, nec vxorem ſi peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incuſa, nec offendentibus inimicis, infenſus ſis, nam hi omnes niſi ſponte delinquant, non punitione ſed miſeratione digni ſunt. Et iterum: ne des in commotionem pedem tuum, non dixit, ne commouearis, ſed ne des, igitur in nobis eſt dare non in vllo altero: Nam ſi ſtare velimus ſtabiles & immoti,non cõmouebimur, quid igitur in Deo? nihil eſt? omnia quidem in Deo,ſed non ita vt liberum in nobis arbitriũ violetur, æqualis Chryſoſtomi eſt Epiphanius. Quomodo verò etiam liberum arbitriũ habere in hoc mũdo apparet? in nobis enim ſitum eſt vt credamus & non credamus, in nobis rectè facere & peccare, in nobis benè facere & malè facere, rurſus Diuus Auguſtinus, ſiue, inquit, iniquitas

Lib.1.retract.c.9.

D. Chryſ. de proditione Iudæ.

Hom.60. in Matt.

Hom.42. ad popul. Antiochenum.

Epipha. hæreſ.64.

ſiue iuſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate, porro ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmiũ, nulla pęna iuſta eſſet, quod nemo ſapit niſi qui deſipit. His ſubijce magnum Cyrillum qui diuerſis locis eandem ſententiam aſtruit: Nam libro ſexto contra Iulianum calumniantem quaſi Chriſtus Ieſus non potuerit ad ſalutem ſuorum amicorum & conſanguineorum voluntatem mutare, vniuerſorum, inquit, opifex ſui iuris hominem eſſe voluit, & in operabilibus propria gubernari voluntate. valde autem puerile eſt, quod dicit non potuiſſe eum amicorum ſuorum propoſitum mutare, oblitus enim mihi videtur, tametſi ſæpius audierit, quod homo ſit ſui iuris, voluntariè vadẽs ad quodcunq; ſibi placuerit, vt & qui benè operari voluerit laudandi ſint, & qui diuerſam iuerint viam, vituperandi iuſtè ab omnibus. Et lib. 8. factus eſt homo ſui iuris & liber, & ſuæ voluntatis momentum tranſiens ad poteſtatem quodcumque vellet faciendi, ſiue bonum ſiue malum. Rurſus in Ioannem declarat, quod Iudas nulla neceſsitate ſed proprio iudicio fecit, quod fecit. Sequitur hos & D. Damaſcen. qui de libero arbitrio, tres pulcherrimas breuiter abſoluit quæſtiones: Nam de libero arbitrio, inquit, hoc eſt de eo quod in noſtra poteſtate ſitum eſt, ſermo primam quæſtionem habet, ſi quid in nobis in noſtraq; poteſtate eſt. Secundam quæ ſunt ea quæ in nobis ſunt, & quorum ſumus liberam adepti poteſtatem, & facere & non facere.

Aug. cõt. Fauſt. li. 22. ca. 78.

Cyrill. li. 6. cõt. Iul.

Li. 8. cõt. Iulianũ.

Li. 11. c. 21

D. Damaſc. li. 2 de ortho. fid, ca. 25.

Tertiam ob q̃ qui fecit nos Deus liberæ poteſtatis fecerit. Et cætera, quæ lib. 2. pertractat cap. 25. & ſequentibus, in quibus veriſſimè hoc addit, quod arbitrio liberum, ac ſe ipſo potens, commeat ac recurrit, ſeu conuertitur cũ eo quod ratio nobis ineſt. Quia verò res apud patres certiſsima eſt, placet eorum chorum B. Bernardi ſententia concludere; cum triplex, inquit, ſit nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſsitate, hanc vltimo loco poſitam, contulit nobis in conditione natura. Ex his ſcripturæ & patrum ſententijs, ſimul & rationibus facilè licet intelligere ad liberum arbitrium, prout in eccleſia agnoſcendum eſt, pertinere, non ſolũ quod à coactione immune eſt, ſed quod ea quorum reſpectu liberum dicitur in ſua habeat poteſtate vt faciat vel nõ faciat, à qua poteſtate nomen & rationem habet, vnde & Græcis dicitur αὐτεχούσιον, quaſi ſe ipſo potẽs, quod videlicet ex ſe ipſo pro ſuo nutu & arbitrio poteſt facere vel nõ facere, velut id ꝙ ad vtrumlibet in ſua manu poſitum eſt, cuius homo dominus ſit, & in vtramuis partem ſuam habeat optionem & electionem, & tam hoc quam illud nemine prohibente amplecti queat, de qua nominis interpretatione non ineleganter diſſerens B. Bonauentura, non ſine cauſa, inquit, potius dicitur liberũ arbitrium quam iudicium, ſiquidem iudicium propriè ſignificat actum rationis, qui ſecundum regulas veritatis, ſiue ſupernæ legis dirigitur, Arbitrium verò voluntariam deſi-

D. Bern. in tract. de grat. & lib arbit.

Quid & vnde dictum lib. arbitriũ.

D. Bonauẽt. in 2.

ſignat æſtimationem ſeu voluntatis ſententiam, quæ nutu & imperio voluntatis dirigitur, vnde ille dicitur iudex cuius eſt ſecundum iura cauſam definire. Ille autem dicitur arbiter qui ad proprium voluntatis nutum cauſam habet determinare. quoniam igitur liberum arbitrium de agendis magis iuxta voluntatis nutum, quàm iuxta iuris præceptum, quantum eſt de ſe diſcernere habet, magis propriè nominatur arbitrium quam iudicium.

CAPVT V.

Quibus liberum arbitrium conueniat & in qua animi facultate ſitum.

PRO cuius ampliori declaratione primũ notabis, liberum arbitrium ſolis & omnibus ijs conuenire, qui vtuntur ratione, quique conſiliari & negotiari poſſunt tam ex parte libertatis quam ex parte arbitrij, quoniam bruta animantia neq; arbitrãtur actus ſuos diſcernendo, & eorum imaginatio ac æſtimatio naturaliter ad vnum determinatæ ſunt, & fere rebus ijſdem omnino poſitis eodem modo feruntur, nec appetentiam ſuam refrenare aut moderari vel mutare poſſunt. Deinde conſiderabis hanc liberi arbitrij facultatem non eſſe ſolius rationis vel voluntatis, ſed ex vtriuſq; concurſu & coniunctione in anima reſultare, quoniam per rationem illa iudicat & diſcernit, per voluntatem ſe mouet, & ad actum applicat

Libertas hæc ex cõcurſu voluntatis & rationis naſcitur.

plicat

plicat, & rationem, vt D. ait Bernardus, voluntas quocunque ſe voluerit ſemper habet comitem & quodammodo pediſſequam, cuius miniſterio ſæpè contra dictamen rationis vtitur. Inſuper animaduertes quod tametſi à voluntate & ratione liberum arbitrium re ipſa non differat, certa tamen conſideratione hæc diſcernuntur; nam voluntas & intellectus ſeu ratio vocantur quatenus ſimpliciter in ſua obiecta feruntur vel apprehendendo vel appetendo. Liberum verò arbitriũ dicitur quatenus homo ſuo imperio & nutu vires iſtas ad actus ſuos deflectit, & applicat ſuper eos ſe reflectendo, & ſingula in quibus conſiſtunt conſiderando. Quamuis igitur ad libertatem arbitrij neceſſaria ſit ratio tanquam oculus, quo voluntatis obiectum aſpicitur (quoniam non niſi in rem cognitam ferri poteſt) ſimul etiã quia intellectus vniuerſalis poteſt omnes voluntati rationes boni oſtendere, vt quas velit amplecti, & eligere poſsit, quia tamen dominium & imperium omnium actionum principaliter & propriè eſt ex voluntate, nõ plenè liberi arbitrij naturam explicant, qui totam libertatis radicem in ratione conſtituunt. Nam ſicut ex parte intellectus neceſſaria eſt rationis illa indifferentia, qua vniuerſaliter nulli rerum generi aſtricta eſt, ita etiam ex parte appetitus ſimilis exigitur obiecti (quod bonum eſt) vniuerſalitas, vt ad quamuis boni conſiderationem voluntas moueri queat. Eſt igitur libertas iſta

arbitrij

Libertas eſt proprietas voluntatis.

arbitrij proprietas quædam voluntatis, quatenus eſt appetitus intellectiuus, ſecundum quam poteſt hic appetitus ad oppoſita ſe pro nutu flectere,& non proprietas rationis vel intellectus, quem voluntas, vt diximus, ſemper habet comitem, atque eius miniſterio pro arbitrio vtitur. Arbitrium quoque non eſt iudicium vel ſententia intellectus, quę ſi voluntatis pręcedat imperium ſemper cohiberi & ſuſpendi poteſt, & ſi ſequitur, vt fit in intellectu practico, iam ex arbitrio voluntatis antecedente proficiſcitur, ſed eſt nutus ipſe voluntatis, conſenſus & ſententia vel concluſio, qua ſe in hoc vel illud ſine neceſsitate determinet. quod equidem arbitrium ipſa eſt electio & conſenſus, ſeu beneplacitum voluntatis, quod his aut ſimilibus verbis exprimitur, ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, an nō licet mihi facere quod volo? & dicitur arbitrium, nō quia rationis, ſed quoniam voluntatis eſt ſententia, placitum, ac decretum. vnde ſacræ literæ quod olim populus tam liberaliter ad inſtaurationem templi offerebant, dicunt populū ſponte & arbitrio cordis ſui feciſſe, palam ſignificando, arbitrium non ad intellectum, ſed ad cor, id eſt, voluntatem & affectum pertinere. ideoque ſemper à patribus liberum voluntatis arbitrium dicitur, & non intellectus. Ex quibus nunc facilè patet, quæ nā res in homine dici debeat liberum arbitrium: Non enim intellectus vt iam diximus neq;, vt quidam volunt, habitus aliquis ex concurſu

curſu voluntatis & intellectus conſurgens, quoniam per habitus ad vnum potentiæ determinantur,& ad bonum vel malum determinatè inclinantur, ex libero verò arbitrio potentes ſumus qui non obſtantibus habitibus, non in hanc vel illam partem inclinantibus liberè nos pro placito noſtro in quod velimus nos ipſos moueamus & inclinemus. Deinde manifeſta eſt hîc ratio potẽtiæ, qua quis ſe poſsit mouere & dominio quodam à motu ceſſare, eſt igitur liberum arbitrium ipſa hominis voluntas, quatenus per eam homo ſui potens eſt, vt ſine neceſsitate, quam velit contradictionis partẽ eligat, nam quod à coactione, ſicut antea dictum eſt, liberi ſumus, ipſa natura voluntatis exigit, quæ non erit voluntas, ſi coacta ſit. Nam coactum dicitur, quod eſt contra voluntatem. fieri igitur non poteſt, quia ſimul idem velle & nolle non poſsimus, vt quod voluntarium eſt ſit coactum & inuoluntarium, quæ contraria ſunt & contradictionẽ inuoluunt. Ideoq; de hoc libertatis modo nunquam fuit aut potuit eſſe quæſtio, quam omnes euidentiſsimè in ſe ſentiunt & ſine quo natura voluntatis aliter concipi nõ poteſt, ſed de eo libertatis modo, ſemper eccleſia cum hæreticis & nonnullis philoſophis conflixit, quo ſimpliciter (vt etiam antè dictum eſt) homo aliquid facere, vel id ipſum omittere poteſt, cuius proprius actus eſt alterutrum oppoſitorum quæ offeruntur eligere, quemadmodum ſcriptura nobis optionem ſæ-

Lib. arb. nõ eſt habitus ſed potentia.

nem ſæpè relinquit, quæ ſane optio, neq; in coactis, neq; in neceſſarijs vel ad vnum naturaliter determinatis locum habet. Quamobbrem voluntas cum generatim ad bonum ſit naturaliter determinata, vt benè ac fęliciter eſſe, non velle non poſsit (Nam bonum eſt quod omnia appetunt) huius reſpectu ad quę naturali voluntas inſtinctu determinatur liberum arbit. nullam functionem vel electionem habet, ſed in ijs dũtaxat in quibus, vel per quę particulatim ratio boni poteſt excogitari vel inueniri. id quod D. Thomas & alij ſibi volunt, quando liber. arbit. in ijs tantum locum habere dicunt, quæ media ſunt ad finem; non quod de finibus bonorum nemo ſibi liberè iudicium & ſententiã particulatim conſtituere poteſt (abſit) ſed quod pręſuppoſito naturali voluntatis erga ipſum bonũ appetitu, per liberum arbit. de medijs conſultamus, quibus verã felicitatis rationẽ aſſequi valeamus, quæ ſane qui prudenter expendit omiſsis omnium philoſophorum & hominũ iſtius ſæculi ſententijs, dicit cum propheta; mihi adhęrere Deo bonum eſt, & Dominum, pro ſummo ſuo, ſicut verè eſt, ſummum bonum eligit.

D. Thom. defenditur.

CAPVT VI.

Alius libertatis modus in homine viatore atq; in angelis.

POſt hæc conſiderandum, quod licet S. angeli qui in bono ſunt confirmati, & dęmones qui in malo ſunt obſtinati, ſuã in ſingu-

ſingulis, quas circa creaturas exercent, actionibus habeant arbitrij libertatem, qua neq; coactè neque neceſſario hoc vel illud faciunt, alius tamen libertatis modus in homine viatore agnoſcendus eſt, is videlicet, quo per ſe malè, & per gratiam Dei benè poteſt operari, & poſt peccatum mortale admiſſum, Deo adiuuante, reſurgere, pœnitere, ac peccatorum remiſsionem conſequi poteſt: Nam reliquit nos dominus in manu cõſilij noſtri, appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Et alibi: potuit inquit ſcriptura, tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, cuiuſmodi ſententiæ prouidentia ſpiritus ſancti per Sapientem contra pharisæos tunc temporis exorientes ex propoſito directæ videntur, quemadmodum & aliæ ſcripturæ nuper citatæ optionem & electionem boni vel mali permittunt, negligentes & peccantes arguunt, quare ſic & ſic, hoc vel illud fecerint iudicantes eos aliter facere potuiſſe. vnde etiam nobis in hac via & in tempore ſeu ſtatu merendi conſtitutis, Dominus tanta prouidentia bona & mala prædicari curat, quæ ſtultè & inaniter bonis vel malis angelis proponerentur. Cæterum vt plenius & dilucidius hoc argumentum diſcutiatur, cuius vera hoc tempore cognitio neceſſaria eſt, diligenter pertractanda eſt illa quæſtio, quæ ſepoſito parumper dogmate, quod de libero arbitrio

tenet

An laus & vituperium ſine hoc modo libertatis ſtatui queant.

D. Bonauět. in 2. diſt. 7. & 25.

tenet eccleſia, diſputari poteſt: An laus & vituperium, correptio, meritum præmij, & pœnæ reatus neceſſariò poſtulent, vt in operibus talis ſit contingentia, quà fieri & non fieri potuerint. Nam D. Bonauentura quamuis in noſtris operibus eam indubiè agnoſcat, pro rigore tamen iuſtitiæ arbitratur ſufficere, quod opera voluntariè fiunt, voluntate ſeipſam ad ea mouēte, & cum reflexione, qua nō vult aliter eà exercente: vnde dęmones qui benefacere prò malitiæ profunditate nequeunt, videntur ei quotidiè grauius peccare, & pœnam maiorem promereri: & ſancti angeli, qui pro abundantia bonitatis peccare non poſſunt, putantur apud eum accidentale quoddam gloriæ ſuæ augmentum ſancto ſuo miniſterio quotidie cōparare: certè Chriſtus Dominus ſecundum humanam naturam peccare non potuit, tamen ſibi & nobis ſanctiſsimis ſuis operibus meritus eſt non tantum, quæ eo libertatis modo fecit quò potuit eadem omittere, cuiuſmodi fuit, ſuà benedicta crux & paſsio, ſed etiam continuo illo amore & obedientia erga patrem, vnde præ nimia bonitatis abundātia & ſpiritus plenitudine nō potuit ſe deflectere, abſurdū enim fuerit, quod non niſi mortis & pœnalium operum quæ omittere potuit electione meritus ſit, cum horū nihil meriti rationem habeat niſi quatenus ex amore & charitate proficiſcatur, ſicut & ſingula, quæ peruerſi ſpiritus opera faciunt, non ſunt peccata, niſi quando ex mala & per-

uerſa

uerſa fiunt voluntate, quam tamen ſic obſtinatè retinent, vt mutari non poſsint. quid enim ad laudis, & meriti vel reatus & vituperij naturam refert an quis oppoſitum poſsit, quando non vult? ſi enim voluntariè quis in puteum ſe pręcipitauit & ſponte ibi maneat & nolit ab aliquo iuuari, merito ei imputatur quod ibi manet, etiam ſi nunc ſubtractis omnibus ſubſidijs euadere non poſsit. Quãdo igitur tam eſt peruerſa voluntas vt nolit poſsibilitatẽ in contrarium, nec eam optet, aut deſideret, imo deprecetur ne contingat; & metuat forte, ne, ſicut Auguſtinus: Adoleſcens exaudiatur cõtra malum, quid iuuabit vel excuſabit eam neceſsitas, vel immutabilitas? quid enim reſpondebit cum ipſe fecerit, & ſuo vitio prauè ſe præbuerit, & rurſus quando tam bona & plena virtutis eſt pia voluntas, vt nolit ſe poſſe peccare, quid ei decedit de merito virtutis & laudis, quando in ſtatu eſt viatoris, vt adhuc mereri & præmium augere queat? verum in his quæ variè & problematicè à Catholicis doctoribus diſputantur, vtcumque res & veritas habeat, certiſsimum tamen eſt, aliter de homine viatore ſtatuendum eſſe, tum ex ratione diuini iudicij, in quo nõ ſolum ſuis actibus correſpondentem exitum recipient; ſed etiam ratio cum omnibus ponitur: Aſsimilatum eſt enim regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis, & poſt multum temporis, inquit Matthęus, venit Dominus ſeruorum illorũ;

Probatur alius libertatis modus in homine quam angelis.

Matt. 18. & 25.

 & po-

Rom. 14. & poſuit rationem cum eis. Et Paulus Apoſtolus, vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Et iterum Dominus: dico autem vobis quoniam omne verbũ otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: & Petrus Apoſt. de infi-
Matt. 12. delibus loquẽs: reddent, inquit, rationem ei qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos.
1. *Pet.* 4. vbi verò ratio poſtulatur & redditur, ibi nõ potuit in alterã partem eſſe neceſsitas, vnde grauiter cum ſeruis nequã iudex expoſtulat, quare ex talẽto ſuo lucrũ non fecerint: & deinde patet & ipſum ex eorum conſideratione, quæ ex diuina prouidentia hic erga homines fiunt, vbi præcepta eis dantur & conſilia, prædicatur eis bonũ & diſſuadetur malum, optio & electio vitę, vel mortis eis datur, pœnitentia & ſpes venię euangelizatur: nã quicquid de laude vel merito cogitari poteſt, certè pœnitentiã non habet in ijs locũ, quæ aliter fieri non potuerũt: pœnitendi enim aſte-
Augu. de duab. animabus ca. 14. ctio, prodit malè feciſſe pœnitentẽ & benè facerè potuiſſe teſtatur. Deniq; quæ ſupra tũ ſcripturæ tum rationes allatæ ſunt huc pertinent, vt hominem quamdiu viator eſt liberè & ſine neceſsitate benè vel malè facere
Reſpõ. ad quæſt. de merito. conuincãt: vt interim ad quęſtionem propoſitã reſpondeamus, notabis ex Ariſtotele &
Ariſto. 1. *Ethic.* rei natura laudẽ propriè ijs deberi quæ benè
D. Thõ. in 2.2. *qu.* 103. *art.* 3. ordinãtur ad finem, honorem verò (qui generaliter teſtimonium eſt excellentiæ) etiam optimorum eſſe, quæ non ordinantur in finem, ſed iam ſunt in fine, vt Beati videlicet,

& qui

& qui finē ipſum adepti ſunt, ideoq; beatos & felices in ſuo opere honorãdos,ſeu honorabiles propter ſtatus excellentiã docet: & à contrario,eos qui in finem & ſummũ malorum peruenerũt deteſtandos & abominãdos eſſe ratio oſtendit.Laus verò vituperium & correptio ijs propriè debētur quæ aliter fieri potuerũt & eadē eſt boni vel mali meriti,quę ad finē aliquem ordinãtur,ratio,neq; diuina æquitas patitur vt tã horrendã pœnã, qualis eſt impiorũ damnatio, ſenſibilē inferat, niſi pro opere quod is qui punitur vitare potuit, & eadē fuit ſemper eccleſię cõtra Manichęos & alios liberi arbit.negatores ſentētia,quod ſi homo aliqua neceſsitate licet ſua volũtate (quam nemo negare poteſt) ſic viueret & ageret, vt nunc viuit,neq; præmiũ, neq; pœnam iuſtè mereri poſſet. Quod igitur de bonis & malis angelis adfertur re diligēter examinata,æſtimandũ eſt eos propriè non mereri,ſed bonos fęliciter & honorabiliter operari:malos verò miſerè & abominabiliter, vt etiã ſi nondũ plenum ſit vel bonorum gaudiũ, vel malorum ſupplicium(quòd vtrumq; veriſimile eſt)totũ tamen hoc,ꝙ in fine conſecuti ſunt id ꝓmeriti ſunt primò liberrimo opere,quo boni dño ſuo ſubeſſę & adhęrere liberrimè elegerũt, & mali ſimili libertate à Deo ſuo apoſtatarũt,quo merito,quoniã oẽs in eũ ſtatũ deuenerũt vt neq; boni malę neq; mali benè velle queant,tantũ videnť ſtipēdij boni vel mali à iuſto iudice cõſecuturi, quãtũ ſingulis & omnibus eorũ operibus,ſi non

ad alteram partem boni vel mali eſſent determinati promererentur: quoniã quidquid boni vel mali nunc faciunt, totum in primo opere virtute continebatur, quamquam in beatis ſanctiſsima ſua miniſteria, etiam fructus quidam ſunt ſuæ beatitudinis & opera dæmonum fructus ſuæ calamitatis, & augmẽta damnationis, de ſaluatore verò noſtro notandum eſt quod ſecundum ſuperiorem animæ rationem etiam contemplator fuit, qui patrem facie ad faciem ſemper viderit, & hac parte beatus & extra merendi ſtatum fuit, ſed quatenus viator erat, licet abſque dubio peccare non potuerit, ſingula tamen ſanctiſsima ſua opera ſine neceſsitate præſtitit, quin ſingula omittere & alia pro ſuo beneplacito facere potuit, ſed propter ſalutem noſtram noluit, imo actum amoris & internæ dilectionis prout à viatore proficiſcebatur (ſicut fit in ſomno) ſuſpendere & intermittere pro tempore valuit. Ideoq; D. Cyrillus ad hanc ab hæreticis quæſtionem coactus, an Chriſtus in eo quod bonus eſt, ſecundum ſuam diuinitatem liberi ſit arbitrij; planè docet nulla quidem externa neceſsitate, ſed voluntate ſua bonum & miſericordem eſſe, ſed non eo libertatis modo, quo in nobis liberum arbitrium agnoſcere & prædicare debemus: proinde de libero arbitrio, prout in nobis eſt loquẽs B. Hieronymus, in noſtra, inquit, poſitum eſt poteſtate vel peccare vel non peccare, &, vel ad bonũ vel ad malum extendere manum, vt liberum ſeruetur arbi-

D. Cyrill. in theſa. li. 3. ca. 2.

B. Hiero. li. 3. cont. Pelagia.

tur arbi-

turarbitrium. Et rurſus de prodigo ad Damaſum, ſic ait, qui diuiſit eis ſubſtantiam (ſignificátius in Græco legitur) quod dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnuſquiſq; non ex imperio Dei ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſsitate, ſed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exemplum Dei permiſſum eſt nobis facere quod volumus. Vnde & in peccatores æquum iudicium & in ſanctos aut iuſtos iuſtum præmium retribuetur. Quibus accedit D. Auguſtinus: vanas excuſationes relinquat humana fragilitas, quia nec impoſſibile aliquid potuit imperare qui iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare qui pius eſt. Obijcitur tú peccatum originale & quæ paruulis in baptiſmo latenter infunditur iuſtitia: quoniam cum neutrum liberum ſit, propter illud tamen puer damnatur, & propter hanc ſaluatur: ſed de hoc ex ijs quæ de peccato originali tractauimus, facilis eſt reſponſio, quia de peccato originis longè alia, inquit D. Bernardus, ratio eſt: quoniam in illo puer non ſecundum propria ſua opera iudicatur, ſed ſecundum commune meritum, quo totum genus humanum in Adam liberrimè peccauit, vnde nobis inhærentem contraximus impietatem, qua inepti & inidonei ſumus regno Dei. In hoc igitur erga paruulos ſine baptiſmo decedentes rectum & æquum eſt iudicium Dei, quoniã in Adam peccauerunt,

Ad Damaſ. de filio prodigo.

D. Augu. ſer. 61. de tempore & de nat. & gratia ca. penul.

Obiectio.

D. Bernard. de gratia & libero arbitrio.

ex eo tales effecti, vt non niſi extra regnum cœlorum in tenebris locus eis cõueniat, vbi aptitudo quædam ad pœnam & ineptitudo ad gloriam eſt, ex parte maculæ paruulis inhærentis: ſed totum meritum ſeu reatus pœnę eſt ex parte primæ radicis ſe totam liberè vitiantis & Deũ voluntariè & grauiſsimè offendentis, quatenus illius peccatum omniũ commune fuerit, quæ tamen ratio communi eccleſiæ ſenſu non ſufficit, vt propter hoc paruulos credat horrendo adultorum igne torqueri, ſed tantum vt extra regnum cœlorum miſerè & miſerabiliter in tenebris agãt. Ad eundem modum de iuſtitia quoq; dicendum eſt, quæ per baptiſmum latenter & habitualiter paruulis infunditur: quod ea meritum regni cœleſtis non efficit, ſed aptitudinem duntaxat & idoneitatem, quà gloriæ capax eſt: totum verò meritum propter quòd ſaluantur eſt in Chriſto & Eccleſia, in cuius nomine & communione vt membra & filij glorificantur. Itaq; laus, meritum, reatus, correptio, iudicium, ſuaſio, iuſsio & admonitio non niſi in ijs locum habent quæ ad alterutram partem ſunt in operantis poteſtate ac libertate, vt facere vel omittere queat. Vbi in homine quamdiu viator eſt hoc addendum eſt, quod quamdiu in hoc mũdo ratione pollet, ſemper ex malo bonus, & ex bono malus fieri poteſt, vt de nemine qui cecidit deſperare quis debeat, & qui ſtat videat, & vigilet ne cadat.

CAP.

CAPVT VII.

Quomodo in nobis, qui poſſibilitatem boni in Adam amiſimus verum ſit, quod in peteſtate vel libertate noſtra ſit, benè vel malè facere.

CAEterum nunc iuuante Dño explicandum eſt, quomodo de nobis, (qui in Adam boni poſsibilitatem amiſimus) verum ſit quod in poteſtate & libertate noſtra eſt benè vel malè facere. Dictum eſt enim intellectum vitio originis cęcum eſſe, per infidelitatem, voluntatem ſui amore ſuperbam, appetitum concupiſcentia prorſus animalē: quibus accedit magna poteſtas & tyrannis dæmonis, quam iuſto Dei iudicio tam efficacem habet ſuper omnes filios Adæ, vt nulla ſuper terram ſit poteſtas, quę illi cōparetur. Quib. efficitur vt homo peccati ſimul & diaboli ſeruus ſit, à quo captiuus tenetur ad ipſius voluntatē, quæ cauſa eſt vt Chriſtus Dñs venerit in hunc mundū peccatores ſaluos facere, & quærere quod perierat: quopacto igitur in noſtra poteſtate eſt bene facere, cū non ſolum amiſſa videatur poſsibilitas boni, ſed inuecta quoque neceſsitas peccati? Ad hæc dicendum nos fateri ad liberum arbitrium & ad eius in hac via modum pertinere, quod in poteſtate noſtra ſit bonum & malum, non quia per ipſum idonei ſumus ea quæ ad Deū pertinent, ſine Deo vel peragere vel inchoare: abſit: Sed quoniam per Chriſti dexteram *Aug. li. 2. de libero arb. c. 20.*

(ſicut loquitur Auguſtinus) nobis porrectā & gratiam Dei nobis in manu eſt benefacere vt quamquam in puteum lapſi ex nobis exire non poſsimus, per ipſum tamen, & ex ipſo nobis præſente id valeamus: quemadmodū Propheta ait, perditio tua ex te Iſrael, tantūmodo in me auxilium tuū, hoc enim contra hæreticos, & Stoicos ſuſtinendum eſt, quod quamlibet grauiter liberum arbitrium peccato originis ſit vulneratum, propter Chriſtum tamen (qui iuxta ſcripturam ab origine mundi occiſus eſt) noluit Deus hominem ſicut prauos Angelos relinquere, quin omnibus ſic præſens adſit, vt per ipſum ex malo in quod præcipitati ſunt, vultum attollere, & tandem ſe Chriſto adiuuante expedire queāt. id quod pulchrè paucis indicat Auguſtinus quando nos monens ait: dum adhuc in poteſtate noſtra eſt, cum Dei adiutorio feſtinemus vulnera curare. & alibi: Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere vel repudiare quod ſuggerit. Et rurſus: rectè fortaſsis quærerentur, ſi erroris & libidinis nullus homo victor exiſteret, cum verò vbique Deus ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperātem, diligētem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpā quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis: per ſe itaque vo-

Oſea 13.

B. Augu Hom. 16 Deinde 12. ex 50.

Aug. li 3. de libero arb. c. 19.

que vo-

que voluntatis liberum arbitrium vitio originis à Deo auerſum eſt, ſed Deo vocante & excitante conuerti poteſt, ipſo docente credere, conſolante ſperare, exhortante diligere & adiuuante operari poteſt. licet enim gratia indigeat, non tamen extinctum eſt, neque in malo prorſus obſtinatum & bono mortuum, ſed manet in anima naturale iudicatorium & conſcientiæ commonitoriũ, vnde excitante & adiuuante Chriſto, quod verè bonum eſt eligere & præſtari poteſt: id quod lucidius fiet, ſi paulo fuſius quo pacto in actionibus ſuis vulneratum ſit liberum arbitrium, & quatenus remanſerit explicemus.

CAPVT VIII.

Quatenus vulneratum ſit & remanſerit liberum arbitrium.

PRimum igitur ad ea quod attinet quæ ſunt naturę, vt manducare, ambulare, laborare, artes addiſcere vel exercere, familiam vel rempublicam adminiſtrare, victum quærere & ſimilia, in his virtus quædã naturæ remanſit, vt Deo generaliter concurrente homo ſine peculiari gratia Chriſti ea præſtari queat, ita tamẽ vt etiam ad hæc perfectè ſine vllo vnquam errore præſtanda frequentibus illuminationibus, inſtinctibus diuinis & angelorum miniſterijs ſæpè indigeat. Sed alterius ordinis ſunt ſtudia pietatis, quibus ad ſtatum ſalutis homo diſponitur & præparatur, & in eo vt conſeruetur, &

maneat agitur. In his liberum arbitrium viribus eſt attenuatum & inclinatum vt iuuari, ſanari, excitari, erigi ſua debeat infirmitas, vnde ad credendum opus eſſe diximus diuini luminis aſpergine, qua mens intus perfunditur, & ad vidẽdum credibile eſſe, quod prædicatur ipſa iuuatur & excitatur. Similiter & ad pœnitendum ſuaui ſpiritus tractu & inſpirato amore opus eſſe dicebamus, quę liberum arbitrium non quidẽ omnino mortuum aut extinctũ, ſed languidum, infirmũ, ſomnolentum & obſcuratum arguunt, cui dum pij cogitatus & ſancta ſæpè conſilia diuinitus ad hunc modum ſuggerũtur, relicta in naturali iudicatorio ſemina excitantur & incrementum Deo cooperante recipiunt. Et huiuſmodi gratijs nunquam, vt alibi monſtratum eſt, Dominus hominem in hac vita deſtituit, quin ſemper habeat ex eius benigno ſpiritu huiuſmodi velut ſemina quædam pietatis, vnde fructum aliquem Deo cooperante facere queat. Poſtremo loco ſanctiſsima ſunt illa opera quibus regnum cœlorum in præmium repoſitum eſt, quæ nemo facit niſi adoptatus in filium Dei, & in ſtatu gratiæ gratificantis cõſtitutus, in his homo prorſus mortuus fuit & vires nullas retinuit, ſed ad hæc debet per ſpiritum ſanctum noua in homine vita creari, quia ipſa eſt gratia gratũ faciens, cuius (quia imago Dei eſt homo) capax remanſit, per q̃ tamen ſupra rationem & velut ſupra ſe eleuatus efficitur idoneus qui ex ſpiritu inhabitante ad opera huiuſmodi

In tractatu de gratia.

ſe ipſum

ſe ipſum liberè moueat, ſicut liberè eandem ſuſcipit, cor ſuũ Deo cooperante aperiendo & inclinationi ſpiritus ſeu gratiæ ſe accommodando. Ex quibus confido poſſe perſpici quod nõ obſtante neceſsitate gratiæ Chriſti, liberum in ſingulis arbitrium nobis remanſerit. Nam licet ſine gratia ſerui ſumus peccati & morbum noſtrum ſpectando, neceſſe ſit nos peccare, in Chriſto tamẽ & per gratiã eius omnia poſsimus, non equidem quaſi impius per gratiam ſibi præſentẽ ſtatim poſsit omnia, qui maiori gratia indiget, vt ab impietate liberetur, ſed quoniam per gratiam ſibi comitantem poteſt ſe attollere & authorem omnium, Deum pro ampliori auxilio inuocare gratiamq; maiorem & neceſſariam per ſacramenta recipere, qua ſanatus eius mandata præſtare queat. His ex D. Bernardo lubet addere quod gratia liberum arbitriũ comitatur, vt ex ipſa non minus liberè homo benè operari poſsit, quam ſi penes eum ſolum eſſet boni poteſtas, & quanquam non ſint in eius poteſtate diuerſæ ſpiritus quibus præuenitur inſpirationes, per illas tamen ſic corda hominum ſua bonitate afficit, vt ex ipſis vel ſemine aliquo exinde ſemper in corde remanente homo poteſtatem & facultatem boni habeat, quam Deo cooperante liberè exercere, & in actum deducere poteſt: non quomodo miraculosè Deo faciente, cœlum conſcendere poſsimus (quæ potentia apud philoſophos remota dicitur) ſed quoniam Deo nobis præſente,

&ad bona opera ſpiritu eius nos velut comitante veraciter & efficaciter bonum ex ipſo eligere poſsimus, vt homine volente & operante, non niſi Deo ipſum iuuante & cooperante id faciat, & quando non vult, aut non operatur, ſic ab ijs abſtinet, vt potuerit Deo ſimiliter cooperante eadem præſtare, quaſi diuinæ cooperationis adiutorium homini in promptu adſit, & mirabili Dei præſentia poſitum ſit in hominis poteſtate. Ex quibus primum diſces & pro fundamento pietatis conſtitues, nihil omnino boni tribuendum eſſe libero arbitrio, quod non ſimul ſit gratiæ: quemadmodum pulchrè & eruditè tradit Bernardus, quod à ſola gratia cæptum eſt, inquit, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtum non ſingulatim, ſimul non viciſsim per ſingulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opera indiuiduo peragunt, totum quidem hoc & totum illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa. Alterum fundamentum hinc etiam licet accipere (quod ex Auguſtino habemus libr. 12. de ciuitate Dei cap. 6.) fieri poſſe ſicut frequenter etiam accidit, quod duobus æqualiter affectis & eadē tentatione pulſatis, quando vnus ei cedit atq; conſentit, alter vincit & ſuperat, ſtatuendū eſt, quod is qui cecidit per liberum arbitrium & propria voluntate ſuccubuit, & qui ſtetit gratia Dei ſteterit: ſic tamen, quod is qui ſtetit ſua libertate cadere potuit, & qui cecidit per eandem illam

D. Roffen cont. Lutherū de lib. arbit.

D. Bernard. in fine de gratia & lib. arbit.

Aug. li. 12 de ciuit. Dei ca. 6.

gratiam

gratiam ſtare potuit, qua is qui tentationem vicit. ſi duo, inquit Auguſtinus, æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, qua viſa vnus eorum ad illicitè fruendũ moueatur, alter in volũtate pudica ſtabilis perſeueret, quid putabis eſſe cauſæ, vt in illo fiat, in illo nõ fiat voluntas mala, quæ illam res fecit? neq; enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus, quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus, an caro intuentis in cauſa eſt? cur non & illius? an vero animus? cur non vtriuſque? ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus: An dicendum eſt alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni & qualicunque ſuaſioni propria voluntate conſenſerint. Nam vt hoc quoq; ſie impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat atq; conſentiat, alter idem qui fuerat perſeueret, quid aliud apparet niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? vnde niſi propria voluntate? vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio, amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo, ambobus pariter inſtitit occulta tentatio. Hæc ille: quibus clariſsimè docet inter hos duos diſcrimẽ ex arbitrij libertate prouenire, atque hæc totius religionis & pietatis videntur præcipua fundamẽta, ex quorum altero, vbi gratia Chriſti in ſingulis prædicatur,

vbiq;

vbiq; datur gloria Deo & tollitur ingrata ſuperbia, ex altero vbi in ſingulis libertas arbitrij agnoſcitur, culpa ſoli tribuitur liberę volũtati, laus & meritũ homini quidem, ſed ita vt in Domino gloriari debeat, & quando peccat ſeipſum tantummodo accuſare, quoniam ex ſua libertate eſt quod non ſtetit, qui ſicut alius ex gratia Dei ſtare potuit. Cæterum quoniam magna in nobis etiam iuſtificatis remanet infirmitas, vt per pręſentes vires ſine alio auxilio neq; in bono perſeuerare neq; vbiq; malũ declinare poſsimus, hinc naſcitur vigilandi & orandi ſtudium, ſicut ait Dominus, videte, vigilate & orate vt non intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Nam etiã ſi quædam poſsimus, non tamen omnia ſemper volumus quæ poſsumus, hinc continenter orandus eſt Dominus vt diuina ſua gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter nos cuſtodiat, & vias noſtras dirigat, vt quãuis infirmã non tamen deficiat noſtra voluntas, tametſi enim iuſtus varijs poteſt ex præſenti gratia tentationibus reſiſtere, ſi tamen Dominus in ijs, quæ poteſt, ipſum ſuo dimittat arbitrio & non ex propoſito cõſilia ipſius dirigat, vias eius cuſtodiat, & cor protegat, volũtas libertate ſua deficiet, non quia ſtare potuerit, ſed quia cum aliud poſſet, liberè nolit.

Marc. 13.
Matt. 26.

CAP.

CAPVT IX.

Diſcrimen inter electos & reprobos ex D. Thom. libr. 3. cont. gentiles cap. 161. Et an Deus electis aliquam det gratiam, quam reprobis non dat.

ATque hoc eſt quod iuxta D. Thomam electis prę reprobis additur, quod Dñs reprobis ſuſtinet & permittit ſecundũ cõmunem rerum ordinem ſuo arbitrio cum ſufficienti gratia procedere, electos verò ex abundanti & inæſtimabili bonitate, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ſingulariter cuſtodit, protegit, defendit & præter communem rerum ordinem efficit, vt finis eorũ bonus ſit: non quod ſemper in electo maior ſit gratia, qua perſeueret, quam fuit in reprobo qui cecidit, imo fieri poteſt, quod minor in electo fuerit & difficilius ſtare potuerit, maior verò in reprobo & is facilius perſiſtere valuerit, ſed alterum pro arbitrij libertate Deus ſinit peccare; & in eo permanere ſuſtinet: ſeruans in eo naturæ & rerum ordinem, qui habet, vt quæ deficere poſſunt pro ſua permittantur conditione deficere, & defectus ijs aſſcribatur qui cauſæ defectus inueniuntur. obijcias: Dominus in electis efficit ne tentationi ſuccumbant, & ſi aliquando cedant, rurſus facit vt conuertantur & perſiſtant, hoc verò non efficit in reprobis: quædam igitur datur gratia electis, quæ non datur reprobis, quæ ſi eadem his *Obiectio.*

quoq;

quoque concederetur, æquè vt illi perſiſterent. Minor igitur in reprobis quā in electis eſt gratia. Reſpondeo quando maiorem diximus ſubinde gratiam eſſe in reprobo, de gratia locuti ſumus, quæ interna ſit, & actum voluntatis præcedat, actus vero ipſe quo electus vincit, vel finaliter conuertitur, licet ex gratia procedat, ex duobus tamen dependet; à gratia videlicet & libero arbitrio, Deo homini pro liberi arbitrij conditione cooperante. Ideoq; Dominus bonum hunc actum in electo quidem operatur, ſed impedibiliter, & ſic vt ab ipſo electo operāte omitti potuerit, ſicut à reprobo omiſſus eſt, qui tamen ex interna & aſsiſtente Dei gratia ſicut fecit electus eundem actum præſtare & exercere potuit: quemadmodum actus noſtri naturales vel politici, ſeu ciuiles ex voluntate & ſpiritu noſtro humano depēdent, quos quādo exercemus, nō niſi ſpiritu voluntariè facimus, quando verò non facimus ex libertate omittimus, & ſic ſpiritus non operatur, haud multo aliter ſpiritus Domini, qui repleuit orbem terrarum, cordibus noſtris adhæret, vt ex eo benè quidem, ſed liberè ſic operari valeamus, vbi ſi non operamur, nobis, non illi imputandū eſt, quib. ex ipſo facultas eſt, vt in ipſo benè, & per nos male operari poſsimus, atque adeo opus bonum quod nō niſi Deo cooperante peragitur, in noſtra exiſtit poteſtate, vt id Dei gratia præſtare vel ex nobis omittere liceat. Sicut ergo quod ad actus humanos attinet, plus in vno ſpiritus

Sapien. 1.

noſter

noſter operatur quam in altero, vbi tamen fieri poteſt, quod is qui minus operatur fortior & robuſtior eſt, eo qui plus operatur, ſic inter reprobos & electos contingit quod maiori in reprobo gratia qua fortior eſt exiſtente hic liberè tentationi cedat, & electus qui imbecillior eſt perſiſtat, vbi verum quidem eſt Deum aliquid operari in electo, quod non in reprobo, ſed hoc ex eo cõtingit, quoniam reprobus cum ex Deo poſſet velle & operari, pro ſua tamen libertate non vult opus admittere: ſic enim, vt diximus, diuinæ cooperationis gratia, quę gratia eſt ad ſingulos actus, hominem comitatur, & ei præſens eſt vt velut homini ſubiecta ſit, & mirabili Dei beneficio in eius ſit poteſtate; vt ex ea poſsit quidem benè operari, ſic tamen, vt ceſſare & non operari queat; ſicut de ſpiritu Prophetarum pronũciat Apoſtolus; *Corin.14* quod ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt, vt ex eo myſteria quidẽ loqui poſſint, ita tamen vt pro ſua diſcretione & arbitrio poſſent à loquendo ceſſare, vbi quando loquuntur, ex ſpiritu quidem loquuntur; quando verò tacent ex libertatis dominio à loquendo abſtinent: Quomodo rectiſsimè quoque intelligitur, quod Moyſes Propheta *Deut.29.* Domini populum Iudaicum reprehendit, quod non dederit illis Dominus cor intelligens, & oculos vidẽtes, & aures quæ poſſent audire: cùm enim Domini opus eſt, mirum videri poteſt, quomodo homini improperatur quod Deus illi non fecit, quia videlicet

Deus ſic dat & facit iſta, vt in hominis relinquat poteſtate, vt ex ipſo faciant, vel per ſe negligãt, qui propterea ipſi ſunt in culpa, cur nõ Deo dante habeãt. Ideo non aliena eſt ab hoc propoſito D. Anſelmi reſponſio quærentis de caſu diaboli, vtrum non perſeuerauerit, quia Deus perſeuerantiam illi nõ dedit, an quia noluit accipere, rectè enim ideo diabolum non perſeueraſſe reſpõdet, quoniam perſeuerãtiam habere noluit, atq; adeo ipſe in cauſa fuit quo minus illi data ſit, vnde reprobi dicuntur reſiſtere ſpiritui ſancto: quoniam ex eius inſpiratione & gratia cum poſſint benè facere, eandem abijciunt, & cordis concupiſcentiam ſequuntur. Quæres, an igitur ſit ex libertate electi, quod ſpirituiſancto acquieſcat & ſimiliter ex libertate reprobi quod reluctatur: reſpõdendum quod ſic: hoc tñ ſenſu, quia cõſenſus ille in electo ex eius eſt libertate, ſed in Deo, qui illi ſic adeſt, vt per eum poſsit & ex ſuo libero arbitrio in ipſo faciat, in reprobo verò quod reſiſtat, ex eius quoq; eſt libertate, ita tamen, vt per gratiam domini Dei ſui conſentire potuerit. forſitan vlterius interrogabis: vnde prius bonus actus procedat, à Deo ne, an ex libero arbitrio? Et: vtrum prius liberum arbitrium, an Deus actum bonum exerceat, vt perſpici poſsit, vtrum ex Deo, an ex libero arbitrio diſcrimen iſtud inter electum & reprobum proueniat, quibus ſine præiudicio diligentioris inquiſitionis reſpondendum videtur, quod licet per præuenientes gratias

D. Anſel. de caſu diaboli.

Quæſtio.

Reſponſio

gratias Dominus Deus ſua miſericordia prius bonum incipiat, quod tamen ad gratiam cooperationis attinet; quæ ſimul in actu cum libero arbitrio concurrit, ſimul ab vtroque pro hominis conditione liber actus procedit, neque Deo liberum arbitrium, neque libero arbitrio Deum præueniente; quoniam eundem actum vt ſubordinatæ cauſæ proferunt, homo videlicet ſub Deo, & in Deo, facultatem interim retinens; vt quem actum nunc exercet, eundem potuerit non exercere, & ſtatim ab eodem ceſſare, vnde cooperatio Dei, quæ amplius ſine dubio eſt in electo quàm in reprobo, tam benè potuit in reprobo fuiſſe quàm fuit in electo: ideoque recte dici poteſt diſcrimen iſtud quo alter reluctatur, alter verò acquieſcit proximè tribuendum eſſe libero arbitrio: quoniam vterque quod facit cum libertate facit, vt diuerſum vel contrarium facere potuerit: ita tamen, vt actus bonus libero arbitrio non niſi in Deo & cum gratia Dei tribui debeat, actus verò malus liberæ voluntati; ſimul enim hæc diuina cooperatio cum actu concurrit, vt neque ante incipiat, neque poſtea duret; ſed ſimul cum homine gratia Dei velut eum comitatur; ſic ei præſens, vt ex ea ſemper operari & pro ſua libertate ceſſare queat; ita enim afficit gratia voluntatem, & in actu Deus voluntati cooperatur, vt in poteſtate voluntatis remaneat Deo non cooperari, Dei enim cooperatores ab Apo- 1. *Cor.* 3.

ſtolo dicimur, non quod aliquam partem operis nos præſtamus, quam non Deus, vel Deus aliquam, quam non homo: totum enim vtriuſque eſt & gratiæ & liberi arbitrij; ſed quoniam Dominus ſic facit nos operari, vt in ipſo relinquat arbitrio, vt ante actum potuerit ceſſare; & Deo non cooperari, & poſt actum ſtatim ab actu abſtinere. ideoque vt ſæpè repetendum eſt, damnatio ex ipſo ſolo homine prouenit, ſalus quoque ex homine eſt, ſed ex Deo, in quo æquè potuit reprobus ſalutem ſuã operari, non quia parem omnes gratiam accipiunt, ſed quoniam, vt dictum eſt, multi electi ex minori vel ſaltem non abundantiori interna gratia ſaluantur quam reprobi habuerunt. hoc tamen, vt etiam diximus, diſcrimen, quod Dominus (vt haberet populum in quo oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ & nomen eius benediceretur in ſæcula) electos cum poſsint ſimiliter cadere vt reprobi cuſtodit; protegit, & ea quæ ipſos concernunt ſic ſua abundanti miſericordia dirigit, vt eos finaliter cadere non permittat.

CAPVT X.

De gratia Dei cooperanti, & quomodo differat à concurſu generali: adduntur & quinq; propoſitiones huc ſpectantes.

HAEC omnia vt adhuc planius intelligantur, licet multa quæ ad hanc rem pertinent in tractatu de gratia attigimus,

mus, nonnihil tamen de gratia diuinæ cooperationis quam diximus libero arbitrio comitari addendum eſt, quæ licet concurſui illi generali de quo illic diximus perſimilis ſit, in hoc tamen differt, quod iuxta D. Thomam Deus generali concurſu mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum: ſine qua vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle, ſed homo, inquit, per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum vel apparens bonum, quæ motio generatim eſt ad velle & operari, velut potentiam ipſam actuans, vnde quiſque pro ſuę voluntatis affectione in hanc vel illam partem inclinatur, haud multo aliter, quam ſi quis præſentibus diuerſis animantium generibus facto aliquo ſigno eadem ad motum excitaret vbi non vniformiter, ſed pro ſuis ſingula naturis mouerentur; & ſi quis imperator exercitum in quo varij ſunt ordines ad pugnandum, dato aliquo ſigno prouocet, ſinguli non ſimiliter, ſed pro ſua quiſque conditione & ordine dimicabit, ſic inquam ſe habet generalis Dei concurſus in actibus voluntatis, ideoq; peccata, quæ propria ſunt malæ voluntatis opera, nequaquam ex hoc capite Deo tribuenda ſunt, qui generali hac motione nō niſi generatim ad volendum, & operandum homini cooperatur, non determinatè ad ea quæ mala ſunt inclinando. Cæterum quod ad pietatis actus attinet Deus ſpecialiter, inquit idē

D Tho. 1.2.qu. 9. art. 6. ad 3.

1.2.q. 88. de donis.

vir ſanctus, monet aliquod ad aliquid determinatè volendum quod eſt bonum, ſicut in his quos monet per gratiam, quę quidem eſt ſpecialis motio iuxta eundem authorē quædam eſt ſpiritus ſancti aſpiratio, qua præuenit quidem voluntatem excitando, ſed eandem in opere comitatur ſicut ex noſtro ſpiritu humana opera incipimus & eodem comitante cōtinuamus, quemadmodum igitur in poteſtate eſt liberi arbitrij hanc inſpirationem quatenus aſſenſum voluntatis preuenit repellere, ita in eiuſdem poteſtatę eſt, eandem ſpiritu ſancto per ſuum ſanctiſsimū afflatū comitante & cooperante ſequi. quod quia non faciunt reprobi merito corripiuntur, & in iudicio condemnantur. Quibus ita conſtitutis placet vnam vel alteram propoſitionem ſubijcere, quibus nonulli in his tam arduis argumentis ſcrupuli tollantur & veritas melius eluceſcat. Prima eſt, tametſi
1 quamlibet gratiam ſiuę internam ſiue externam, quæ liberæ voluntatis actum præcedit, homo ſua libertate poſſet reijcere, eandem tamen poteſt ſpiritusſancti aſpiratione comitantę ſimili libertate amplecti, & in ea-
2 dem acquieſcere. Secunda, verum quidem eſt, quod poſita efficaci Dei operatione qua bonum in nobis opus operatur, certo ſequitur nos hoc ipſum bonum opus operari, ſed non ob id conſequitur nos illud neceſſario præſtare, quoniam in arbitrij libertate poſitum eſt Deo operanti non cooperari: influit enim nobis ſua gratia pro liberæ voluntatis conditio-

conditione, quæ generali Dei concurſu ad agendum excitata per ſpecialem Spiritusſancti aſpirationem ad bonũ liberè ſe deflectit. 3
Tertia fit quidem vt poſitis ijſdem fidei & conuerſionis principijs, ſimilibus Spiritus ſancti illuſtrationibus, ſuaſionibus & inſpirationibus, vnus ſua libera voluntate eas reijciat & non credat, alter ſequatur & credat. Cæterum qui conuertitur non ex ſola volũtatis virtute hos inſtinctus ſequitur, ſed Deo generaliter vt patre miſericordiarum cooperante, & ſpiritus ſancti aſpiratione comitante. His tamen non obſtantibus potuit is qui credidit facere, quod is fecit qui in infidelitate permanet, & is idem potuit id ipſum facere quod fecit is qui acquieuit: quoniam poſitis huiuſmodi præuenientibus adiutorijs, ipſa diuina & Spiritus ſancti cooperatio ex Dei benignitate in ipſo hominis arbitrio quoque poſita eſt, vt ex Deo operari poſsit, & ex ſe ceſſare. Quo caſu veriſsimum eſſe cernimus, quod inter hos diuerſitas ex libero naſcitur arbitrio, quoniam qui reſtitit ex ijſdem gratijs acquieſcere potuit, & qui locum dedit ſpiritui ſancto ſimiliter reſiſtere potuit: bonus tamen ille voluntatis aſſenſus debet pariter gratiæ & humanæ voluntati attribui. Quemadmodum D. Proſper teſtatur: quod, inquiens, diuina excitatio à multis refutatur ac diſpernitur ipſorum eſt nequitiæ, quod autem à multis ſuſcipitur, eſt diuinæ gratiæ pariter & humanæ voluntatis, vnde veriſsima eſt propoſitio e-

D. Proſp. lib. 2. de vocat. gẽ. cap. 9.

D. Turnhout 1. lib. de redēp gene. humani.

ruditiſsimi M.N. Ioannis Dridonis de Turnhout, quod quemadmodum ex duobus iam æqualiter iuſtis, contingit alterum libero arbitrio à iuſtitia deficere, alterum eodem arbitrio innitēdo auxilio Dei perſeuerare, ſic ex duobus adhuc impijs æqualiter indignis pariter diuinis inſtinctibus adiutis, contingit alterum non reluctari ſed locum dare pulſanti Deo, alerum verò reſiſtere, ita tamen vt is diuina inſpiratione vocatus in ſua habuit poteſtate non reſiſtere: ſimiliter notanda eſt profunda quædam propoſitio D. Ruardi Cancellarij Louaniēſis, quod ex ſimiliter tractis & internè corde vocatis, vnus credit & conuertitur, & alius manet incredulus nec conuertitur, contingere poteſt ex ſola arbitrij diuinitus præparati libertate, nec aliter contingere poteſt, ſi ſimiliter hi ſunt affecti & vocantur ſecundum quod apti ſunt ad ſequendum, quæ tamen ſic moderanda eſt, vt particula ſola aliam præuenientem gratiam excludat, & ſicut idem vir doctiſsimus ſemper præſupponit Dei cooperatio quæ ſimul incipit & deſinit cū libero voluntatis opere intelligatur.

D. Ruardus de liber. arbi. propoſ. 10

4 Quarta, quēadmodum ex eodem ſpiritus ſemine in terram cordis humani iacto vnus ſua diligentia cum eodem fructificat, & alter ſua negligentia velut ipſum ſterile & ſine fructu relinquit: ita quoque vnus ex eodem maiorem, alius minorem fructum profert: ſicut ex paribus talentis hic amplius quā ille lucrum domino ſuo referre poteſt, Deo interim ſemper coo-

perante

perãte, & ſpiritu ſancto comitãte. Poſtrema 5
eſt, quod diſcretio bonorum in ijs qui rationis
vſu pollent à malis ac eorum qui meliores
ſunt à minus bonis, ſimul eſt ex Dei dono,
& ex liberi arbitrij induſtria, ſeu partim
ex gratia, partim ex libero arbitrio quo per
gratiam operamur: nam qui primitias ſpiritus
acceperunt Apoſtoli maiorem proculdubio
quam communes alij fideles gratiam acceperunt,
vnde cæteris velut magna luminaria
ſtellis eſſent illuſtriores, ſicut etiam qui
quinq; talenta receperat amplius ex eis lucratus
eſt, quam qui duo duntaxat. Cæterum
quoniam in vitandis peccatis & præſtãda
virtute longè plura in Deo poſſumus quã
verè facimus & ad quædam ſuperanda, ſicut
ait B. Auguſtinus, magnis, imò totis ali- *Aug.li.2.*
quando viribus opus eſt, fit vt multi negli- *de peccatorũ*
gant gratiam, quæ in ipſis eſt, & audire me- *merit.cap.3.*
rentur ab Apoſtolo, reſuſcita gratiam, quæ
in te eſt. alij verò ſimilibus donis maiora fa- 2.*Tim.*1.
ciunt virtutum incrementa; ex quibus
concludendo patet, quomodo iuxta
Apoſtolum corona ſit iuſtitiæ 2.*Tim.*4.
quam reddet cuiq; Deus
ſecundum opera
ſua.

DE PRÆSCIENTIA, PRAEDESTINATIONE, REPROBATIONE ELECTIONE ET OBDVRATIONE Diuina, appendix.

CAPVT I.

De Præſcientia.

Boet. li.5. de conſolat. QVoniam humana ratio, ſicut ait Boëtius, Diuinam intelligẽtiam futura niſi vt ipſa cognoſcit non putat intueri. Hinc natæ ſunt difficultates, ob quas quidam, vt Cicero, ex libertate arbitrij diuinam præſcientiam in dubium reuocarunt: alij rurſus ex præſcientia & prędeſtinatione libertatem arbitrij ſuſtulerunt. *Aug. li.5. de ciuit. c.9. & 10.* Vbi licet fides Catholica nos tutiſsimos facit, quæ ſicut traditũ eſt vtrumq́, ſimpliciter cõfitetur, iuuat tamen, & portio quędam fœlicitatis eſt, nonnulla intelligentiâ myſteria Dei concipere, & ſcripturarum fidem defendere. Cum igitur æternitas, qua Deus omne tempus excedit, ſit interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſsio cui neq; futuri quicquam abſit, nec præteriti fluxerit, neceſſe eſt & ſui perfectione compos (præſens) Deo ſemper aſsiſtere, & infinitatem mobilis temporis habere præſentem, hoc eſt Deo ſemper æternum ac præſentarium eſſe ſtatum, vt diuina ſcientia omnem *Boet. li.5. proſa 6.*

temporis

temporis ſupergreſſa durationem in ſuę manens ſimplicitate præſentiæ infinita præteriti ac futuri ſpacia complectatur, omniaque quaſi iam gerantur in ſua ſimplici prouidentia conſideret, nam in veritate qui Deus eſt, ait Beatus Auguſtinus, non eſt præteritum aut futurum, ſed tantum præſens, ideoque ſi prę ſcientiam Dei rectè penſare velis, non debet æſtimari præſcientia quaſi eius quod Deo futurum eſt, ſed hoc modo tantum præſcire Deus intelligitur, quoniam ea quæ nobis & in tempore futura ſunt nouit. Vnde & ſanctiſsma eius de futuris ordinatio non præuidentia, ſed prouidentia potius dicitur: quod porro & procul à rebus infimis conſtituta quaſi in excelſo rerum cacumene cuncta proſpiciat, nec valet argumentatio Scoti, id quod non eſt, non poteſt alicui præſens eſſe, ſed quod præteritum vel futurum eſt, id iam non eſt, non igitur Deo præſens eſt: ſiquidem (vt rectè Beatus Thomas diluit) æternitas cum infinita ſit, & in ea nulla ſit ſucceſsio, ſimul præteritum & futurum ſua nunquam deficiente inſtantia ſeu puncto, (quod nunc dicimus) complectitur, & tempus præſens excedendo ad pręteritum & futurum ſe extendit, ideoque quod iam actu non eſt, licet tempori præſenti realiter non coexiſtat, quod tamen præteritum vel futurum eſt coexiſtit æternitati, quæ ad præteritum & futurum ſimul extenditur. Propterea, quod ad præſcientiam attinet, nulla prorſus ex ea rebus neceſsitas

D. Augu. in Ioan. tract. 38.

Boetius.

Ioan. Scotus in 1.

B. Thom. in 5. lib. Boetij.

De præſcientia.

innaſci-

innaſcitur, ſed talia apud ſe præſentia quæq; ſpectat, qualia in tempore olim proueniant, nec rerum iudicia confundit, vnoq; ſuę mentis intuitu tam neceſſariè, quam non neceſſariè ventura dignoſcit, haud multò aliter, quam ijs, quæ nos præſentia cernimus, nullam neceſsitatem noſter addit intuitus. ſic de ſpecula ſuæ æternitatis cuncta deſpiciens diuinus aſpectus, qualitatem rerum minimè perturbat, quas apud ſe prout ſunt velut pręſentes conſpicit, licet ad conditionem temporis nobis vel præteritæ, vel futuræ ſint.

CAPVT II.

De prædeſtinatione difficultas.

CAEterum de prædeſtinatione & reprobatione maior eſt difficultas, quin non nuda in his præſciẽtia intelligitur, ſed quædam de futuris hominum actibus & moribus diſpoſitio, quam propter inſuperabilẽ Dei potentiam & efficaciam arduum eſt intelligere, quo pacto cũ arbitraria hominis in ſuis actibus libertate conſentiat: nõ enim præſcit tantummodo Deus, quæ bona homo facturus eſt, ſed ea quoque pręparat, ordinat, diſponit, faciens vt in eis ambulemns: Nam electorum ſi quiſquam, ait B. Auguſtinus, perit, fallitur Deus, ſed nemo eorũ perit, quia non fallitur Deus, eorum ſi quiſquam perit vitio humano vincitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus: eſt enim prædeſtinatio præparatio beneficiorum Dei,

Augu. de correp. & grat. c. 7.

Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumq; liberantur. Et de ijſdem Dominus loquens: ſurgent, inquit, pſeudochriſti, & dabunt ſigna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et alibi: nemo poteſt eas rapere de manu patris mei. Ex quibus & ſimilibus videtur ſaltem in electis bonorum operum ſtatuenda vel neceſsitas vel certè ineuitabilitas, quæ generaliter ex diuina prouidentia videtur actus humanos comitari: ſi enim ab æterno, iam omnia ſunt diuinitus determinata vel ſuperabilis & vincibilis eſt Dei prouidentia, vel omnia ineuitabiliter eueniunt: licet enim rectè dicitur, quod ad proximas relata cauſas pro cauſarum cõditione vel neceſſariò vel contingenter fiũt, quia tamen præter hunc ordinem etiam ad primæ cauſę prouidentiam referuntur, & inde diſpoſitionem ſortiuntur, videtur quod abſolutè loquendo vel neceſſariò vel ineuitabiliter contingant. Cæterum hæc omnia ex errore vel inconſiderantia procedunt: ſicut enim de præſcientia nunc diximus, Dominus in ſua æternitate non de rebus aliquibus quaſi ſibi futuris ordinat & diſponit, ſed pro amplitudine & infinitudine ſuæ æternitatis, ſic eius eſt intelligenda prædeſtinatio ſeu prouidentia, quaſi non ante ad opus bonum ab homine faciendum ſe Deus, quam homo ipſe ſe determinet: homo enim ſub Dei determinatione & ex Deo ipſe ſe determinat, non minus liberè, quam ſi ad opus Deus non concurreret, nec illud ſua prouidentia

D. Augu. lib. 2. de bono perſeu. c. 14.
Mart. 24.
Iohan. 10
D. Caiet. in. 4. art. q. 22. primæ partis D. Tho.
Reſponſ.

nondum ſe ad alteram partem determinaſſe, ſicut in nobis quod ad res futuras attinet ſæpè contingit, facilè quidem intelligeremus quod contingenter prædeſtinaret, veruntamen re ipſa apud Deum propter æternitatem idem eſt, & tam liberè ſe habet Deus, ac ſi tunc primum, quando fit opus, velle Deus inciperet, idcirco quod ad rem attinet idem in Deo eſt, quod aliquem dicatur prædeſtinaſſe. & quod prædeſtinat, quodq́ue prædeſtinaturus eſt: vt rectiſsimè Zacharias de Ieruſalem ab æterno electa dixerit, eliget adhuc Ieruſalem; ſiquidem propoſito & actui æterno in quo nulla eſt temporis ſucceſsio, omnium temporum verba veraciter tribui poſſunt. vnde conficitur rectiſsimè fieri, vt ſi quis metuat ne ſit prædeſtinatus, cum eccleſia Deum oret vt in electorum numero faciat eum aggregari, veræ quoque ſint propoſitiones, quod fieri poteſt vt Petrus qui prædeſtinatus eſt non ſit prædeſtinatus, & Iudas qui non eſt prædeſtinatus de numero ſit prædeſtinatorum, quoniam vtcumq; ſe habet noſter concipiēdi loquendiq; modus, ſi tamen in rem quæ ſubiecta eſt propoſitiones reſoluas, ſentētia manifeſta eſt. nam quando aliquem qui nondum vitæ terminum abſoluit forte dicimus eſſe prædeſtinatum, nihil aliud ſignificatur quā quod is hoc ordine & loco eſt apud Deū, quod ex Deo ſaluabitur. porro manifeſtū eſt, qui *Zacha. 2.*

ſalua-

ſaluabitur nihil obſtare quo minus poſsit damnari, ſicut qui per ſuam culpam damnabitur, nihil impedit quo minus poſsit ſaluari. Hæc ergo Dei prædeſtinatio quando in bono ſumitur, ipſa eſt Dei electio, qua quis à Deo in Chriſto Ieſu per gratiam ordinatur, ſeu deſtinatur in vitam æternam, de qua Paulus: elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius. Et Dominus: non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum adferatis, electum ſecundũ promiſsionem Abrahæ, Iſaac, & Iacob factum, & Prophetarum oracula, licet omnes homines Deus velit antecedenter ſaluos fieri; & ſufficiẽtia procurat omnibus media quibus ſaluari queant, quia tamen plurimos nouit ſua libertate defecturos & in ſordibus impietatis ad finem vſque ſua nequitia perſeueraturos, voluit, ne omnes amitteret, ſemẽ ſibi quoddam ex omnibus relinquere, quos gratia tam abundanti & tam firmis præſidijs, ſtatuit munire, atque cuſtodire vt nullis tentationibus, nullis artibus, fraudibus, inſidijs violentijs finaliter ab ipſo ſeparentur, quos Dominus ſignatos, & in libro vitę deſcriptos habere dicitur, quorum numerus licet Deo cui omnia ſunt præſentia certiſsimus ſit, hoc tamen conſilio videtur in ſcripturis cõmendari, vt homo per veram in Chriſto fidem, humilitatem, manſuetudinem, miſericordiam. ieiunia & orationes (quæ prædeſtinatorum propria ſunt inſignia) de eorum eſſe

Epheſ.1. *Ioan.15.* *De myſterio electionis.* *Apoca.7. 20.21.* *Ezech.9.*

numero

numero contenderet, non altum ſaperet, ſed in timore cum charitate ſalutem ſuam operaretur. Quamuis enim ijs gratiæ diuinæ pręſidijs quę reprobis etiam communia ſunt poſsit homo benè viuere & perſeuerare vel ſaltem ſuppliciter hæc impetrare, ſiue tamen abundanti & pluſquam ſufficienti diuinæ miſericordię largitate ſuę, perpetua, aſsidua & indeclinabili paternæ prouidentiæ cura (quæ electis propria eſt) inter tot & tam varias tentationes & occaſiones nemo perſeuerabit: tametſi verò B. Auguſtinus ad Simplicianum dicat quod electionem præcedit iuſtificatio, nemo enim videtur eligi niſi iam diſtans ab illo qui reijcitur, poſtea tamen rem diligentius ex Apoſtolo perpēdens, ingenuè fatetur quod non inuenerat adhuc qualis ſit electio gratiæ de qua dicit Apoſtolus, reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ ſient, vt non quia futuros nos iuſtos eſſe præſciuit ideo elegerit, ſed ſicut ex Apoſtolo dictum eſt, vt eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ. Dicuntur igitur electi, quoniam ex omnibus quos voluit Dominus eos ad abundantem gratiam ſuam aſſumpſit; vt nulla ratione patiatur eos à ſua charitate ſeparari. Deinde quoniam in ipſo nomine quo electi dicuntur, ratio quædam amabilitatis, laudis & honoris apparet. vocantur etiam electi, quoniā vt boni & fideles ſerui gratiam Dei non abijciunt, neque in vanum recipiunt, non quoniam in eo qui dicitur electus aliquod eſt electionis meritum, cum ex

Quare dicantur electi.

Ad Simplic. lib. 1. quæſt. 2.

Lib. 1. retract. ca. 23. & de prædeſt. ſanct. c. 3.

electione cuncta merita procedant, ſed quia per gratiam ex libero eius eſt arbitrio, quod gratiam Dei ſuſcipit, & cum ea benè operatur, de quo mox volente Deo plura.

CAPVT III.

De reprobis, qui dicantur reprobi.

REprobi verò dicuntur, qui ſua nequitia Deo permittente peccant & in peccato ad mortem vſque perſeuerant, quomodo Paulus Apoſtolus cauendum ſibi
1. Cor. 9. dicit, ne cum alijs prædicauerim, inquiens, ipſe reprobus efficiar. Cæterum quia Paulus de reprobatione tractans eam odium appel-
Rom. 9. lat. Iacob, inquit ex Propheta, dilexi, Eſau odio habui, difficilis & ardua naſcitur quæſtio cuiuſnam effectus conſideratione Deus hominem reprobare dicatur; ſiquidem in peccatore tria poſſunt, quod ad hanc rem attinet, conſiderari. Primum quod Dominus iuſtum, ſicut Adam & Angelos, permittit cadere. Deinde quod eos pro ipſorum voluntate in peccatis dimittit. Denique quod ob peccatum eos punit & condemnat. exiſtit itaq; controuerſia cuius iſtorum reſpectu reprobatio debeat intelligi, quod enim primos parentes & angelos Deus in primũ peccatum cadere permiſit, nõ videtur ad reprobationem, de quali Paulus loquitur, pertinere, cum nihil ante peccatũ in ijs erat, propter quod odio Deus eos haberet. Rurſus autem valde mirum & perplexum videtur,

qua

qua ratione de eo qui nihil mali geſsit ſcriptum Apoſtolus pronunciat, Eſau odio habui, quamobrem ſine præiudicio diligentioris inquiſitionis dicendum, quod licet reprobatio varijs in ſcriptura modis poſsit accipi, qua tamē Paulus conſideratione de eadem diſſerit, videtur in eo conſtituenda, quod Deus hominem quem præſcit in peccato futurum, in eo finaliter relinquit, debitè ob id eum puniturus; Nam qui in peccato ſunt, hos rectè ac veraciter Deus ad hoc odiſſe poteſt vt eos deſerat & ob peccata punire velit. Chaldæus autē interpres apud Malachiā pro (odio habui) ponit & interpretatur reprobaui. Licet igitur Iacob & Eſau nihil in vtero matris boni vel mali feciſsēt, vterq; tamen peccato ſuberat originali, & multa Eſau poſtea propria adiecit, propter quæ ex eorum præſcientia dictum eſt: Eſau odio habui, etiam tunc quando in vtero matris originali tantum peccato ſuberat: licet enim Malachias Propheta longè poſtea de Iacob & Eſau ſic dixerit, Paulus tamen ſpiritu ſuo Apoſtolico etiam ad primum illud vtriuſque exordium, tam de perſonis, quam populis ipſorum referre videtur. Poteſt equidem quodam ſenſu rectè quoque Deus hominem dici reprobare, quia permittit fieri reprobum, id eſt, prauum & iniquum, quomodo rogamus ne nos inducat in tentationem, & ſpirit. S. ne nobis auferat, id eſt, auferri, & in tentationem induci ſinat: ſi quidē hac ſignificatione videtur Sapiens Deū orare, noli me

Quid reprobatio.

Malac. 1.

Sapien. 9

reprobare inquiens à pueris tuis, verum iſta permiſsio nõ ex odio vel ira domini ſemper contingit, qui data homini gratia eum iuxta ordinem rebus à ſe inſtitutum agere permittit, ſed illud niſi ex magna Dei ira & indignatione contingit, quod cum poſſet Dominus hominem ſingulari quadam gratia quæ in manu ipſius eſt conuertere, & in ea finaliter cuſtodire, eum in ſtatu iræ dimittit, & hinc aufert iuſtè pro peccato eundem puniturus: præſcientia tamen & permiſsio huius peccati velut antecedẽs aliquid in reprobatione cointelligitur. Cæterum iam meritũ aliquod reprobationis videbimur conſtituere, peccatum videlicet, in quod homo prius incidit, ob quod Deus eum odit vt deleat, dimittat & puniat: Paulus verò neque dilectionis, id eſt, electionis neque reprobationis meritum aliquod agnoſcit, quia, inquit, priuſquam aliquid boni vel mali feciſſent, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Pulcherrimè nodum iſtũ diſſoluit clariſsimus Auguſtin. ſicut enim in rebus humanis terrenisque contractibus, vbi diuinæ & ſupernæ iuſtitiæ quædam veſtigia tenemus, nemo iniquitatis eum arguit, qui quod ei debetur donare voluerit, à quibus autem exigendũ & quibus donandum ſit, non eſt in eorum qui debitores ſunt, ſed in eius cui debetur arbitrio, in vno iuſtitiam, in altero facit miſericordiam: ad eundem modum, qui in peccatum mor-

Lib. 1. ad Simpl. 42

tum mortis prolapſi ſunt, digni quidem ſunt quos Dominus in eo ſtatu dimittere & pro peccatis damnare queat, ſed propter nimiã charitatem qua nos in Chriſto diligit, multos conuertit & in ſtatu ſalutis, ne malitia mutet eorum intellectum, in gloriam ſuam hinc cito transfert. quod igitur eos odit iuſtiſsimum peccati meritum eſt, quod miſeretur immenſæ gratiæ, & miſericordiæ. quomodo igitur non ex operibus ſed ex vocante id eſt, beneplacito Dei dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui, quoniam eius diſcriminis non eſt in ipſis meritum, cur vtriſque cum poſſet parcere vel vtroſque dimittere, huic tamen debitam oſtendit iram in peccatis eum dimittendo, alteri facit miſericordiam eum conuertendo, & ad finem vſq; in gratia cuſtodiendo. Itaq; propter peccatum odit quidem reprobos Deus, ſed quod odiũ & iram huic non illi inferat ſui beneplaciti eſt, qui in ſuos debitores, ſi nunc miſericorditer nunc ſeuere pro ſua æquitate agat, nemo mirari vel murmurare debet, ſed omnes expaueſcere & cum timore & tremore ſalutem operari, ne quando iraſcatur Dominus & pereat de via iuſta, tunc enim perit quis de via iuſta, quando ab ea ſic dilapſus eſt, vt non amplius ad eam ſit rediturus. Monet igitur propheta, ne quis diſciplinam negligens, in peccatum incidat, ne peccati merito iuſte iratus Dominus eum deſerat, vt nunquam ad viam iuſtitiæ ſit reuerſurus. eadem eſt Pauli ſentẽtia ad Romanos, quod ſi aliqui

Pſalm. 2.

Rom. 11.

ex ramis fracti ſunt, bene; propter incrudelitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time: ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei. Monet ergo gentes vt humiliter ſapiant, ne ſi ſuperbè glorientur & ſic in peccatum incidant, Deus eis non parcat, ſed deſerat, quomodo Iudæos in ſua incredulitate dimittit. Vides igitur candide lector, quo cōſilio hæc in ſcripturis ſublimia prædeſtinationis & reprobationis Myſteria proponantur, vt nemo ſuperbè vel altum ſapiat, qui ſtat, timeat & videat ne cadat, non in ſeipſo ſed in Deo homo fidat eiq; firmiſsimo protectori & adiutori fidem, ſpem, charitatemque ſuam committat, ſic prædicet & arguat, vt quum bona voluntas non eſt niſi à Domino, ſimul pro ijs quos formandos ſuſcepit diligenter & humiliter oret, quando aliquid boni fecerit, Deo gratias agat, & ex ſuo curſu ſe vel prædeſtinatum vel reprobum intelligat, ac terribili reproborum (quos in peccatis mori ac perire videt) exemplo non differat conuerſionem de die in diem, ſed quoniá hora breuis & incerta eſt, ilico pedem ab iniquitate retrahat. Veruntamen ad ipſum dogma redeamus & quantũ in Domino poſsimus proſequamur. Itaque pro maiori elucidatione prædictis adijcies, quod Dominus etiam in electis ſæpè peccata permittit, omnes enim

Quo conſilio Myſteriorum præd. eſt. et reprobat. in ſcripturis proponitur.

Augu. de prædeſt. ſanct. ca. 9. lib. 1.

in

in peccatis concipimur, & Dauid, Petrus, Paulus, alijq; ſancti frequenter peccarũt, qui tum humiliores, cautiores & diligentiores inde Deo iuuante ſurrexerunt, alij duro & impœnitenti ſunt corde, qui frequentẽ Domini gratiam & diſciplinam non ſuſcipiũt, ſimiles (iuxta Apoſtolum) terræ, quę ſæpe venientem ſuper ſe habens imbrem ſpinas & tribulos profert, quos Deus multa ſuſtinet patientia; de quibus ſcriptura etiam myſterium nobis aperit, quod in altitudine conſiliorum & miſericordiæ Dei certum habent pœnitentiæ & vberioris gratiæ tempus, certamq; peccatorum vel ſcelerum menſuram, modum ſeu periodum, poſt quam vel ex hac vita Deus eos in furore & indignatione tollit, vel gratiam ſuam qua conuerterentur ſubtrahit, ſimul & facilia remedia ac congruam ſalutis oportunitatẽ auferens, de quo ſacramento in Geneſi legimus, quod erunt dies eorum anni centum & viginti, quos videlicet Dominus eis ad pœnitentiam dederat. Et in Apocalypſi: Dedi illi tempus vt pęnitentiam ageret & non vult pœnitere à fornicatione ſua. Rurſus, necdum cõpletæ ſunt iniquitates Amorreorum vſq; ad pręſens tẽpus. Et Dñs: vos implete menſuram patrum veſtrorũ. Et Amos Prophet. ſuper diuerſis gẽtibus & populis id ſæpius repetit: ſuper trib. ſceleribus & ſuper quatuor non conuertam eũ? quod ſi per interrogationẽ cũ docto quodã interprete legeris, facilẽ ſenſum inuenires. & per aliũ prophetã, erudire Ieruſalẽ, ne

Hebr. 6.
Rom. 9.
Gene. 6.
Apoca. 2.
Gene. 15.
Matt. 23.
Amos 1. & 2.
Arias mõ: anus.
Ierem. 6.

forte recedat anima mea à te, ne forte ponā te deſertam, terram inhabitabilem. Et in fine eiuſdem capitis: fruſtra conflauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos quoniam dominus proiecit eos. Et Eſaias: Expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas:.& nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ, auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius & erit in conculcationem, & de Iudæis; quia fructum debitum nō attulerant, ideo dico vobis ait ſaluator, quia auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructum eius. & poſtea; ecce relinquetur domus veſtra deſerta. de quibus itidem propheta Dauid, quod ſunt vt vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non eſt Deus memor amplius, quia de manu ſua repulſi ſunt. Propter hæc rectè monet Sapiens: noli ſtultus eſſe, ne moriaris in tempore non tuo. licet enim, vt antè piè ſtatuimus, ſemper in hoc vitæ curriculo maneat homini facultas vt ex Deo pœniteat & conuertatur, ſæpè tamen ob malæ vitæ meritum, inquit Adrianus, ſubtrahitur homini facultas illa gratiæ abundantis ſine qua non pęnitebit: vnde eo vere loco eſt, quaſi ſepultus & à Domino proiectus. ideoq; horribile eſt peccatis peccata adijcere, & conuerſionem prorogare, quoniam incertum eſt vel quando Dominus venturus eſt, vel pro qua culpa, vel quanto ſcelere nos in pręſenti ſeculo ſit iudicatur⁹, vt relinquat, deſerat & in manus inimicorū,

Eſaiæ 5. *Matt. 21.* *Matt. 23.* *Eccleſ. 7.* *Adrian. ſextus de ſacramē. pœnit.*

ac in

ac in reprobum ſenſum nos dimittat. Reprobatio igitur (vt ad proproſitum redeat diſputatio) iuxta prædictas ſcripturas & exempla intelligitur non quodcunque Dei odium, vel quæcumq; permiſsio peccati, ſed ea diuinæ æquitatis diſpoſitio, qua pro certo tempore & peccatorum menſura hominem in peccatis quæ ſcit & permittit Deus dimittit, ac vel ſtatum tempore videlicet non ſuo in ſtatu damnationis eum aufert, vel eam gratiã qua ſolet ſtare vel ſubinde conuerti vel conuerteretur ſubtrahit, vt velut proiectus à Deo non amplius ad viam iuſtitiæ ſit rediturus, licet extremas adhibendo vires abſolutè redire & conuerti poſsit. Electi verò ſunt ſemen illud Abrahæ, qui ex omnibus gentibus veſtigia fidei quę fuit in Abrahã ſequuntur: de quibus Ioannes ad Iudeos: ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham; Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Similiter de Zacheo Dominus: Salus huic domui facta eſt, eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ. Propheta verò: poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. & alibi: benedicentur in ipſo omnes tribus terræ. ſicut antea dictũ fuerat Abrahæ, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terrę, id eſt, ex omnibus gentibus plurimi ſicut ſtellæ cœli, & arena maris, id quod in omnibus Prophetis annotandum eſt, ſicut Abrahæ promiſit, & ex omnium ore prophetarum Dominus prædixit, quod ex

Rurſus de electis.

Matth. 3.

Luca. 19.

Pſalm. 2.

Pſal. 71.

Geneſ. 12. 15. 17. 22.

omnibus gentibus multa milia ſaluaret, & præclaram ex eis ciuitatem pro nominis ſui gloria in fide filij ſui erigeret, ad quam omnes populos Iudæos & gẽtes inuitauit, quod autem promiſit Deus, potens eſt & facere, & proculdubio faciet.

CAPVT IIII.

An nullo modo ex homine dependeat quod ſit electus vel reprobus.

HIS omnibus ita conſtitutis grauiſsima reſtat quæſtio. An igitur homo, vt de numero ſit electorum vel reprobus, nullo modo ex ipſo depẽdeat? Paulus equidem palam pronunciat non ex operibus ſed ex vocante dictum eſſe, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui: quod ipſe de Iudęis & gentibus proſequitur, cum repulſis nunc Iudæis gentes Dominus ex miſericordia aſsũpſerit. Cæterum quando ſuper hoc myſterio poſtea demirans exclamat, ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia tua & inueſtigabiles vię tuę, ipſa admiratione ſignificat, cauſam ſubeſſe ſed occultam. Etenim ſicut rectè de hoc myſterio D. Bonauentura notat, ſi non alia foret ratio quare Dominus iſtum reprobat, illum eligit, quam quia ſuę Maieſtati ſic placet, ſufficiens equidem cauſa daretur, quæ ora noſtra meritò obturaret, verum tunc non occulta & inſcrutabilia dicerentur iudicia eius

Rom. 9.

Rom. 11.

D Bonauẽt. diſt. 41 quæſt. 1. & 2.

ius, cùm quilibet hanc rationem facilè capiat, nec mirabiles ſed voluntariæ eius viæ forent, illa enim iuxta philoſophum miramur cum magna & notabilia ſunt, cauſas tamen quas habent non videmus. Quamuis enim ex parte illius qui eligitur non in eo electionis meritum, tamen poſſunt Deo notæ eſſe cauſæ congruentiæ cur quoſdam præ alijs reprobet, inter quas equidem rationes videtur ſcriptura præcipuam inſinuare, quod ſublimis illa & veneranda bonitas per huius ſacramenti ſecretum vult confundere ſuperbiam, & ſapientiam huius ſæculi coram Deo ſtultitiam oſtendere: quod enim ad hominem attinet, qui minimis externis vitijs videtur irretitus atque maculatus, & aliter ingenio & liberalibus artibus expolitus, nobili & ſancta progenie natus: hic eligendus videtur ad gratiam; ſed cum hoc ſtatuero, me ridebit ille qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia & ſtulta mundi, vt confundat ſapientes: ſicut Chriſtus Dominus, quando de hoc erat Myſterio locuturus, in ipſa hora, ait Lucas, exultauit in ſpiritu ſancto. & dixit: Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis, etiam pater quoniam ſic placuit ante te. Vnde liquet quod ipſæ diuitiæ, humana literatura, potentia, honor, dignitas per ſe quædam ſunt vberioris gratiæ impedimenta, quæ proinde magis fugere quam appetere conſultum eſt.

Luc. 10. Matt. 11.

Videte

1. Cor. 1. Videte, ait Apoſtolus, vocationem veſtram fratres, quia non multi nobiles, non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, ſed quæ ſtulta & infirma ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes & fortia & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in cõſpectu eius. Quibus locis licet diuinę electionis nulla forent in paruulis & inſipientibus merita, cauſam tamen ſcriptura ex aliorum ſuperbia & faſtu deſignat. à quo non alienum quoque eſt, quod Moſes populum Iſ-
Deut. 9. raheliticum admonens, ait: Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas ipſæ deletæ ſunt nationes. Neque enim propter iuſtitias tuas & æquitatẽ cordis tui ingredieris vt poſsideas terras earum, ſed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ ſunt. Si-
Rom. 11. milem Paulus inter Iudæos & gentes cauſam conſtituit: Nam illorum delicto, inquit, ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur: ſicut enim aliquando vos non credidiſtis Deo, nũc autem miſericordiam cõſecuti eſtis propter incredulitatem eorum, ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Iſtud i-
Matt. 22. Luc. 14. pſum pũlcherrimè inſinuat parabola, quam de ijs qui vocati ſunt ad nuptias & cęnam habet euangelium; nam dignioribus qui prius vocati

vocati ſunt tam magnificas delitias negligẽtibus, rex & paterfamilias iratus dixit ſeruo ſuo, exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, & reſpõdente ſeruo: Domine factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt, ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea, dico aũt vobis quod nemo virorum illorũ qui vocati ſunt guſtabit cœnam meam. En hic luculentum videtur exemplum reprobationis & electionis oſtendi, quo propter ingratitudinem & ſocordiam quidam reprobantur, & alij, qui prorſus à patrefamilias videbantur alieni, loco illorum eliguntur; ſicut & in Apocalypſi quidam monetur, ecce venio citò, ait Dominus, tene quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam, quod igitur ad reprobationẽ attinet, eius manifeſtè traditur in ſcripturis ratio, profunda videlicet impietas, ſuperbia, infidelitas, cõtumacia, proteruia, inuidia, terrenarum rerũ pertinax & obſtinata cupido, quæ hactenus poſſunt dici merita reprobationis, quoniam propter hæc digni ſunt homines qui iuſtè poſſent reprobari, verum non ea ratione quaſi debeant pro eis neceſſario dèſpici, ſicut impij poſt hanc vitam, iuſtitiæ neceſsitate damnantur. Nam eorum loco Dominus ſubinde alios aſſumit & eligit, qui reprobis ſunt peiores, quibus multo minus miſericordia debetur. Hic ergo dicendum quod reprobatio quadam conſideratione eſt ex hominum meritis, quadã verò

Apoca. 3.

Reſponſio de reprobatione.

verò ex Dei beneplacito, ex meritis quidem, quia propter grauem & profundam malitiã digni ſunt qui reprobari queãt, quod autem in eos actu & reipſa reprobatio velut iuſtitia exerceatur cum poſſet eis Dominus ſicut alijs miſereri, hoc inſcrutabilis eſt ſuæ volũtatis & ęquitatis, cuius non obſcurum exemplum oſtenſum eſt apud Pharaonem in pincerna & piſtore regis, quorum cum vterque morte dignus erat, piſtorem ſuſpendit, pincernã verò officio reſtituit. Quod autem ad electionem attinet, inprimis memoria repętendum eſt & fixè retinendum eſt quod ſalutis noſtræ exordium nobis omnibus ex ſolo Deo eſt in eius bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu, per quem noſtrarum mẽtium lucernas accendit & igne nos ſuæ dilectionis inflammat, vocat, excitat, ſalutares cogitationes, pios affectus inſpirat, non foris duntaxat pulſando, ſed intus in corde operando, cor docile & aures audiendi prębendo, ſimul & cor vt ijs quæ ſalutis ſunt intendant aperiendo, quibus ſine vllo boni óperis in homine reſpectu, ſola Dei bonitate cor præparatur & adaptatur à Domino, vt in ipſo benè eligat, & per ipſum benè operetur. Hic ergo primus eſt effectus prædeſtinationis qui reprobis ſępè communis eſt, per quem iam poſitum eſt in hominis libertate vt in Deo bonũ eligat, vel per ſe reijciat, vnde conſenſus voluntatis in bonum, & diſſenſus à malo, ipſum opus eſt quo propriè differt electus à reprobo, qui data & poſita præparatoria illa gratia, potuit

Gen. 40.

De prædeſtinatiõe.

D. Leo 1. de ieiunio decemb.

potuit ſimiliter Deo cooperante ſicut electus, cōſentire, & à malo diuertere, quod cū ſimiliter, in tentationibus vel reijciendis vel amplectendis data ſufficienti gratia veriſsimum ſit, patet præcipuum & proprium prædeſtinationis effectum, in quo propriè cardo & momentum electionis verſatur, actum eſſe liberi arbitrij, qui non ex ſolo Deo, ſed ſimul ex homine in Deo depēdeat. Nam quæcumque dona gratiæ, & occaſiones, hunc liberæ voluntatis actum præcedunt, poſſunt omnia reprobis æquè ſicut electis eſſe communia.

CAPVT V.

Difficilis quæſtio, an ex homine ſua pendeat electio.

HInc non facilis exoritur quæſtio, quid igitur ex parte Dei, hunc qui bono cōſentit ab eo diſcernit qui refragatur? poſita nāq; æquali gratia pręueniente & præparante, nihil videtur eſſe ꝙ eos diſcernat, quam liberum voluntatis arbitrium, cum tamen is qui bono conſentit, nō debeat aduerſus alterum gloriari, ſed iuxta Apoſt. cogitare debet quis te diſcernit? niſi gratia Dei? quid enim habes quod non accepiſti? Ad hoc dicendum quod eum gratia quidem diſcernit, ſed quæ cum eo operatur, id eſt, cooperatio Dei quæ ſignificat actum ab vtroque videlicet Deo & homine dependere, qui bonū in Deo operatur, quod non minus potuit is qui prauè reſtitit quam qui piè conſenſit. Vnde

1. Cor. 4.

vnde qui bonum eligit & ſequitur, habet merito vnde contra ſtultum & imprudẽtem hominẽ glorietur, ſed in Domino, cum quo & in quo ſalutem ſuam operatus eſt, quam ille ſimiliter ſimili adiutorio præſtare potuit. nam ſicut de gratia dictum eſt, poſitis viribus quæ à ſolo Deo ſunt, & conſeruantur; quibus facultas boni præſtatur & voluntas præparatur, & ad bonum potens efficitur, actus bonus qui ex his expectatur, ita ſimul à Deo & libera hominis voluntate dependet, vt neque Deus hominem, neq; homo Deum in opere illo præueniat, ſicut loquitur Hieronymus & in Canticis legimus, homo innixus Deo, & anima innixa ſuper dilectum ſuum operatur. Addunt doctores, quod Deus & homo ad actum æquè propinquè & immediatè concurrunt, non quia Deus proprium eſt ſuppoſitum, quod ſicut in miraculis operatur. (homini enim ſoli actio quæcumq; fit velut proximo ſuppoſito operãti tribuitur) ſed quia virtus aliqua ſpiritus Dei proximè actum contingit, a qua dependet & qua comitante procedit, quę virtus velut poſita debet intelligi in hominis poteſtate, per quam facit quidem Deus vt homo ex præueniente gratia operetur, ſed ſic vt operationem recuſare, ſuſpendere vel impedire potuerit, paulo plus lucis acceſſerit, ſi ex ſanctiſsima trinitate, ad cuius imaginem homo conditus eſt, ſimilitudinem aliquam, quatenus fas eſt, mutuemur: quemadmodum enim in ſanctiſsima Trinitate quidquid vult & agit filius,

lius, id ex benedicto patre vult & operatur, ſicut Spiritusſanctus id facit ex vtroque, non tamen prius pater quam filius aut poſterius SpiritusS. quam pater & filius, ſed vt ſunt vnum, ſimul tres idem volunt & operantur ſimulq; operari deſinunt. Quemadmodũ ergò diuinus Spiritus quādo loquitur ex ſe ipſo, prout vult loquitur, & quando deſinit loqui; ſimiliter ex ſeipſo prout vult deſinit, ex patre tamen filioque loquitur, & ſimul cum ipſis loqui deſinit, ſic imaginem ſuam glorioſus Deus, laudis & meriti capacem eſſe volens, ita condidit vt homo, quaſi Deus quidam ſui potens in Deo operari, & ab opere ceſſare queat, quaſi Dei & hominis vna ſit in homine voluntas, & eadem operandi facultas, vt homine operante ex Deo quidem operetur, & non operante ſimul cum Deo operari deſinat: Rurſus cauſam hanc quidam aliò exemplo conantur exponere, dicuntque hominem ferè ad eum modum in pio opere ſe habere reſpectu Dei, quo ſpecies vel indiuiduum in opere ſuo reſpectu generis vel ſuperioris ſe habet. Petro enim operante homo quidem operatur, ſed non homo priuſquam Petrus & Petro deſinente, ſimul & homo proculdubio deſinit, licet enim in hoc exempla diſtinguantur, quod homo à Petro re ipſa non differat, Diuina verò maieſtas ab omnibus rebus in infinitum longè maximè diſtat, ſic tamen illius Maieſtas, immenſitas & amplitudo ſe habet, quaſi omnium ſubſtātiarum motuũ & actuũ ipſa ſit vniuerſalitas;

P cuius

cuius participatione & influẽtia omnia ſubſiſtunt & fiunt. Sic igitur Dominus Deus in nobis bonum operatur, vt ex ipſo ſimul idipſum operemur, quemadmodum pulcherrimè ſanctus Leo ait, ad imaginem ſuam Deus nos reparat, & vt in nobis formam ſuæ bonitatis inueniat, dat vnde ipſi quoque quod operatur, nos operemur, idque illo magno & admirabili ſacramento, vt qui nõ operatur, potuerit ex illo operari, & qui operatus eſt potuerit ab opere abſtinere, ferè ſicut in rebus accidit naturalib. & actib. politicis quorum nihil ſine Deo præſtari poteſt. Vt igitur ad propoſitam de electione quæſtionem redeat oratio, certiſsimum quidem eſt quod electio ſeu prædeſtinatio non eſt ex hominis merito vel aliquo bonorũ operum reſpectu, quoniã omnia merita & bona opera ex electionis gratia ꝓcedunt, verũ tñ eſſe videtur, quod non ſolũ ex Deo, ſed etiã ex libero voluntatis arbit. dependet, ſine quo Deus nullũ in homine bonum actum operatur: nam qui creauit te ſine te, nõ iuſtificabit te ſine te, homo enim ſub Deo velut cauſa inferiori ſub ſuperiori & ſubalterna operatur, vt vtrique Deo nimirum & homini gloria & honor ex opere bono tribuatur, ſicut enim de gratia dictum eſt, ita quoq; de electione nõ improbabiliter dici poteſt, quod hominis arbitriũ electio velut comitatur, & ſimul cũ bono eius opere cointelligi debet. Quoniã igitur ꝓprius electionis ſeu prædeſtinationis effectus etiã ab homine & lib. ſuo arb. depẽdet, is

D. Leo de ieiunio decemb.

videlicet

videlicet, quo quis gratiam Dei in Deo recipit & finaliter retinet, hoc ſenſu rectè ſtatuitur, quod per gratiam ex hominis eſt libero arbitrio, quod ſit electus, prædeſtinatus, & in libero vitæ deſcriptus, ex ipſo dico, nō merito ipſius, ſed ex ipſo ſic efficiente, quoniā in ꝓprio prædeſtinationis opere Dño Deo concurrit, & ex Deo, cū Deo liberè operatur, qui ab opere abſtinere potuit, vnde multi ſuo vitio ſunt reprobi, qui poterant per gratiam eſſe electi. Multi electi qui per liberum arbitriū poterant eſſe reprobi, quoniam hi laborant in Domino ne gratiā Dei in vacuū recipiant, illi aūt voluntariè gratię Dei deſunt, eamq; abijciunt. veruntamē hoc nequaquam diſsimulandum vel prętereundum eſt, quod conſenſus eſt actus iſte volūtatis, licet ſimul à Deo & à voluntate ſeu libero arbitrio dependeat, quem voluntas per ſe ſuſpendere vel impedire poteſt, ipſum tamen cor & liberum arbitrium hominis ſemper manet in manu & poteſtate Dei: vt quodcunque bonum opus Deus ab homine fieri velit, vel malum ab eo declinari, id certiſsimè Deus hominem præſtare faciat: certiſsimè hominem tenens & ſuſtinens ne cadat, & cor eius quocumque voluerit inclinans, quo poſito tamen non tollitur homini in ſua voluntate libertas. hoc enim poteſt, cui non eſt impoſsibile omne verbum, vt certiſsimè faciat hominem hoc vel illud determinatè bonum operari, vt tamen homo, quantum ad ſe pertinet, hoc omittere & contrarium

facere queat. Iuxta quem modum dicit Beatus Auguſtinus, non fuiſſe difficile vel laborioſum omnipotenti Deo, vt omnes quos fecit ſic haberent ordinem ſuum, vt nulla creatura peccaret, & ad miſeriam vſq; non perueniret: ſed voluit ordinem creaturarum à ſumma vſque ad infimam gradibus iuſtis decurrere, vt in vniuerſo ad ſui perfectionem maiora ſic præſto ſint, vt minore non deſint, atque quædam animæ ſeu Spiritus ipſum faſtigium ordinis in vniuerſa creatura obtinerent, quæ nunquam peccarent, cuiuſmodi ſunt beatiſsima anima Chriſti & ſanctiſsima mater eius Maria, quas ſi peccare contingeret, ipſa pulchritudo vniuerſi deturparetur. alios autem eo loco voluit eſſe, vt ſiue peccarent ſiue non peccarent, nihil vniuerſitatis ordini minueretur. Quæ propterea ſic acceperunt poſſe rectè facere ſi velint, vt etiam poſsint peccare; ſi velint, quos vel peccantes ſequitur miſeria, vel rectè facientes beatitudo. Similiter quod ad perſeuerantiam attinet, quæ propria electorum nota eſt, quoſdam ſicut Prophetas & Apoſtolos eo loco conſtituit, vt ex ipſo ordine vniuerſi, cuius per eos fundamenta ſalutis poſita ſunt, deceret eos certiſsimè ne reprobi fierent cuſtodiri, qui proinde primitias Spiritus acceperunt & ſingulari ſpiritus priuilegio in ſuis omnibus dirigebantur. Angelos verò Deus ſic creauit vt quidam eorum, ait B. Auguſtinus, quorum princeps qui dicitur diabolus, per liberũ arbitrium à Domino Deo refugæ

Aug. li. 1. de libero arbit. c. 9.

Cap. 11.

Cap. 12.

Cap. 9.

Augu. de correp. & gratia cap. 11. 12.

ſugæ facti ſunt, cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt; nō quia ſine Dei gratia vel Deo non cooperante, per ſe ſteterunt, ſed cum ſimili eſſent gratia pro ſuo quiſque ordine conditi, in ipſorum erat poteſtate vt vel per ſe caderent, vel Deo cooperante ſtarent. Siquidem alibi de illis loquens palam teſtatur, quod iſti qui boni cum creati eſſent, tamen mali facti ſunt, aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quam illi qui in eadem perſtiterunt, aut ſi vtriq; boni ęqualiter creati ſunt, iſtis mala vo luntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem vnde ſe nunquam caſuros certiſsimi fierent, peruenerāt. ſimiliter lib. 14. cap. 27. primus homo ſic erat inſtitutus, vt ſi de adiutorio Dei fideret bonus homo malum angelum vinceret, meritum habens bonum in adiuta diuinitus voluntate recta.

De Ciuit. Dei li. 12. cap. 9.

Similiter li. 14. c. 27

CAPVT VI.

An eadem homini, quæ Angelorum ratio.

HVC igitur tota iam deuoluitur difficultas, an ad eundem modū de electis & reprobis ſtatui poteſt, quod vt Lucifer ex mala volūtate in malitia perſtitit obſtinatus, Michael verò per liberum arbitriū Domino Deo ſuo ſeruire & ſemper adhærere maluit, ſimiliter inter electos qui perſeuerant in bono, & reprobis qui ſordeſcunt in malis dicendum ſit. Nam apertè B. Auguſtinus cla-

Augu. de correp. & grat. cap. 10. 11. & 12

nus clariſsimũ inter angelos, primumq́; parentẽ & electos Chriſti diſcrimen cõſtituit, illis tale adiutorium datũ eſſe docens, quod deſererent cum vellent, & in quo permanerent ſi vellent, nõ quo fieret vt vellent. Hęc, ait, eſt prima gratia quæ data eſt primo Adã, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam: prima eſt enim qua fit vt habeat homo iuſtitiam ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit vt velit, de qua loquens etiam de prædeſtinatione ſanctorum, hæc gratia, inquit, nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, vt cordis durities primitus auferatur. Itaque maior & largior eſt gratia electorum, quam reprobi ſi haberent, etiam ſalui velut electi fierẽt, atq; ideo nõ ex reprobis vel electis, ſed ex ſolo Deo pẽdet electio vel reprobatio: ſane de his B. Auguſtin. varijs & in ſpeciem diſsidentibus ſententijs ſæpius cogitãti non aliud occurrit, quam quod angeli & primus homo vires acceperũt idoneas, quibus Deo cooperante perſeuerare potuerunt, nunc verò etiam iuſti tales vires non habẽt, quibus omnes poſſent mundi tentationes in tanta carnis infirmitate ſuperare, ſed ſubinde nouis & maioribus opus eſt, quas tum per ſacramenta, tum per humiles preces & opera miſericordiæ ſufficientes poſſumus omnes impetrare, ſicut etiam qui in peccatis ſunt, ſi magnas vt in Deo poſſent, vires adhiberent, poſſent peccatorum vinculis ſe expedire, & ad Dominum per eius gratiam redire: quemadmodum diuinus Leo perſanctè teſtatur

De præd. ſanc. cap. 8.

D. Leo ſermo. 2. de natiu.

ſtatur

ſtatur quod homini quondam abiecto paradiſi ſedibus excluſo, per longa exilia morienti, cui iam non erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem Chriſti poteſtas data eſt, vt de longinquo ad ſuũ reuertatur authorem. quã quidẽ poteſtatem, vt alibi declarauimus, multi in domino amplectuntur, alij verò negligunt, ſed in carnis concupiſcentijs deſides, ignaui permanent. atq; hic eſt naturalis ordo, quo ſicut Angeli & primus Adam; ſic omnes quos Dominus ſtatuit ſecum adducere in iudicium, poſſunt in Deo benè velle & proficere, vel ex ſe malè velle: hoc tamen diſcrimine. quod illi vires habuerint integerrimas, ſibi velut naturaliter inſitas, nos velut ſemimortui, vulnerati & grauiter inclinati maioribus auxilijs quibus erigimur & ſanemur indigemus, quas ex vocante Deo poſsimus in filio nobis dato impetrare. Cæterum quoniam in præſcientia Dei nulli erant, qui in hac carnis infirmitate vires totas vt peccata vincerent, eſſent adhibituri, ne omnes perirent, magnam & abundantem in Chriſto gratiam propoſuit, qua non ſolum, vt Adam & Angeli poſſent bonum operari, ſed qua fieret vt ſimpliciter etiam operarentur, & fœliciter in eo perſeuerarent, quæ gratia eſt de qua loco ſuperiori loquitur Auguſtinus, quæ maior & potentior eſt in ſecundo Adam, vt parũ ſit homini per illam reparare perditam libertatem qua poſſet permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur vt velit, qua ſubuentum dicit

Specialis gratia vulgo dicitur.

 infirmi-

infirmitati humanæ vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur, quæ gratia, ſicut eruditè Dominus Ruardus explicat, & antea quoque diximus, in hoc poſita eſt, quod Deus homini ad cooperandum ſic adeſt, vt nolit permittere eum malè facere, vel à bono abſtinere. Atque hæc eſt de qua ſupra dictum eſt, quod eſt gratia ſine qua in hac infirmitate inter tot & tam varias tentationes, neque à peccato homo reſurget, neque in bono perſeuerabit, qua vt reprobi nõ adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo; vel quando ingratitudine, ſocordia vel ſuperbia ſic merentur, vel quia dum minus ſunt vigilantes temerarij & ſecuri maiori quam ſecundum vulgatum & communem naturæ ordinem gratia non ſunt digni, qua ſimpliciter à peccato prohiberentur: licet enim neutrum propriè ſub meritum cadat ſiue quod quis in bono perſeueret, ſiue quod lapſus in peccatum inde reſurgat, quoniam meritum proprij nominis perſeuerantiam præſupponit, nec enim merces niſi iuſto finaliter propriè debetur, vtrumq; tamẽ iuxta ſanctos ſuppliciter emereri poteſt, ſicut ergo de primo homine dicit B. Auguſtinus, quod ſi homo ille per liberum arbitrium non deſeruiſſet adiutorium quo poterat perſeuerare, ſemper fuiſſet bonus, ſed deſeruit & deſertus eſt, quodque creatorem & adiutorem Deum ſuperbè ſibi placendo, deſerendo à diuinæ gratiæ beneficijs ſua culpa receſsit. Ita de reprobis dicendum eſt, quod cum poſſent de

Aug. li. 2. de pecca. mer. c. 17.

B. Augu. de bono perſeuer. cap. 6. & D. Bonauent. in 2 ſentent.

De correptio. & grat. c. 11. & 14. de Ciuitat. cap. 27.

de adiutorio Dei confidentes vel ſtare vel reſurgere, & gratiã ſine qua non fiet impetrare, ſocordes tamen ſunt, ſibi placent, nõ metuunt neque ſpem ſuam, prout æquum eſt, in Deo & in cruce Ieſu Chriſti cõſtituunt, alijs non miſerentur, vt & ipſi miſericordiam cõſequantur, nõ religiosè precantur quantum res tanta petenda eſt, & ita dum deſerunt, fit vt deſerantur. Propterea rectè dicetur illis in iudicio: ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, electi verò humiliter in Domino confidunt, miſerentur, mites, pacifici ſunt, & religiosè Deum in timore colunt ne finaliter in tentationem incidant. Nam quæ ante fiunt, quibus perſeuerãtia ſæpè per relapſum turbatur & interrũpitur, eiuſmodi ſunt quæ Dominus ſecũdum communem rerum ordinem fieri permittit, quæque iuxta eundem curſum in homine, ſicut opera naturæ & politica pro liberæ voluntatis cõditione & præſentibus hominis affectibus Deus operatur. Quemadmodum enim B. Auguſtinus de Angelis ſæpè tradit, quod mali per liberum arbitrium ceciderunt, boni verò per idem liberum arbitrium ſteterunt, idem de multis quæ ab electis & reprobis ante exceſſum vitæ fiunt, rectè ſtatui poteſt; quod nimirum ex ſimili, eademque diuina gratia per liberum arbitrium hic conuertitur, alter adhuc in malo permanet, hic tentationem ſuperat, ille ab ea vincitur: nõ quod per ſolũ arbitrium, vti ſupra diximus, iſtud Deo non cooperãte fiat (nihil enim boni niſi

in Deo poteſt homo operari) ſed quoniã poſita illa gratia quæ ſufficientes dat vires operandi, planè in libero hominis arbitrio eſt, vt vel Deo cooperante operetur, vel non operetur, Deo res iuxta ordinem ſibi congruum procedere permittente: in his poteſt tam benè à reprobis humile illud meritum comparari, quo ſuppliciter perſeùerantiam poſſent impetrare, quam ab electis obtinetur, licet ijs ſubinde detur, qui minus quibuſdã alijs precati ſunt, nunquam tamen ijs negatur, qui ſicut in Chriſto humiliter obtinenda eſt, ad eam ſuppliciter cõtenderent: ideoque de ijs qui inter Martyres defecerunt generatim tradit Auguſtin. quod dum conuenienter non inuocauerunt, qui defecerunt, inquit, Dominum non inuocauerunt, de ſua fortitudine præſumpſerunt. Et in Iohãnem: Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum, magna gratiæ conditio; nemo venit niſi tractus, quem trahat, quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare, ſemel accipe & intellige: ſi non traheris, ora vt traharis: Cum igitur electorum ſit à peccato ſurgere, & in bono perſeuerare, omnes etiam reprobi hanc poſſunt impetrare gratiã, qua non ſolum id poſsint, ſed etiam faciant, ſane rectè ſtatuitur, quod reprobatio & electio quodammodo ex homine ſunt, nõ quod homo electionem, vt dictum eſt, mereatur, ſed quoniam homo gratiam qua ſurgat & perſeueret (quæ propria ſunt electis) humilitate

In Pſal. 102 ad verſ. 2.

Ioan. 6.

litate & operibus miſericordiæ poteſt impetrare. Multa facimus, quæ aliter facere vel omittere potuimus, multa omittimus quæ facere fuit in poteſtate: in quibus vt vniuerſalis pater miſericordiæ & author gratiæ vel cooperatur pro humanorum affectuũ cõditione, vel permittit hominem pro ſua conditione operari, ſed reſpectu perſeuerantiæ cui debetur hæreditas, & quæ ianua eſt regni cęlorum, vbi calcaneo potiſsimũ inſidiatur aduerſarius. Neceſſe eſt in hac infirmitate contra tot laqueos, tentationes, occaſiones, inſidias, varietates & inconſtantias, vt Dominus amplius nos adiuuet, quam pro viriũ noſtrarum conditione: ſed pro ſanctiſsima miſericordia & bonitate ſua nos & quæ noſtra ſunt, ſemper in hunc finem dirigat, vt finaliter non excidamus: Angelos verò & Adam tali integritate & fortitudine condidit, vt omnes ſuo iuſtè dimiſerit arbitrio, non aliter eis cooperaturus, quam pro conditione naturæ, qua congruentiſsimè & optimè conditi erant: nam quæcumque poterant illis occurrere tentationes fortiſsimi erãt & maximè idonei qui in Domino ſuperarent: ſi noluiſſet autem caſum aliquem Deus permittere, proculdubio caſus nullus extitiſſet. Quis enim audeat, inquit Auguſt. credere aut dicere, vt neq; Angelus neq; homo caderet in Dei poteſtate nõ fuiſſe? ſed hoc eorum poteſtati maluit nõ auferre. Sic veriſſimè res habet in reprobis, qui cũ poſſent ſurgere & perſeuerare, Deus non vult poteſtati *Li. 14. de ciuit. Dei cap. 27.*

ipſorum

ipſorum auferre, vt quod velint faciant, ſed electorum mentes ſic dirigit & cuſtodit, vt ſimpliciter non patiatur eos finaliter excidere, quod ſi ſuis occultis iudicijs permitteret, nō quidem neceſſariò ſed certiſsimè omnis homo per poteſtatem dæmonis vinceretur. Quamobrem cum magna ſit carnis infirmitas, potens aduerſarius, diuerſæ hominis affectiones, variæ mundi tētationes, quid reſtat, niſi vt fiat cuius nos monet Dominus, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Diuerſæ enim ſunt hominum affectiones, quibus alius ſic, alius aliter mouetur, eademq; res ſępè alio modo dicta mouet, alium nō mouet, eundemq; hominē aliter nunc, aliter poſtea mouebit, quæ rerum varietas (vnde liberum arbit. leui momento quod ad actus ſuos attinet huc illucque facile flectitur) quę tota in dei prouidentiam poſita eſt, neſciente homine quæ viſa, quæ rerum occaſiones occurrēt, vigilare debent, & perpetuis ſuſpirijs oculos in Deum intentos habere, vt à laqueis pedes noſtros cuſtodiat, & ſciēs quia niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam, totum eius ſe debet miſericordiæ committere in nullo gloriari, quam in cruce Domini Ieſu Chriſti.

Aug. 1. ad Simplic. quæſt. 2.

(∵)

DE OB-

DE OBDVRATIONE.

CVM Dominus Deus omnes homines velit ſaluos fieri & libero condiderit arbitrio, mirum eſt quomodo ſua bonitas legatur in ſcripturis quoſdam obdurare vel excæcare, nam & iſte articulus magnos noſtro hoc infælici tempore errores habet. Ego (ait Dominus de Pharaone) indurabo cor eius, & non dimittet populum. Et beatus Euangeliſta: propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertãtur, & ſanem eos. Similiter Apoſtolus teſtatur, quod tradit quoſdam Deus in deſideria cordis, in immunditiam, & in paſsiones ignominiæ, ac in reprobum ſenſum, vt facerent quæ nõ conueniunt, & quod horribilius eſt, quod Deus quibuſdam mittit operationem erroris, vt credant mendacio, ſicut cum errauerit propheta & locutus fuerit verbum, ego, inquit Dominus, decepi prophetam illũ. Rurſus ſæpè per prophetas Dominus populo minatur: quod & eum feciſſe ſcripturæ teſtantur: ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſrahel, gentem robuſtam &c. & comedet ſegetes tuas, & cęt. quod ſi dixeris, quare fecit nobis Dominus Deus noſter

1. Tim. 2. *Exod. 4. 7. 10.* *Iohan. 12* *Rom. 1.* *2. Theſſ. 2* *Ierem. 5. cap. 7.*

noſter hæc omnia? dices ad eos, ſicut dereliquiſtis me &c. Hæc eſt gens quæ non audiuit
Ierem. 43 vocem Dñi Dei ſui, nec recepit diſciplinã. Et alibi: ecce ego mittã & aſſumam Nabugodonoſor regẽ Babylonis ſeruum meum, & ponã thronum eius ſuper lapides iſtos quos abſcõdi &c. Quibus & ſimilibus ſcripturis Dñs videtur etiam malis (quod abſit) cooperari, & author malorum quę per homines fiunt. Cęterum de ijſdem malis alibi ſcriptura loquẽs eadem hominibus vel Sathanæ tribuit: nam quod ad obdurationẽm Pharaonis & excæcationem Iſrahel attinet, ſcriptura palam teſtatur, quod vidẽs Pharao datam eſſe requiem, ingrauauit cor ſuum, & non audiuit eos. de
Exod. 8. populo verò, quod Eſa. iuxta Iohã. refert ad Deum, Paul. malitię populi tribuit, incraſſa-
Actu. 28. tum eſt inquiẽs cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos cõpreſſerũt. Quemadmodũ de Dauide quod legimus quãdo populũ voluit numerare, lib. reg. dño tribuit, addidit furor dñi contra Iſrahel, cõ-
2. *Re.* 24. mouitq; Dauid in eis dicentẽ ad Ioab: vade
1. *Par.* 21. numera populũ. iſtud ipſum liber Paralipo. aſcribit Sathanæ, conſurrexit inquit Sathan contra Iſrahel, & incitauit Dauid vt numeraret Iſrahel. Primum igitur hæc iſto ſenſu rectè poſſunt in Deũ referri, quoniã Deus iu
3. *Reg.* 22. ſto iudicio permittit Diabolo, qui ſemper ad omne malũ paratus & intẽtus eſt, vt ad hęc
Aug. qu. 18 *in Exodum.* homines incitet & inducat, quẽadmodũ de Achab legitur, quod Dñs ſpiritui permiſerit vt per falſos Prophetas regem deciperet. Secundè

cundò quamuis vniuſcuiuſq; cordis in malitia qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malũ, ſuo fiat vitio quod inoleuit ex arbit. voluntatis, tũ qualitate mala, vt huc vel illuc moueatur (cum, ſiue huc ſiue illuc malè moueatur, cauſę ſint quibus animus ꝓpellitur, quæ cauſæ vt exiſtant vel nõ exiſtant, nõ eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta prouidentia iuſtiſsima planè & ſapientiſsima, vniuerſum ꝗ creauit diſponentis & adminiſtrantis Dei) Vt ergo tale cor habeāt impij, ꝙ patientia Dei nõ mouetur ad pietatẽ, ſed potius ad impietatẽ vitij proprij eſt: ſed vt hæc vel illa eis offerantur & occurrāt, in quę malitiā ſuam exerceāt, diuinæ eſt prouidentiæ, quæ tenebras, id eſt, corda & opera impiorũ pro ſuis occultis iudicijs non quidẽ facit ſed diſponit, & ordinat: vt in hunc potius, quam in aliũ incidant: quoniam ipſis impijs neſcientibus nouit Dñs, quid illi pati debeāt, quibus eos nocere permittit. Hæc igitur diuinæ prouidentiæ ordine contingunt, quæ de bellis & ſimilibus calamitatib. Dominus olim cõminatus eſt, & fecit, quo ſenſu beatus Prophet. Dauid, factũ impij Semei de manu Dñi ſuſcepit, dimitte, inquit eum, vt maledicat, Dominus enim ꝑcepit ei vt malediceret Dauid: quod tractans B. Auguſt. quis ſapiens inquit & intelliget? Non enim iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur, ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malā in hoc peccatũ iudicio ſuo iuſto & occulto inclinauit, id eſt, cor eius malũ miſit vel demiſit vt malediceret,

B. Augu. de natur. bon. ca. 11

2. Reg. 16

Augu. de gratia & lib arbit. cap. 20.

diceret, vbi non videtur ſimplex eſſe diuina permiſsio, ſed mirabilis quædam Dei potentia, qua poteſt opera, quæ non ipſe facit in eos declinare, quos talia perpeti voluit. Quamobrem diligenter annotandum, quod in actis de paſsione Chriſti dicunt Apoſtoli, conuenerunt verè in ciuitate iſta aduerſus ſan-
Actuū 4. ctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrahel, facere quæ manus tua & con ſilium tuum decreuerunt fieri: non enim vt hæc facerent bonus Deus author fuit, ſed vt illa tam impia corda & opera propter nos in dilectū filium ſuum inciderēt, quibus velut ouem lupis in eorū manibus ad ea quæ paſ-
*Matt.*26. ſus eſt perferēda Ieſum dimiſit. Hæc eſt hora
*Iohan.*19. veſtra, ait, & poteſtas tenebrarum. Et: non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Poſtremò patres ferè declarant in hoc argumento verba quibus
In ca. 12. *Iohan* Dominus tradere vel inducere, vel inclinare vel conuertere dicitur, per permiſsionem
*Augu. in Pſal.*68. *ad verſic. appone iniquitatem & in Pſal.*104. *conuertit cor eorū &c.* & deſertionem accipi debere: ſic enim excæcat, ait B. Auguſtinus in Iohannem, ſic obdurat deſerendo, non adiuuando. Et ad verſiculum Pſalm. conuertit cor eorum, vt odirent populum in eo quod populum multiplicauit. Hoc beneficio ſuo malos ad inuidendum cōuertit: & concione 13. in Pſal. 118. exponens verſiculum, ne auferas de ore meo verbum veritatis; intelligendum eſt, inquit, ne auferri ſinas. Et ad Simplicianum, obdu-
*Ad Simp. li.*1. *q.* 2. ratio Dei eſt nolle miſereri, vt non ab illo

erogetur

erogetur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantum quo ſit melior non erogetur: ſiquidẽ ea creaturæ conditio eſt & hominis infirmitas, vt iuxta B. Auguſtinum nullum ſit peccatum quod fecit homo, quod non poſſet facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Nam quod pauciora quis alijs cõmiſerit, non niſi regente ſeu gubernãte Deo factum eſt, vt adulterium quod alius cõmiſit tu non committeres Deo deputare debes, ille te ſibi ſeruabat, ſuaſor defuit, & vt deeſſet Deus fecit, locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent ipſe itidem fecit, non defuit locus, non defuit tempus vt non conſentires, ipſe terruit: ideoque quæcumque alius commiſit & ipſe committere potuit. B. Auguſtinus ſibi velut dimiſſa reputat, quoniam Deo debet quod non commiſerit, quoniam quod aliquod ſit peccati genus quod homo ſaltem voluntate nõ perpetrauit, inde accidit, quod vel homini non occurrit, vel nulla eius data fuit occaſio, vel quod honeſta aliqua cogitatione declinauerit. omnia verò hæc à Domino Deo ſunt, cuius prouidentia omnia contingunt. cum ergo relinquit homines, & inter tantos inimicos & occaſiones ſibi dimittit, nihil eſt quod homo miſer & infælix effugiet. Sic igitur tradit hominem in reprobum ſenſum, quoniam manum qua continebat eos ſubtrahit, & ſub poteſtate Sathanæ eos ſibi dimittit, vnde ſequitur, vt in reprobum ſenſum incidant & faciant quæ non cõueniunt, quoniam ex nobis ad omne malum

B. Augu. ſerm. 114. de Maria magdal.

Li. 2. confeſſ. ca. 2. & ſancta virg. c. 41.

inclinamur, ſi Domino dirigente non retineamur. idipſum fere eſt, atq; ſi quis nos in malum propelleret: quemadmodum graue ſaxum in aëre manu ſuſpenſum, ſi manũ ſubtrahas, mox iuxta ſuam inclinationem toto conatu deorſum feretur; ita pondus cordis amor eſt, qui quoniam ex naturæ corruptione prauus eſt, fit vt homo ſine Deo ſibi dimiſſus toto pondere deorſum & in peccatum feratur, quæ tamen eo non pertinent, quod hominibus etiam perditiſsimis, quam diu rationis ſunt compotes, boni facultas adimatur, quin ſemper in Domino poſſunt oculos leuare in cœlum, & neceſſarium auxilium impetrare, ſed quoniam peccatorũ meritis ſæpè contingat maiora diuinæ prouidẽtiæ ſubſidia ſubtrahi: ſine quibus ad maiorẽ ſui damnationem à grauioribus malis inſtigante dæmone, vel mundo, abſtinebunt. Ex quibus omnibus facile liquere poteſt, quam iuſta futura ſit impiorum dãnatio, qui ſicut de iuſto legitur, quod potuit tráſgredi, & non eſt tranſgreſſus, ſic & ipſi benè facere potuerunt, ſed non voluerunt, imo ſimilibus gratiæ auxilijs ſaluari, quibus eorum qui ſtabunt à dextris plurimi ſaluati deprehendentur. Proinde facilis eſt inter ſcripturas concordia, quarum iſtæ iudicia Dei multum abyſſum & incomprehenſibilia declarant, aliæ verò manifeſta pronunciant, ô altitudo
Rom. 11. diuitiarum, ait Paulus, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Rurſus ſan-

ctorum

ctorum populus in Apocalypſi, Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine. Deus omnipotens, Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ rex ſæculorum, quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es, quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt. Ecce non ſolum in diuerſis, ſed in eadem ſententia, iudicia domini mirabilia ſimul & manifeſta pronunciantur, nam quod ad retributionem, quæ futuro ſeculo videbitur, ſancta eius iudicia manifeſta ſunt, quibus orbem iudicabit in æquitate, quod autem ad diſtributiones donorum & munerum gratiæ plena quidem ſunt miſericordiæ & æquitatis, ſed occulta & hominibus inſcrutabilia: ſit illi gloria, laus & honor in Chriſto Ieſu filio ſuo, cum ſpiritu paracleto, qui eſt benedictus in ſæcula. *Apoc. 15.*

DE CHARITATE TRACTATVS.

Aug. tra-ctа. 5. & 8 in epiſtg. Ioannis.

CHARITAS ait B. Auguſtinus dulce verbum, ſed dulcius factum, ſola eſt quæ diſcernit inter filios Dei & filios diaboli. Hæc margarita pretioſa ſine qua nihil tibi prodeſt quodcumque habueris, quam ſi ſolam habes ſufficit tibi. Et Apoſtol. finis præcepti eſt Charitas, de corde puro, cōſcientia bona, & fide non ficta, quæ cum in vnione & amicitia poſita ſit, temporis tamen malitia etiam hinc diſcordias & diſſenſiones peperit, propter quas nonnullos de Charitate diſcutere articulos cupio: in quibus tota fere controuerſia verſatur, vnde ſacræ theologię ſtudioſis non exiguam vtilitatem, & pijs animis aliquid conſolationis acceſſurum ſpero. Primus articulus quæſtionem verbi quid ſit Charitas diſcutiet. Secundo de proprietate differetur, an eiuſmodi ſit charitas quæ reatum æternæ damnationis in homine compatiatur. Poſtremo quid ſit obſcurum in charitate videbitur propter quod non euidenter homo cognoſcere queat an charitatem habeat.

1. Tim. 1.

Tres de Charitate artic.

De primo articulo.

VErißimum quidem eſt, quod habet B. Dionyſius, pro eodem a ſanctis theo-

logis poni charitatis & amoris nomina, ſed cum variæ ſint amandi rationes, & diuerſi charitatis & dilectionis modi grauiſsima quæſtio eſt, quomodo Deum diligere debeamus, & quando in ſcripturis Charitas prædicatur, an nihil aliud quam generatim amor ſeu dilectio commendetur: in qua quidem quæſtione vt ordinatè procedamus, primum nonnulla generatim & confusè de dilectione & amore ſtatuenda ſunt. Deinde propius ad quæſtionem reſpondendum. Amor itaq; ex apprehenſione boni velut in bono quædã complacentia naſcitur: id enim quod pulchrum eſt, ait Dionyſius, ſeu bonum id expetendum eſt, amandum, diligendum, propter ipſum eiuſque cauſa, & amor quaſi circulus quidem eſt perpetuus, qui boni cauſa ex bono, in bono, & in bonum ſe voluit, qui licet rectè à Philoſophis & Theologis diuidatur in amorem cõcupiſcentiæ & amicitiæ, quorum illo rem aliquam ſicut Sapientia velut bonum concupiſcimus, hoc perſonis gratificare cupimus; omnis tamen amor dilectum concupiſcit & in eo gaudet & delectatur, vtpote cuius proprius effectus vnio quædam eſt, qua amans àmato propter eius bonitatẽ adhærere & copulari deſiderat, & id quidem abſolutè amabile eſt, quod abſolutè bonum inuenitur, cuiq; verò quod & ipſi bonum apparet: quod enim bonum quidem eſſe ponitur, ſed prorſus ab homine ſeparatum, & alienum, vt licet in ſe bonum ſit, non ei tamen bonum eſt, iam ratio id ipſum diligendi in

Dionyſ. cap. 4. de diuinis nominib.

8. *Ethico.*

D. Tho. 2. 2. q. 26. artic. 13.

eo ceſſat, nō quin amicus amicum propter ſe diligat, ſed quod amicus cenſeri non poteſt, niſi qui ſimpliciter cum bonus & amabilis eſt etiam amico bonus ſit. Debet enim amaturus percipere & ſentire eius bonitatē, in quo per amorem velut in bono ſibi poterit complacere, cauſa igitur diligendi Dominum Deum ſua eſt immenſa bonitas, qua & ſummum ipſe per ſe bonum eſt, & ſimul animæ quærenti ſe bonus eſt, quam bonitatem tum ex ipſa diuinæ naturæ perfectione & beatitudine, tum ex infinitis & immenſis eius beneficijs per ſpiritum eius diſcimus & percipimus. Diligimus autem ipſum propter ſe ſe, quoniam propter bonitatem qua per ſe non ſolum bonus eſt, ſed ipſa charitas & bonitas intelligitur. Diligimus, inquam, & ſancto quodam amore concupiſcentiæ, quoniam ipſum propter ipſum, vtpote ſummum bonum & veram beatitudinem concupiſcimus, quemadmodum amantium v-
Pſal. 41. nus dicebat: Sicut deſiderat Ceruus ad fon-
Pſal. 72. tes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Et: mihi adhærere Deo bonum eſt. Diligitur etiam gratis & amicè, quoniam ſanctiſsimæ ſuæ voluntati propter ipſum, & qua ipſe talis eſt gratificare, & quod placitum eſt illi facere cupimus. Nam charitas, vt pulchrè à Diuo Bonauentura annotatum eſt, duplicem motum amoris habet, ſanctæ videlicet concupiſcentiæ, qua Deum ſuper omnia bona concupiſcit, & filialis cuiuſdam beneuolentiæ, qua Domino Deo ſuper

omnia cultum & honorem cupimus, & obedientiam deferimus: quoniam enim vtriuſque amoris ſumma in Deo ratio ſua maxima bonitas eſt, ideo ſuper omnia, id eſt, ex toto diligimus, ſine modo vel menſura amoris quia nullus quoque ſuæ bonitatis modus vel menſura reperitur. Cæterum quia aliud eſt generatim & ſub confuſa ſummi boni ratione Deum diligere, (quod etiam infideles concipere poteſt) aliud Dei bonitatem, prout in ſe eſt, amore contingere (quod in cor hominis ſine ſpiritu non aſcendit) neceſſarium eſt, nos vt congruum & Deo dignum amorem habeamus, diuino quodam Dei dono velut deificari & ipſo Dei ſpiritu indui & affici, quo per ſapientiam guſtantes quam in ſe bonus & ſuauis eſt Dominus, dignum illi cordis amorem referamus, qui ſummo illi bono ſicut in ſe eſt quadam proportione correſpondeat: ſicut enim quæ hominis ſunt, nemo nouit niſi ſpiritus qui in homine eſt, ita quæ Dei ſunt nemo nouit niſi ſpiritus Dei, quo homo niſi velut proprio ſpiritu ſibi inhabitante indutus & affectus fuerit, nequaquam Diuinæ bonitati correſpondentem amorem habere poterit, vnde illud Apoſtoli nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto, & charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Deinde ſic habet diuinæ bonitatis conſtitutio,

D. Bernard. in principio de diligẽdo Deo.

1. Cor. 2.

1. Cor. 12.

& in myſterio noſtræ reſtaurationis ſic bene-
placitum eſt apud benigniſsimum Deum, vt
nos quodam diuinæ naturæ ſuæ conſortio
velit eſſe filios, vnigeniti filij ſui ſaluatoris
noſtri Ieſu Chriſti fratres & membra, vnde
qui ad ipſum veniũt, ijs primum pręceptum
1. Cor. 12. datur: oportet vos naſci denuò, & Apoſto-
lus: etenim vno ſpiritu omnes in vnum cor-
pus baptizati eſtis: vult enim Dominus Deus
Rom. 8. à nobis coli & diligi vt pater, & nobis inui-
cem ſub Chriſto capite in vnitate corporis
Galat. 4. vt membra cohærere: Non enim accepiſtis,
ait Apoſtolus, ſpiritum ſeruitutis iterum in
timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis
filiorum, in quo clamamus Abba pater, & ad
Mala. 3. Galatas, quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus
ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem:
Abba pater. Nam eiuſmodi ſeruitutem quæ-
rit Deus; de qua apud Prophetam: erunt mi-
hi, ait Dominus exercituum, in die qua ego
faciam in peculium, & parcam eis ſicut par-
cit vir filio ſeruienti ſibi. Hæc autem fiunt o-
mnia per gratiam quam gratificantem dici-
mus, de qua fuſius in tractatu de gratia dictũ
memini, ſine qua omnis dilectio & quicquid
facimus quaſi nihilum apud Deum reputa-
tur: ſicut enim quod nullo modo eſt nec mo-
Dionyſ. tum nec ſtatũ habet, inquit Dionyſius, quod
in princi- auté aliquo modo eſt ea facit & patitur, quæ
pio. de ec- natura ipſius ferat, ita qui ſtatum diuinum
cleſiaſt. (qui diuino ortu &, vt ita dicam, generatio-
hierarh. ne efficitur) non accepit, is profectio nihil
eorum quæ à Deo tradita ſunt ſciet, nec ope-
rabitur

rabitur dignè videlicet, & ſicut coram Deo in ordine ad regnum cœlorum conuenit. Quibus ita conſtitutis facile perſpicere licet quod præter communem modum diligendi Deum, ſpecialis quidam amor agnoſcendus eſt, filialis videlicet, quo Deus in corpore eccleſiæ vt pater & ſummum bonum diligitur, qui ex conſortio diuinæ naturæ (quę gratia gratum faciens dicitur, & velut vapor eſt virtutis Dei & emanatio quædam claritatis & gloriæ Dei) naſcitur, quoniam enim cuiq; bonum & amabile eſt quod eſt ipſi con naturale, & ad quod proportionem aliquam habet peculiaris quædā, in nobis neceſſaria eſt connaturalitas, & diuina quædam naturę noſtræ diſpoſitio, habitudo & affectio, qua fiat vt tantum bonū nobis ſit connaturale, & tam ſublimis finis nobis competat, noſq; in eo ſtatu ſimus, vt illius capaces, & in illum apti ac idonei ſſimus. Quemadmodum igitur quælibet natura ſuam habet inclinationem, qua in bonum & finem ſibi connaturalem, fertur, ſic diuinam hanc in Chriſto natiuitatem, qua per gratiam gratificautem filij efficimur, diuinus in nobis amor comitatur, quo velut connaturaliter in ſummum illud bonum, ſicut in ſe eſt, quadam filiali proportione mouemur. Ideoq; veriſsimum eſt, quod Diuus Thomas ſcriptum reliquit, charitatem eſſe amicitiam Dei, quæ ſuper eam ſocietatem & communicationem fundatur, qua Deus nobis pater & ſummum bonū eſt, & nos populus & filij ipſius, templum

Quid proprie Charitas.

Sapien.7.

D.Tho.2. 2. qu. 23. artic. 1.

Charitas eſt amicitia.

2.Cor. 6. ſpiritus eius & membra filij ſui, vos (inquit) eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos, & ero illorum Deus, & erit mihi populus. Et iterum, fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri. Cuius ſocietatis ratione nobis quoq; dicitur: iam nō eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Proinde B. Proſper charitatem ab honeſtis amicorum inter ſe politicis amoribus diſtinguens, conuenientiſsimè deſcribit: non, inquiens, quod hi amores honeſti non ſunt, cum ſint omnibus naturales, ſed quod his omnibus ſit ille incomparabili diuerſitate præſtantior, quo Deum diligimus gratis & amicum, Gratis quidem, quoniam non aliud amor iſte præmium quærit, quam eum qui amatur, amicum verò, quoniam filialiter diligit vt patrem, ſicut ille nos in hoc ſtatu ex ſupereminentia paternè diligit vt filios. De qua amicitia ſponſa loquitur in canticis: Adiuro vos, inquiens, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum vt nucietis ei, quia amore langueo. Et paulo poſt: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex minimis, caput eius aurum optimum, guttur eius ſuauiſsimum, & totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Ieruſalem, idque non hac ſolum ratione, ſicut quidam explicant, quod noſtræ delectioni mutua Dei dilectio correſpondeat, quia diligentes ſe

1.Cor.1.

Epheſ. 2.

D. Proſp. li.3 de vita contē-pla.c.25.

Cant.5.

D. Andr. de Vega.

dilīgit

diligit, ſed quoniam ex conſortio diuinæ naturæ, quo Deus nos regenerando vel reſuſcitando re ipſa patrem ſe nobis efficit, & bonitatis ſuæ participatione nos in ipſo, ſicut ipſe eſt bonos facit & filios, quædam velut in Deum connaturalitas & filialis amor naſcitur, neque ex ſola ſummi boni, vel diuinæ amicitiæ æſtimatione procedit (fieri enim facile poteſt, vt quis Phariſæus vel hæreticus Deum ſibi patrem & amicum præſumat) ſed aliud eſt, quod ex phantaſia & hominis æſtimatione procedit, aliud quod (vt in omni animante licet experiri) ex veritate naſcitur: tametſi enim probabilis exigatur cognitio & confidentia (amor enim non fertur in incognitum) quod nos gratia Dei ſumus illi reconciliati, veritas tamen & ipſa connaturalitas filialis amoris, non ex ſola æſtimatione, ſed ex ipſa diuinitus nobis communicata deifica bonitate naturæ diuinæ participatione cœleſtis hic amor progignitur, quo filialiter in Deum, & vt membra in Chriſtum caput rapimur & afficimur. Poteſt itaque fieri vt ante reconciliationem quidam amor reperiatur in homine, quo Deum vt fontem iuſtitiæ diligere incipiat, ſicut & Iudæus & paganus naturalem quendam Dei amorem generatim habere poteſt, ſed nequaquam, inquit Diuus Bernardus, talibus aculeis incitatur amoris, quales Eccleſia experitur, quæ

Quales amor poteſt in homine ante recõciliationẽ reperiri.

D. Bernardus de diligẽdo Deo.

quæ ait; vulnerata charitate ego ſum, illum ratio vrget & iuſtitia naturalis, totum ſe tradere illi, à quo ſe totum habet, mihi profecto fides tantò plus indicit amandum, quanto & eum me ipſo pluris æſtimandum intelligo, infidelis ſiue paganus ipſe totum ei ſe debere non ignorat quem ſui totius non ignorat authorem: Quid ergo ego qui Deum meum teneo vitæ meæ nõ ſolum gratuitum largitorem largiſsimum adminiſtratorem, pium conſolatorem, ſolicitum gubernatorem, ſed inſuper etiam copioſiſsimum redemptorem, æternum conſeruatorem, Ditatorem, glorificatorem: Vbi Bernardus palam amores diſtinguit, quib. Dominus Deus variè diligi poteſt, & peculiarem quendam ſtatuit quo ipſum tenemus glorificatorem; fides enim oſtendit, ſpes concupiſcit, quem charitas nunc amicum tenet, nam & Paulus de excellentia charitatis differens, etiam eximium Dei & proximi amorem admittit, quem tamen non concedit eſſe charitatem: ſi facultates meas, inquit, oẽs diſtribuero in ci-

1. Cor. 13. bos pauperum, & tradidero corpus meũ, ita vt ardeã, charitatem aũt non habuero nihil mihi prodeſt, ſiquidẽ in hæreſi vel ſchiſmate vel alio aliquo mortali peccato fièri po-

B. Aug. de patient. cap. 26. teſt, vt homo vitium ſuum non aduertens tam eximium dilectionis & pietatis opus ſine charitate præſtet. Charitas enim fructus eſt inhabitantis ſpiritus, qui non habitat in corpore ſubdito peccatis, & de corde

Sapien. 1. puro fide non ficta, & conſcientia bona procedit.

cedit. Nemo interim cogitet, nos hic amorem aliquem velle introducere, qui viribus humanis erga Deum poſsit acquiri: nullus enim qui equidem verus & ſyncerus ſit huiuſmodi in corrupta natura ſine Dei dono reperiri poteſt, ſed diſtinctionis ergo modum aliquem amandi Deum propoſuimus, qui poſſet etiam in peccatoribus & infidelibus nõ tamẽ ſine Dei munere inueniri, de quo propterea piè D. Bernardus addit: verum, inquiens, id difficile, imò impoſsibile eſt ſuis ſcilicet quempiam liberiúe arbitrij viribus ſemel acceptis à Deo, ad Dei ex toto ſe conuertere volũtatem, & non magis ad própriam retorquere, ſicut ſcriptum eſt, omnes quæ ſua ſunt quærunt. vnde rectiſsimè à patribus dictum eſt: prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Verum (vt perſanctè & circumſpectè tradit B. Auguſtinus) fatendum eſt quod Spiritusſanctus aliter adiuuat nõdum inhabitans, aliter inhabitans: quæ enim reconciliationem præcedunt & nos ad eam præparant, proculdubio Spiritusſancti quidem ſunt munera, impulſus, & inſpirationes, at non inhabitantis, ſed velut foris mouentis, quo viam nobis ad iuſtitiam in Chriſto paremus. Charitas verò proprium eſt inhabitantis ſpiritus donum & opus amor filialis; qui proinde non ſolum perfectione ab alterius generis amore diſcernitur, quia videlicet viuacior, plenior & efficacior amor eſt, ſed etiam propria & formali diligendi ratione, vtque ex modo quo per ſpiritum

Philip. 2.

Concil. Arauſic. Can. 25. Auguſt. epiſt. 105.

Charitas ſpecie ab aliÿs amãdi modus diſtinguitur.

tum

tum filialiter in Deum, ſicut erga patrē filij mouemur. Quicquid enim illud ſit quod do ctor ſubtilis quodlibeto ſuo de charitate concludit, perſpicuum tamen eſt aliam eſſe dilectionis ſpeciem ſeu formam quæ in filiali amicitia poſita eſt, quam cuiuſque in alium vulgaris amor: ſicut enim hominum diuerſæ ſunt inter ſe ſpecies amicitiæ propter diuerſas amandi rationes; ſic longè alterius generis amor eſt quo Deus diligitur vt pater, amicus & ſummum hominis bonum, cui vt templum & membrum, & vt domeſticus ac filius, per ſpiritum homo iam vnitus & coniunctus eſt: alterius verò rationis dilectio, qua homo generatim & ſub confuſa boni ratione Deum diligit, à quo vt hoſpes & peregrinus adhuc alienus eſt, cui nondum ſors vel pars in illo eſt: cum enim amor iuxta B. Thomam quædam ſit amantis ad amabile connaturalitas, ſanè per gratiam gratificantem vbi alia quadam natura cælitus per diuinæ bonitatis conſortium induimur; conſequens efficitur, vt alia quoque dilectionis connaturalitas comitetur, qua conuenienter ſecundum naturam illam Deum diligamus & in ſummum illud bonum, quomodo tali naturæ iam deificatæ amabile eſt, filiali amore feramur. Quemadmodum igitur alius eſt amor hoſpitum & aduenarum, vt ſupra dictum eſt, alius verò domeſticorū, filiorum, conciuium: ſic longè alia eſt ratio charitatis qua Deum ſummum bonum ea ſocietate & amicitia diligimus, vt eius filij, ciues

ciues & domeſtici reputemur, rurſus alius eſt amor, ſicut & alia eſt connaturalitas membrorum in proprium eiuſdem corporis caput, alius erga caput alterius alienum & ſeparatum, ſic poſtquam ſpiritu in vnum corpus cuius caput Chriſtus eſt coaptati ſumus, longè alius ex hoc ſpiritu in Deum & Chriſtum affectus & amor naſcitur, quam antea fuiſſe concipi poteſt. Ideoque vult Apoſtolus vt nos inuicem ſicut vnius in Chriſto corporis membra diligamus, loquimini veritatem, inquit, vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra: ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius mēbra. Et alibi; vos autē eſtis corpus Chriſti & membra de membro. Et ad progreſſum vel augmentum in charitate nos exhortans, veritatem, inquit, facientes in charitate, creſcámus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totū corpus compactum & connexū, per oēm iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationes & menſuram vniuſcuiuſq; membri augmentum corporis facit in ædificationē ſui in charitate ſignificās charitatem eſſe dilectionē, qua Chriſtū vt caput & proximos ſicut mēbra in Chriſto cōuenieter diligimus: non ſicut is qui adhuc foris eſt, & per aliq̄ fidei cognitionē poteſt Chriſtū ſub confuſa capitis ratiōe diligere, ſanctè deſiderás eius mēbris incorporari, ſed ſicut is diligit, qui

Epheſ. 4.

Rom. 12.
1. Cor. 12.

Epheſ. 4.

qui nunc actu membrum eſt cuius eſt alius & connaturalior amor erga coniunctum ſibi caput, quam ſi foris adhuc & ſeparatus eſſet; conſtat equidem quod vt Cornelius Centurio priuſquam ſpiritum ſanctum acciperet & eccleſiæ membris insereretur, ita catechumeni ac pœnitentes priuſquam reconciliationem conſecuti ſunt, quodam modo diligunt & colunt Deum, ſed tali diſcrimine vt eius amoris & cultus, qui ex inhabitante ſpiritu ſequitur comparatione, quaſi nihil reputetur, ideoq; ſcripturæ & ſancti, vt antea quoque dictum eſt, volunt nos templa & organa ſpiritus fieri, quo dignè Deum amore & alijs pietatis exercitijs colamus: templum enim Dei, inquit, ſanctum eſt quod eſtis vos. Et: an neſcitis, quia membra veſtra
1. Cor. 3. ſunt templa Spiritus ſancti. Et: ſi quis templũ
1. Cor. 6. Dei violauerit diſperdet illum Deus. Templum verò propter cultum & orationem Dei
1. Cor. 3. dedicatur, de quo pulchrè in hæc verba diſ-
Augu. in ſerit Auguſtinus, hoc templum eſt, id eſt, ipſi
præfatiõ. homines, vbi rogatur Deus & exaudit; quiſ-
Pſal. 130. quis enim præter templum Dei orauerit Deum, non exauditur ad illam pacem ſupernæ Ierusalem, & ſi exauditur ad quædam temporalia quæ Deus & paganis donauit: exaudiri ad vitam æternam aliud eſt, nec conceditur niſi ei qui in templo Dei orat: ipſe enim orat in ſpiritu & veritate. Cum igitur præcipuus Dei cultus, cui diuini eiuſmodi templi ſanctitas conſecratur, in charitate conſiſtat, vides non quemuis diligendi vel

colendi

colendi modũ ſufficere, ſed pro cõſequendo regno Dei ſpecialem quandã diligendi ſeu colendi rationem exigi, quam ſpiritus ſanctus nobis adfert, quando ſua inhabitatione nos templa ſua conſecrat, vbi proculdubio gratia dilectionis intelligitur & ſola charitas eſt, per quam nos Spiritusſanctus adeoq; ſanctiſsima ipſa tota trinitas nos inhabitat. His adde regnum cęlorum non quibuſuis operibus vel quocumque modo laborantibus eſſe propoſitum, ſed ijs duntaxat quæ fiunt in vinea & eccleſia Domini, idque pro membris & filijs Dei, eſt enim gloria illa propriè filiorum Dei, ſicut ait Apoſtolus; ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; hanc pater velut hæreditatem filijs promerendam propoſuit. Quamobrem non quæuis opera à quibuſcunque præſtita ſufficiunt, ſed peculiaris quædam virtus neceſſaria eſt, quæ propria ſit filijs, quaq́; filialiter & ſicut membra & domeſtici operētur, vt regnum cœlorum promereri queant. & hæc eſt charitas nobilis illa Margarita quam quærimus, pretioſa veſtis illa nuptialis, ſtola filiorum candida, ſanctorum byſſus & ardens virginum prudētum oleum, amor ſcilicet filialis, quo Deus in corpore Eccleſiæ vt pater & ſummũ bonum a filijs & membris Chriſti diligitur, & proximus propter ipſum, De qua Paulus, in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem

Auguſt. epiſt. 15.

Aug. li. 15 de Trini. cap. 18.

Matt. 20.

Rõ. 5. et 8.

Charitas quid propriè.

Galat. 5.

ritatem operatur. licet enim varia & multiplicia ſint virtutum officia quibus iuſti ſe exercent & partem in regno cœlorum promerentur, quia tamen regnum illud velut hæreditas filijs promerenda proponitur, nulla opera id promerentur, niſi quæ ex ea virtute quæ propria filijs eſt, id eſt, ex charitate procedunt. Ex quibus concludendo certiſsimè collige quod Ethnici, hæretici, ſchiſmatici & quicumq; non ſunt viua Chriſti in corpore eccleſiæ membra, charitatem non habent, ſicut nec ſpiritum Chriſti, cuius proprius fructus charitas eſt, ſiquidem infideles & hæretici Deo non credunt & ſchiſmatici in vnitatem corporis nõ conſentiunt, alij verò diuinæ naturæ conſortium quo ſicut filij viuant & operentur in corpore Chriſti non habent. Hæc charitas ipſa eſt gratia noui teſtamenti, qua per ſpiritum lex Dei ſcribitur in tabulis cordis car-
2. Cor. 3. nalibus & renouamur ſpiritu mentis noſtrę,
Galat. 4. qua tamquam filij non ancillæ ſed liberæ
Augu. de ſpiritu & litera. ca. 20. & 32. domino & patri liberaliter ſeruimus, quia & hoc accepimus; dedit enim poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Quod autem de membris Chriſti ſæpius refricauimus, ea ratione neceſſarium erat, quia nihil poſt lapſum patri gratum eſſe poteſt, niſi quod Chriſtum redemptorem no-
Act. 4. ſtrum redolet, neq; alijs quam qui in Chriſto ſunt gloria illa cœleſtis parata eſt; ſiquidem non eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri, & qui ſpiri-

tum

tum Chriſti non habet, hic non eſt eius: I-deoq́ue charitas, qua Deum præcipimur diligere, in tali dilectione vti ſupra quoque diximus, poſita debet intelligi, qua in ſpiritu filialiter & vt membra Chriſti ſummum illud bonum quod Deus eſt in vnitate corporis Chriſti ſuper omnia diligimus, quæ dilectio antonomaticè charitas dicitur, cum nomen alioqui generalius eſt, de qua Ioannes: videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. & iterum: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in illo. *1. Ioan. 3. & 4.*

De ſecundo articulo.

SECVNDVS articulus eſt an Charitas ſimul cum reatu damnationis in homine reperiri queat, de quo Diuus Bernardus ad Lugdunenſes ſub nomine ſpiritus hæſitare videtur. Cæterum quando benè perpenduntur, quæ ſuperiori articulo allata ſunt, clariſsimum euadit, charitatem, quę propriè charitas eſt, non poſſe ſimul cum eiuſmodi reatu conſiſtere: præſupponit enim hæc charitas iam filios eſſe & amicos qui charitate velut quadam filiali amicitia Deum amicum diligunt. Atque proinde neceſſe eſt iam reconciliatos eſſe qui charitatem habent. Eſt enim amor vt diximus filialis, quod ſi filij, ait Apoſtolus, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes aũt Chriſti. Idem ex dignitate ſpiritus inhabitantis certiſsimũ eſt, qui cũ ſit pignus hæreditatis noſtræ, fieri nó poteſt *Bernard. epiſt. 4.* *Rom. 8.* *Galat. 3. & 4.* *Ephеſ. 1.* *2. Cor. 1.*

vt habitet in corpore ſubdito reatui damnationis. vnde B. Auguſtinus: fatendum eſt, ait, vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiã, ſed non vbique per inhabitationis gratiam: propter hãc enim inhabitationem (vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoſcitur) non dicimus pater noſter qui es vbique, cum hoc verum ſit, ſed pater noſter qui es in cœlis, vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus, & in quantum ſumus, in tantum ad eius ſocietatem, & adoptionis familiam pertinemus. Et rurſus in eis tantum habitat quos efficit beatiſsimum templum vel beatiſsima templa ſua, eruẽs eos de poteſtate tenebrarum, & transferens in regnum filij Charitatis ſuæ, quod incipit à regeneratione. Et paulo poſt: Deus igitur vbique præſens, nec vbique habitans, ſed in templo ſuo cui per gratiam benignus eſt & propitius, porro charitas ſola donum eſt, cuius ratione ſpiritus ſanctus in nobis velut tẽplis ſuis habitat, ſpiritus enim, ait B. Auguſtinus, non propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem per quam nos tota inhabitat Trinitas. vnde ſubijcit: nullum eſt iſto dono Dei excellentius, ſolum eſt quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Pulcherrimus quoque locus eſt de fide & ſymbolo: non reconciliamur, ait Deo, niſi per dilectionem qua etiam filij Dei appellamur. vnde clariſsimè Ioannes Apoſtolus; nos ſcimus quoniam trãslati ſumus de morte ad vitam,

Auguſt. epiſt. 27.

B. Augu. lib. 15. de Trinitat. cap. 18.

De fide & ſymb. cap. 9.

1. *Ioan* 3.

non

quoniam diligimus fratres. Et poſtea: timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. hæc enim vera illa eſt ſa- *Sapien. 7* piētia, de qua Salomon: Sapientia in animas ſanctas ſe transfert & amicos Dei conſtituit, & in prouerbijs; Ego diligentes me diligo. *Prou. 8.* Rurſus Apoſtolus, qui diligit Deum, hic co- *1. Cor. 8.* gnitus eſt ab eo. Nihil igitur hic de morte vel reatu damnationis ſuſpicari licet, vbi in amicitiam Dei recepti & Deo recōciliati ſu- *B. Augu.* mus. Quamobrem rectiſsimè B. Auguſtinus *de ſpirit.* charitatem dicit arram eſſe gratuiti mune- *& litera* ris: Nos dicimus, inquiens, humanam volun- *cap. 3.* tatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt accipiat ſpiritum ſanctum, quo fiat in animo eius delectatio dilectioq; ſummi illius atq; incōmutabilis boni, quod Deus eſt, vt hac ſibi velut arra data gratuiti muneris inardeſcat inhærere creatori atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei benè ſit, à quo habet vt ſit. Et quis loca commemorabit quibus apud B. Auguſtinum ſimul cum remiſsione peccatorum charitatem diuinitus impartiri declaratur: Vides, inquit, quid dederit qui gratis dedit, data eſt venia peccato- *B. Augu.* ri, datus eſt ſpiritus iuſtificationis, data eſt *in Pſalm.* charitas & dilectio in qua omnia bona fa- *14[illegible] ad* cias, & ſuper hęc dabit vitam æternam, & ſo- *verſic mi* cietatem Angelorum. Et alibi ordine com- *ſericors et* memorans quæ Prophetę de Chriſto futura *miſera-* prædixerant: Hæc erant, inquit, Chriſtus in *tor Domi* carne venturus atque in eius nomine imple- *nus.*

ta pœnitentia hominum, & ad Deum conuerſio voluntatum; remiſsio peccatorum, gratia iuſtitiæ, quæ apud Auguſtinum charitas eſt. Apertius verò epiſt. 105. Deinde poſt remiſsionem peccatorum, inquit, niſi mūdatam domum habitet Spirituſſanctus, nonne cum alijs ſeptem redit ſpiritus immūdus, & erūt nouiſsima hominis illius peiora quam prima? vt autem habitet Spirituſſanctus, nōne vbi vult ſpirat, & charitas Dei, ſine qua nemo benè viuit, diffunditur in cordibus noſtris, non à nobis ſed per Spiritumſanctū qui datus eſt nobis: Et ſermone 61. de verbis Domini: Spirituſſanctus gratia dicitur, quia gratis datur, quia nō quaſi merces redditur poſt diſcuſsionem meritorum, ſed donum datur poſt delictorum veniam, quibus abundè teſtatū facit B. Auguſt. ꝙ nobis quando peccata remittūtur, ſingulare quoddam donum charitatis infunditur, quo debitè Deum diligere, iuſtè viuere, & mandata Dei ſicut oportet cuſtodire valeamus. Quo pertinet etiam quod habet alibi, fidem impetrare ſpiritum ſanctum, quo diffunditur charitas, quodque Deus dat charitatem filijs ſuis, quoniam ſpiritualem illam natiuitatem qua in filios adoptamur, charitas velut propria paſsio diuinæ gratiæ concomitatur. De qua pulcherrimè vir ſanctus contra Creſconium diſſerit, quod eſt fons proprius eorum qui digni ſunt vita æterna. Hæc itaque charitas nunquam cum reatu damnationis reperitur, vtpote quæ ipſa gratia eſt noui teſtamenti & vera

Augu. de ciuit. Dei lib. 10. ca. Vltim.

Auguſt. epiſt. 105.

Augu. in Pſal. 118. conci. 22. de corre. & gratia cap. 5.

Aug. li. 2. cont. Creſconium grammaticum ca. 14. & 15.

vera Chriſtiana libertas, qua (ſicut ante dictum eſt) non ancillæ ſed filij ſumus liberæ, quæ iugo & reatu peccati non amplius premitur. De qua Paulus, finis præcepti charitas de corde eſt puro conſcientia bona & fide non ficta. Quomodo enim poteſt cor purum concipi quod adhuc ſordibus peccati ſubiectum eſt, & eius reatu tenetur obnoxium? De qua etiam Dionyſius quod charitas eſt diuini in nobis ſtatus, quæ verbis exprimi non poteſt, affectio, quæ ſignificata eſt per ſtolam, quam pater redeunti prodigo ſimul cum peccatorum remiſsione reddidit. Quapropter rectiſsimè patres Concilij Tridentini in iuſtificatione tradunt ſimul cum peccatorũ remiſsione donari charitate: iuſtificamur enim dum, ſicut aiũt, ſanctiſsimæ Chriſti paſsionis merito per ſpiritumſanctum charitas diffunditur in cordibus, nam fides niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque viuit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit. Quamuis igitur in pœnitentia, quæ iuſtificationem & reconciliationem præcedit, ſemper nonnulla dilectio iuſtitiæ & amor Dei coniungitur (nam quomodo poteſt capax eſſe iuſtitiæ & amicitiæ Dei, qui nullo modo diligit iuſtitiam vel Deum,) plurimum tamen vera charitas ab iſta præcedente dilectione, ſicut ex primo patet articulo, ſecernitur: Nam ſine generali amore neque pœnitentia, neque ſpes (quæ pœnitenti neceſſaria eſt) concipi poteſt, qui enim

1. Tim. 1.

B. Dionyſius de baptiſ. ca. 1.

Lucæ 1.

Concilũ Trident. ſeſſ. 6. c. 7

B. Augu. lib. 2 de pec. mer. cap. 18.

Augu. in Enchiri. cap. 8. nim dolet de peccato, debet contrarium amare iuſtitiam, & nemo ſperat aliquid quod non diligit. Cæterum charitas perfectus amor eſt, quo tenetur & diligitur amicus vtpote filialis in Deum dilectio, & in Chriſtum caput ſuum velut membri ſpiritalis affectio, quæ per ſacramenta vel ex eorum voto ſolet impetrari, quibus conſideratis non difficilis eſt conciliatio locorum, quæ in ſcripturis & patribus contraria videntur: Nam diſtinctio amoris & dilectionis differentia totam difficultatem & obſcuritatem, vti mox videbimus, adimit. Patet etiam ad veteres quæſtiones reſpõſio quæ de ſacramentis Baptiſ. & pœnitent. moueri ſolent; verũ adultis per hæc ſacramenta, quando reipſa & actu percipiuntur, culpa peccati remittatur. & peccator verè per ea viuificetur & iuſtificetur, an verò hæc ſemper ex voto ſacramentorũ propter dilectionem quæ pœnitentiæ iungitur, actualem ſacramentorum perceptionẽ præcedat. quia enim vera charitatis natura à generali dilectionis modo non diſtinguebatur, natæ ſunt cõtrouerſię quibus nonulli doctores miris hic modis implicantur: cum enim Apoſt. virtutes theologicas enumerãs, fidem, ſpem, charitatem hanc tertio loco præcedentibus maiorẽ pronunciat, palam eſt aliam charitatem ſcripturis commendari quam vulgarẽ amorem, cuiuſmodi etiã ſpem præcedit & ſine quo ſpes eſſe non poteſt. Quod verò quidam exiſtimant ſtatim ad votũ & deſiderium ſacramen-

De ſacramẽtis an per ea culpa remittatur.

1. Cor. 13.

ti pec-

ti peccata remitti, B. Gregor. Nazianzenus ænigmati ſimile pronunciat in hæc verba; Nonne miſericors (inquis) Deus eſt, quin & hominum mentes nouit, ac voluntatem probat, ac pro baptiſmate deſiderium accipit baptizandi; ænigmati rem dicis ſimilem, quod ille qui lumine caret, Deo propter miſericordiam illuminatus cenſeatur. Rurſus autem quod nunquam ſine actuali ſacramentorum ſuſceptione peccatum remittatur niſi in mortis articulo vel caſu martyrij, nimis durum & rigidum videtur: Nam qui iuxta Prophetam toto corde ad Dominum ſe conuertunt & in tota tribulatione animæ ſuæ ad eum confugiunt, ſæpè remiſsionem & charitatem quæ eſt amicitia Dei, conſequuntur, priuſquam reipſa ſacramentum percipiant, ſi videlicet in itinere vel veſpertino tempore, quando non adeſt copia ſacerdotis compunguntur, vel ad feſtum aliquod vel peritioris ſacerdotis præſentiam, vel etiam ex obedientia & mandato ſuperioris, vel ſimili pia & honeſta cauſa quã approbet ipſa dilectio, realis ſacramenti perceptio differtur. His caſibus (inquam) fieri poteſt, & ſæpè fit, quod peccatorum remiſsionem & charitatem antè ſacramenta recipiunt, non quia certum eſt quod his caſibus ſtatim ad quoduis ſacramenti votum remiſſa donetur, ſed quoniã certum eſt, quod ante realem ſacramenti perceptionẽ caſibus iſtis impetrari poteſt. Cum quæſieris Dominum Deum tuum, ait Moyſes, inuenies eum,

D. Greg. de S. Lauacro.

Ioelis 2. Deut. 5.

Deut. 4

ſi tamen toto corde quæſieris & tota tribula
Eſa. 30. tione animæ tuæ, & Eſaias iuxta 70. inter-
pretes: Si ingemueris, tunc ſaluus eris, & in
pſalmis ſacrificium Deo ſpiritus contribu-
latus, cor contritum & humiliatum Deus
Pſal. 50. non deſpicies. Et alibi: ego dixi confitebor
& 31. aduerſum me iniuſtitiam meam domino, &
Ezec. 33. tu remiſiſti impietatem peccati mei. rurſus
alius Propheta, impietas impij non nocebit
ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab im-
Libr. de pietate ſua; Ex quibus locis ſimul coniun-
vera & ctis collecta videtur ſententia veterum ore
falſ. pœni frequentata, in quacumq; hora ingemuerit
tent. c. 17. peccator, omnium iniquitatum eius nõ me-
morabor; quæ ſententiæ diligenter excutiẽ-
dæ ſunt, & quid ex eis ſtatui queat cõſideran
dum. Nam id proculdubio primum ex eis
colligitur, quod nunquam ſera eſt, modo ve
ra ſit pœnitentia, quodq; verè pœnitentibus
& contritis certò promiſſa & parata eſt pec-
catorum remiſsio, quam vel per ſacramenta
vel ex voto ſacramentorum certiſsimè per-
cipient. quemadmodum percleganter tra-
dit B. Cyprianus his verbis. Cum iam ani-
B. Cypria. ma feſtinat ad exitum & egrediens ad labia
de cœna expirantis emerſit pœnitentiam clementiſ-
domini. ſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſe-
rum eſt quod verum, nec irremiſsibile quod
voluntarium, & quæcumq; neceſsitas cogat
ad pœnitudinem, nec quantitas criminis,
nec breuitas temporis, nec horæ extremitas,
nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pu-
ra fuerit voluptatum mutatio, excludit à
venia,

venia, ſed amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes, & velit nolit. Nouatus hæreticus omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Deinde ſatis etiam certo id dictis ſcripturæ ſententijs indicatur, quod etiam ſine reali & actuali ſacramentorum ſuſceptione, per ſolam pœnitentiam ex voto ſacramenti peccata remittuntur, tum quia ſinceræ cordis pœnitentię ſcriptura ſimpliciter & abſolutè reconciliationem pollicetur, quod non ita conuenienter fieret, ſi ſemper ex alieno arbitrio in cuius eſt poteſtate ſacramentorũ adminiſtratio pax & ſalus hominis dependeret, tum etiam quoniam apertè Propheta teſtatur, quod ad votum illi peccata dimiſſa ſint. dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtiam meam & tu remiſiſti impietatem peccati mei: vbi Beatus Auguſtinus & Gregorius: Attendite fratres, magna res, dixi pronunciabo, non dixi pronunciaui, & tu dimiſiſti, dixi pronũciabo & tu dimiſiſti, quia eo ipſo quod dixi, pronunciabo, oſtendit quia nondum pronũciauerat, vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei iam in corde erat.. Attende quanta ſit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta miſericordiæ Dei commendatio vt confitẽtis deſiderium, comitetur venia, antequam ad cruciatum perueniat pœnitentia, antè remiſsio ad cor perueniat, quam confeſsio in vocem erumpat, & ſimiliter Beatus Ambroſius in oratione quam funebrem habuit de Valentiniano. Audiui, ait, vos dolere, quod non

Pſal. 31.

B. Augu.

B. Grego.

B. Ambr.

non acceperit ſacramenta Baptiſmatis; dicite mihi quid aliud in nobis eſt niſi voluntas? niſi petitio? atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam veniſſet initiaretur, & proximè baptizari ſe à me velle ſignificauit, non habet ergo gratiam quam deſiderauit? non habet quam popoſcit? & quia popoſcit accepit, & vbi illud eſt: iuſtus
Sap. 4. quacumque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit: & virtutes eius commemorans non metuebat (inquit) hominibus diſplicere in Chriſto, qui habuit ſpiritum tuum quomodo non accepit gratiam tuam? Cæterum ex his & prædictis ſcripturæ locis, non ſequitur, vti dictum eſt, quod ſtatim & ſemper ilico ad votum verè pœnitentis remiſsio comitetur, quia filius prodigus & Maria Magdalena, licet cum magno deſiderio & voto Chriſtum & patrem acceſſerint, non tamen antea credendum eſt eos veniam percepiſſe, quam Chriſtus diceret, dimittuntur ei peccata, & priuſquam pater prodigo ſtolam primum reddi iuberet, neque enim vel ſacrificia in veteri lege, vel ſacramenta nouæ legis fruſtra ſunt omnibus
Leuit. 4. vere pœnitentibus in remiſsionem peccatorum inſtituta, rogabit, inquit ſcriptura, pro eo ſacerdos & pro peccato eius & dimittetur ei, & ijs qui compuncti vere pœnitebant
Actuū. 2. dixit Petrus: baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum. ideoq; e Ezechiel propheta quod dicit: Impietas impij non nocebit ei

bit ei quacumq; die conuerſus fuerit ab impietate ſua, hunc ſenſũ videtur habere, quod is qui ſincerè conuerſus eſt paratam habet omni tempore remiſsionem, vt etiam ſi eodẽ momento ſacramenta in hunc vſum inſtituta percipiat, vel neceſsitate ab illis præpediatur, certiſsime veniam ſit habiturus, vt his & ſimilibus ſcripturis vera præparatio ſignificetur qua homo veniam conſequetur, quam Deus in ſacramẽtis ex fide filij ſui propoſuit, ſed hæc alio propriè pertinent; noſtro propoſito ſufficit quod non quælibet dilectio, quam pœnitentes ante ſacramenta in ſe percipiũt vera eſt illa charitas quæ filialẽ cum Deo facit amicitiam, & reconciliationem ſibi neceſſario coniunctam habet, cuius etiam perſpicuum fuit exemplum in Auguſtin. qui priuſquã baptizaretur non vulgari diuinæ dilectionis ardebat amore, cui tamẽ per inuſitatum dentium dolorem diuinitus inſinuatum fuit, ne de præteritis peccatis ſecurus eſſet, quæ per baptiſmum ei remiſſa nondũ erant, imo palam teſtatur alibi, quoſdam etiam in extrema neceſsitate ſacramenta flagitantes (quod ſine amore fieri non poteſt) cum alijs qui ſacramenta perceperint in regno cœlorum non futuros, quantus, inquit, ſolet tũc vtriuſq; ſexus & cuiuſq; ætatis fieri in eccleſia concurſus, alijs baptiſmũ flagitantibus, alijs reconciliationem, vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati, quantus eſt etiam luctus fidelium

B. Augu. li. 9. confeſſ. ca 4.

Epi. 180.

delium ſuorum qui eos ſecum in vitę ætern.ę requie non habebunt, id quod inde accidit; vel quoniam imperfecta pœnitentia decedunt, quæ ſolet attritio vocari & ſine ſacramento per ſe ad iuſtificationem nō ſufficit, vel quia non plenam ex conuerſione ſua remiſsionem ſunt conſecuti, verum ſiue quis pleno corde conteratur, ſiue imperfecta hac pœnitudine ex turpidine peccati vel gehennæ & metu pœnarū atteratur, non ſtatim ex ſolo voto nitorem gratiæ & filialem charitatem, quæ veſtis eſt nuptialis & ſtola filiorum, ſemper cōſequitur, ſed, vt dictum eſt, poteſt eam, quando rationabili de cauſa ſacramēta differuntur, impetrare, Deo voluntatem ſecundum eius fidem & deuotionem ac pœnitentiam pro opere benigniter recipiente. verum non exiguus ſcrupulus hic naſcitur de *Actuū 10 1. ſcrupul.* Cornelio Cēturione qui ſpiritum ſanctum accepit priuſquam eccleſiæ per baptiſmum incorporaretur: An videlicet adhuc peccatorum ſuorum fuerit reus, nam D. Irineus *Irineus lib. 3. pa. 247.* manifeſte tradit eum baptizatum eſſe in remiſsionē peccatorum, & B. Auguſt. quandocūq; ait, catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portat, non illi dimittitur niſi cum venerit ad baptiſmū, & alibi: *Aug. tractat. 4 11. & 13. in Ioannem li. 4. cont. Donatiſt. cap. 21.* ſicut bono catechumeno baptiſmus deeſt ad capeſcendum regnum cœlorum, ſic malo baptizato bona conuerſatio, nam ne ſecura eſſet catechumenorum iuſtitia dictum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto non poteſt introire in regnum cęlorum,

& de

& de pœnitentia loquens ter ſanctus Leo, ſic ait diuinæ bonitatis eſſe præſidia conſtituta, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri, quibus reſpondendum, Cornelium Centurionem per ſpiritum ſanctum indubitanter peccatorum remiſsionem accepiſſe, in hoc enim, ait Ioannes, cognoſcimus quia in Deo manemus & Deus in nobis, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis, quia enim ſpiritus, vt ſupra dictũ eſt, pignus eſt hæreditatis, fieri non poteſt vt ſimul cũ reatu dãnationis in homine cõmoretur, dicitur tamen nõ malè in remiſsionẽ peccatorum baptizatus, vel quia in ſignum remiſſionis baptizatus eſt, vel quoniam in plenam ratam & perfectam remiſsionem ablutus eſt, ſicut enim Chriſto de Magdalena dicente remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, tunc verè peccata ei remittebantur, poſtea tamen in ſignum & robur iſtius iterum dixerit remittuntur tibi peccata. Deinde non eſt neceſſe omnem temporalem pœnam peccatis debitam præſente ſpiritu ſtatim perfectè dimitti, vnde pro ijs qui in adulta ætate cum vera fide ſine tamen vero ſacramento decedunt, volunt ſancti pontifices diligenter orari, addidi quoque de rata & perfecta remiſsione, quoniam ſine ſacramentis quæ ex voto eorũ accipitur remiſsio vera quidẽ eſt, ſed nõ tam rata & firma quin ſi mutato ꝓpoſito ſacramentũ homo negligeret, totũ iniquitatis põdus velut pacto ſeu fœdere ex parte hominis violato relabere-

D. Leo epiſt. 91.

1. Ioan. 4.

De preſbytero nõ baptizato cap. Apoſt.

relaberetur, quia nõ niſi ſub modo & formâ voti homini videlicet ſacramentũ vehemẽter deſideranti, velut ex quodam pacto quia facturus eſt, quod proponit, crimen remittitur, quando vero ſacramentum re ipſa accedit, remiſsio perficitur, vt nunquam irritari queat. Porro D. Auguſtinus & S. Leo ſententijs allegatis contra eos agunt qui ſacramenta ſtudioſè negligunt & velut ſibi non ne-

1. Reg. 16. ceſſaria prætereunt, nam virtus ſacramento-
D. Thom. rum ſemper pęnitenti neceſſaria eſt, ſed hoc
quodl. 4 habet diuinæ miſerationis clementia, quod
artic. 10. ſacramenta quæ inſtrumenta ſunt ſuæ miſericordiæ operantur aliquando, etiam ſi voto tantum ſuſcepta fuerint, homines enim vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. Cæterum hæc vti diximus alio pertinẽt,

2. ſcrupu. maior ſcrupulus eſt qui proprius etiam propoſito conuenit, qui naſcitur de duobus mãdatis in quibus Dominus aſſerit legem pendere & prophetas, Diliges, ait, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt maximũ

Matth. 23 & primum mandatum, ſecundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut teipſum, in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. hic quæritur; an alia commendetur in ſcripturis charitas quã quæ mandatis iſtis dilectio præcipitur, eiuſ-

Augu. de modi dilectio finis præcepti à Chriſto decla-
doctrina ratur, ſicut idipſum de charitate teſtatur A-
Chriſt. li. poſtolus: Similiter & patres charitatem ni-
3. cap. 10. hil aliud eſſe volunt, quam animi motum

ad

ad fruendũ Deo propter ſeipſum, & proximo propter Deum, qualis eſt quæ mandatis iſtis deſcribitur: ſed eiuſmodi dilectio ſæpè in catechumenis & pœnitentibus poteſt ante reconciliationem inueniri, imò videtur prę-requiri, qui autem amat patrem aut matrem plusquam me, ait Dominus, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus, & qui non renunciat omnibus quæ poſsidet non poteſt meus eſſe diſcipulus, denique Eunucho dixit Philippus, ſi credis ex toto corde baptizari licet, quare nõ videtur ſtatui debere charitatẽ aliq̃, quæ propria ſit filiorũ Dei, ſed generatim in ſcripturis tantummodo commendari dilectionem qua Deus ſuper omnia diligitur, quæ licet in ſacramentis ſemper ſibi paratam habeat peccatorum remiſsionem, fieri tamen poteſt vt quãdo ſine magna cauſa ſacramẽta differuntur, ſimul cũ reatu dãnationis inueniatur. Ad hæc paucis reſpondendũ videtur, quod Dominus in his duobus mandatis, ſicut & ſæpius in alijs præſupponit, ſtatum illum quo homo in Deo & Chriſto viuit, & quo nunc Dominus eſt ipſi in Deum & ipſe Domino in filium. Diliges, inquit, Dominũ Deum tuum, non eſt enim Deus mortuorum ſed viuentium, vnde catechumenis & ijs qui iam accedunt ad Deum, primum mandatum datur vt renaſcãtur, vel per pœnitentiam reconcilientur, ac deinde præcepta adijciũtur quibus in via Domini nunc ambulent, & ad vitam tendant æternam, quem ſtatum Chri- *Matt.* 10. *Luc.* 14. *Actuũ* 8.

ſtus etiam præſupponebat, quando dixit adô-
Matt. 19. leſcenti: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua man-
& 10. data, & alibi, quicumq; potum dederit vni
ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tan-
tum in nomine diſcipuli, amen dico vobis
non perdet mercedem ſuam. Similiter quan
do pro operibus miſericordiæ iuſtos in iu-
dicio regno cœlorum remunerat, & ſeruis
bonis reddit ſecundum opera ſua; finis itaq;
præcepti eſt dilectio, ſed qua filialiter ex to-
to corde diligitur Deus, ſicut & obſeruatio
mandatorum ſola eſt quæ coram Deo valet,
qua corde & ſpiritu filiali ſanctiſsima eius
mandata præſtantur. Deſcriptio autem Au-
guſtini vel generalis eſt prout charitas cum
amore generatim confunditur, vel etiam ſta
tum eiuſmodi præſupponit.

DE TERTIO
articulo.

APVD Theologos quaſi principium & hypotheſis, id eſt, certa propoſitio quã fundamenti loco ſupponunt, reputatur, quod an Charitatem habeat communiter hic certo nemo nouit, quemadmodum & Sapiens videtur adſtruere: neſcit homo, inquiens, vtrum amore, an odio dignus ſit. Cæ-
Eccleſ. 9. terum quia ſinceram in nobis poſſumus Dei ac proximi dilectionem experiri, merito de iſtius hypotheſis intelligentia dubitatur, & quid ſit obſcurum in charitate vnde trepi-
1. *Ioan.* 3. dare debeat homo quæritur, maximè cum Io
annes

annes apertè dicat, nos ſcimus quoniã tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et Diuinus Leo; qui experiri cupit an in ipſo, inquit, Deus habitet, ipſam matrem virtutum omnium charitatem in ſecretis ſuæ mentis inquirat, & ſi in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intente ceperit experiri, ita vt etiam inimicis ſuis eadem velit tribui quæ ſibi optat impendi. Quiſquis eſt huiuſmodi, Deum & rectorem & habitatorẽ ſui eſſe non dubitet. Similiter & Auguſtinus, hoc ipſum, ait qui de ſpiritu ſuo dedit tibi, vnde cognoſcis, interroga viſcera tua ſi plena ſunt charitate, habes Spiritum Dei, Paulum interroga Apoſtolum, quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Rurſus è diuerſo nonnulli ſcholaſtici tam abſconditam & retruſam faciunt charitatis naturam, vt à nemine vel probabiliter hic deprehendi poſſe videatur, quia quemcunq;, inquiunt, feruorem, quamcunq; dulcedinem & promptitudinem erga Deum & proximum experitur in ſe qui verè charitatem habet, eandem poteſt etiam hæreticus & Iudæus aliquis, & homo qui per ignorantiam peccato mortali ſubiectus eſt, ſicut Saulus & ſimiles experiri, tum etiam vti dicunt propter ſimilitudinem actuum quos ex acquiſito dilectionis habitu nos habere poſſe diſſerunt. Alij tam multa & ardua in charitate requirunt, vt vix poſſibilis vera charitatis aſſecutio videatur:

D Leo ſ. de Epiphania.

B. Augu. tract. 5 in Ioãnem.

cum enim D.Bernard. ad purum & ſyncerũ Dei amorem non amplius exigat, quam vt Deus diligatur propter ſe ; & fœlicem omnino pronunciet, qui meruit ad eum vſque gradum pertingere, quatenus nec ſeipſum diligat homo niſi propter Deum, hi non ſolum gradum iſtum exigunt, ſed etiam vt omnium affectuum finis & regula Deus habeatur, atque eam quoq; cordis reſignationem & ꝓmtitudinem poſtulant, vt nec vitã æternã, niſi ꝓpter voluntatem Dei diligat, eandẽ paratus, propter Deũ perdere, atq; gehennã vel perpetuã annihilationẽ ſubire, quæ ſanè imaginationes nimiũ mihi inhumanæ, Stoicæ ſcrupuloſæ, periculoſæ & arbitrariæ videntur, neque vſpiam ſcripturis ſacris vel antiquis patribus probatę leguntur: etenim neque ſacra concilia acquiſitum amoris habitum qui non ſit ex Deo videntur agnoſcere, neque amplius (quod ad quantitatem amoris attinet) ſcriptura poſtulat, quam vt iuxta mandatum Dominus Deus toto corde diligatur, cuius ſenſus non alius eſt, quam vt gratia & amicitia Dei rebus omnibus pręferatur, eius bonitas ſuper omnia æſtimetur & ipſe vt ſummum bonum non poſita menſura vel termino amoris diligatur: quid igitur in charitate latet obſcurũ propter quod non certo & euidenter in nobis ea cognoſci queat? Cęterum quia charitas eſt eximia quędam hominis amicitia cum Deo; hoc primũ in nobis propter ignorantiam vel inconſiderantiam & occultum cordis cæcitatem ſimul &

Bernar. de diligẽdo Deo.
Adrian. quodli. 7.
Concil. Arauſic.
B. Augu. de morib. eccleſiæ.

ſimul & propter latentem amorem ſui ſæpè abſconditum eſt; an amici ſumus Dei: cum enim amicitia ſit amor mutuus, qui in amico correſpondentem habet amorem ſibi non incognitum, palam eſt probabilem requiri cognitionem atque fiduciam, qua Deũ nobis propitium eſſe ſperemus, quemadmodum in filijs probabilis quædam ſcientia exigitur qua parentes nouerint vt debito eos honore & amore proſequantur. quam equidem notitiam profunditas humani cordis quo Deus maior eſt obſcuram, & non ſic euidentem facit, deinde non quælibet Dei dilectio, vti dictũ eſt, charitatẽ efficit, vnde illud etiã in diuino hoc amore non eſt manifeſtũ quid illud ſit, ꝙ ex ſancto illo diuinæ bonitatis in nobis conſortio charitas proprium habeat, vnde velut ex Deificata in nobis natura quaſi diuinus vapor procedit, & quædã deifica connaturalitas, quæ bono diuino ſicut in ſe eſt, quadam proportione correſpõdet, quam ſanè diuinam qualitatem licet ſperare & aliquo vſque ſentire, non tamen euidẽter in nobis videre vel experiri poſsimus: quamuis enim amorem etiam ſincerum ſatis euidenter ſentire poſsimus, quia tamen diuinus iſte amor quo ad ſubſtantiam & feruorem poteſt alteri ſimilis eſſe, quem ijs modis quos antea diximus homo ſine gratificãte gratia habere poteſt, fit vt non euidenter proprium diuini amoris characterem, quem ex inhabitãte ſpiritu habet, percipere licet, tum quia ſicut bonitas Dei ſicut in ſe eſt, no-

bis non euidenter, ſed ex fide in enigmate cognita eſt, tum quia modus quo diuinus ſpiritus nos inhabitat, incomprehenſibilis eſt, vt optimè à Propheta dictum ſit: ſi venerit ad me non videbo eum, ſi abierit nó intelligam. Ideoque quod non ignotæ eruditionis vir de gratia gratificanté ſcriptum reliquit, vt idipſum de charitate quę eiuſdem valoris eſt intelligi debet, ſicut gloriam, inquiens, oculus non vidit, nec in cor hominis præmium aſcendit, quod Deus præparauit diligentibus ſe: ita nec in cor hominis aſcendit decor & virtus gratiæ vel charitatis quæ futuræ gloriæ ſemen eſt, eſt enim amor iſte diuinus ac Deificus, qui nos pro creaturarum modulo ſecundum imaginem, ad quam nos creauit Deus, ſimiles facit patri noſtro Deo, vt ſicut ipſe eſt, eius bonitatis participatione & nos ſimus in hoc mundo, ſic in Deum & ea quæ Dei ſunt affecti, vt ij qui vero & proprio Dei ſpiritu induti ſunt. Hoc itaque donum cum propria ſua qualitate nobis euidens eſſe non queat, ſit tamen non per ſacramenta vel ex ardenti eorum voto, ſicut ſupra expoſitum eſt, quod ſancta & firma fiducia id nos accepiſſe nobis non temere cum gratiarum actione perſuadere poſſimus, ſimul & veſtigia quædam odoris & ſuauitatis eius guſtare, vt quiddam amplius quam humanum in ea eſſe facilè homo iuſtus diſcernere queat, quapropter Beatus Auguſtinus ex duobus vult nos de hoc munere certiores fieri, ex ſacramentis ſcilicet,

Iob. 9.

Gabriel Bie diſt. 27 lib. 2. ſentent.

cet,

ceu, & interno dilectionis affectu, quando videlicet renati vel reconciliati ſynceram in nobis Dei & proximi dilectionem experimur, ſi vis, inquit, noſſe quia accepiſti ſpiritum ſanctum interroga cor tuum, ne fortè cum ſacramentum habeas, virtutem ſacramenti non habeas, interroga cor tuum, ſi eſt ibi dilectio fratris, ſecurus eſto. ſimiliter & alio tractatu: intendat charitas veſtra, videte quid dicã, ecce accepit ſacramentũ natiuitatis homo baptizatus, ſacramẽtũ habet & magnum ſacramẽtum, diuinum, ſanctum, ineffabile, conſidera quale vt nouum hominem faciat remiſsione peccatorum, attẽdat tamen in cor, ſi perfectum eſt ibi quod factum eſt in corpore, videat ſi habeat charitatem, tunc dicat, natus ſum ex Deo. Quibus luculenter inſtruimur, quod ex his duobus cognoſcimus nos eſſe filios Dei, ſi videlicet poſt ſacramentum vel ardens eius votum, etiam dilectionem quæ ſacramento perficitur, in nobis experiamur: poteſt enim ſacramentum non ſyncero ſed ficto corde ſuſcipi, poteſt etiam quædam haberi dilectio, quæ, ſicut ante dictum eſt, non eſt charitas, ſed quam poſt ſacramentum in nobis ſynceram Dei & proximi dilectionem conſideramus, de hac non debet eſſe ſcrupulus quin vera charitas æſtimari debeat, cordis enim poſt acceptum ſacramentum integritas, ſignum & argumentum eſt efficax, quod ſacramentum non fictè percepimus, atque adeo gratiam quæ ſacra-

Auguſt. tract. 6. in epiſt. Ioannis tracta. 5.

menti effectus eſt, in Chriſto conſecuti ſumus. Quemadmodum enim in formatione fœtus humani prius quidē conceptus fœtus viuit ac vegetatur quā ſentit,& antea ſentit, quam ſpiritum rationalem accipiat, hoc tamen ſpiritu præſente iam vna & eadem anima fœtum viuificat, ſenſum & vim rationalem ei præbet, omneſque vitæ operationes & motus ex hoc vno viuificante &animante ſpiritu procedunt,ſic in ſpiritualis hominis formatione res habet: fiunt enim in catechumenis & pœnitentibus inchoationes quædā fidei,conceptionibus ſimiles, quibus pœnitētes iuſtitiam ac nouū hominem velut parturiunt, ſed vbi per ſpiritum inhabitantem nouus homo formam ac naturam ſuam acceperit, iam omnes ſynceræ & piæ affectiones ex eadem ipſa vnica forma & diuinitus accepta natura procedunt, omniaq; pia & bona opera, quæ homo renatus vel reconciliatus ex fide piè præſtat,nō aliunde quàm ex inhabitante ſpiritu procedere cenſenda ſunt,nimiumq́;ſcrupuloſę ſunt imaginationes propter quas nōnulli de his ambigunt,an ex acquiſito aliquo habitu vel infuſo gratiæ dono procedant, cum nemo poteſt dicere Dn̄s Ieſus, id eſt, bene in Chriſto operari, niſi in ſpiritu ſancto,& tollunt huiuſmodi phantaſiæ conſolationem qua iuſtos ſcriptura conſolatur,dicite iuſto quoniam benè,quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet: Et:bonus eſt Deus his qui recto ſunt corde: & ſimiles,quæ per confuſionem huiuſmodi

B. Aug. lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2.

Eſai. 3.

Pſalm. 27

pœnitus

pœnitus obſcurantur. Rectè itaq; ſtatuitur & ſanum hinc dogma colligitur, quod qui ſacramentis eſt initiatus & noui peccati mortalis ſibi non eſt conſcius, tanta poteſt probabilitate æſtimare ſe charitatem & gratiā habere, quantā in ſe videt vel experitur ſynceram Dei & proximi dilectionem, nec fluctuantium more debet ſcrupuloſè hæſitare vel diffidentia quadam ambigere, ſed bona fiducia & certa ſpe ſpiritum ſuum in domino cōſolari, & cum propheta Deo gratias agere ac dicere: cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum: accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi & remiſsionis peccatorum, non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſsio non ingrati: ſi enim dixeris tè ſanctum eſſe, ex te ſuperbus es: rurſus fidelis in Chriſto & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctū, ingratus es, nec aliud de ſtatus noſtri cognitione ſacris concilijs vel patribus improbatum eſt, quàm quod impij quidam præſumunt dicere nos certa fide cui nō poteſt ſubeſſe falſum de gratificāte gratia ſecuros eſſe, cum nullus iuxta ſacrum concilium ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe cōſecutum: dum enim ſeipſum ſuamq; propriam quilibet infirmitatem & indiſpoſitionē reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, atq; iſtud ipſum eſt quod habet Sapiens, neminē videlicet certo & euidēter cognoſcere (quæ vera eſt ſcientia) vtrum odio an amore dignus ſit. Ceterum probabiliter & bona fiducia poteſt

Pſal. 85.

Aug. eod.

Eccleſ. 9.

& debet in ſe Chriſtianus charitatem ac gratiam agnoſcere, qui bona, ſicut diximus, voluntate ſacramenta frequentat, & peccati mortalis ſibi nõ eſt conſcius: ſi cor noſtrum,
1. *Ioan.* 3. ait Ioannes, non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Et Paulus Apoſtolus: voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos quia
2. *Cor.* 13. Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis? Quicumque enim in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus: Nam
Galat. 3. quomodo ſtabimus & iuxta eiuſdem Apoſtoli teſtimonium, gloriabimur in ſpe gloriæ filiorum Dei, ſi ſtatum gratiæ in nobis nullo modo cognoſcimus. vnde & alibi te-
Rom. 5. ſtatur, quod ipſe ſpiritus teſtimonium red-
Rom. 8. dit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, non quia ſpiritus ſanctus aperta nobis id voce ſignificat, ſed quia ſacramenta quando bona voluntate ſuſcipimus, ſcimus quod etiam ſpiritum ſanctum in fide & nomine Chriſti recipimus, in quo clamamus Abba pater, quod nobis ſecundum veritatem in hora mortis dicere concedat benigniſsimus Deus, de quo ſcriptum eſt, Deus eſt charitas, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum.

DE IVSTI-

DE IVSTIFICATIONE TRACTATVS.

DE iuſtificatione cũ variç apud hęreticos quęſtiones exiſtãt & cõtrouerſiæ, ijs tñ nihil minus efficitur, quã vt iuſtificentur, id eſt, iuſti fiant. Licet enim apud eos frequens in ore & ſtilo de iuſtificatione ſermo verſetur, id interim diſputando cõficiunt, vt verã & quæ ſola Chriſtiana eſt, iuſtitiã non acquirãt: Dux Pruſsiæ aliquando eos de iuſtificatione cõſulens, & quatuordecim eorũ eccleſias quæ vera eſſet de iuſtificatione ſententia interrogans, tot ſententias accepiſſe dicitur, quot capita conſuluerat. Quoniã enim ab eccleſię receſſerũt vnitate, certã veritatis regulã non habẽt, ſed ſuo quiſq; ſenſu, vt pueri mouẽtur omni vento doctrinæ, prout ſpiritus diſſenſionis, qui foris regnat, eis ſuggerit. Nos interim Labyrinthũ iſtum ingredi nõ cupimus, vt ſingula cuiuſq; cõmenta diſcutiamus, quoniã infinita, & interminabilia ſunt: maximè cũ plurimi ex noſtris admodũ eruditè & fęliciter ea confutauerint, proinde tantũ laborem non eſſe neceſſariũ iudico, vnicam iuuante Deo, quæ facile perſpici poterit veritatẽ iuxta eccleſiæ Catholicę traditionẽ ꝓponere & breuiter explicare conabimur. quid videlicet iuxta ſacras ſcripturas ſit ipſa iuſtitia, & in quo vera eius ratio poſita ſit ęnodare ſtudebim⁹,

qua

qua velut luce ob oculos propoſita circunſtantes errores omnes quaſi tenebræ facilè diſparebunt & euaneſcent.

CAPVT I.

Quod iuſtitia eſt quædam animæ rectitudo ſeu bonitas qua ſeruantur mandata Dei.

QVicquid igitur fabulantur homines, non poteſt homo iuſtus reputari, qui legem Dei non cuſtodit. Filioli, ait di-
1. Ioan. 3. lectus Apoſtol. nemo vos ſeducat, qui facit iuſtitiam iuſtus eſt ſicut & ille iuſtus eſt: qui facit peccatum ex diabolo eſt. Et Apoſtolus
Rom. 2. Paulus: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur, id eſt, iuſti habebuntur ſeu deputabuntur. quia ſi quis auditor eſt verbi, ſicut Iacobus dicit
Iacob. 1. & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit, quaſi dicat vanus & otioſus ac inutilis eſt auditus, niſi ſequatur opus. qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Denique Deus ipſe, qui eſt Dominus & legifer noſter, qui ſolus iuſtificat & iuſtitiam coronat, iuſtum deſcribit
Ezec. 18. virum, qui eius mandata cuſtodit. Vir (inquit) ſi fecerit iudicium & iuſtitiam, in mótibus non comederit, oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſrahel & vxorem proximi

ximi ſui non violauerit,& ad mulierem mẽſtruatam non acceſſerit & hominem non cõtriſtauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit,panem ſuum eſurięti dederit,& nudum operuerit veſtimento, ad vſuram non commodauerit & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum ſuam, & iudicium verum fecerit inter virum & virũ,& in præceptis meis ambulauerit,& iudicia mea cuſtodierit vt faciat veritatẽ,hic iuſtus eſt: vita viuet,ait Dominus Deus. Qua equidẽ deſcriptione quæ ex officiorũ viri iuſti diuiſione ſumitur,nihil ſanè poteſt clariꝰ & euidentius proferri. Quicqd enim noui iſti doctores de legis & Euãgelij diſtinctione fabulãtur, ſcriptura mentiri nõ poteſt q̃ illũ duntaxat iuſtũ pronunciat, qui mãdata Dei cuſtodit ſicut & Euangelium teſtatur, Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Nam omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Iſtæ, inquam, ſententiæ vtcumq; ſe habeat legis & euangelij diſtinctio, falſæ eſſe non poſſunt, quibus apertè conuincitur iuſtitiam in obſeruatione mandatorum Dei poſitam eſſe. Quemadmodum ait Apoſtolus: Circunciſio nihil eſt, & ꝑputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorũ Dei: iuſtũ enim, ſicut ratio nominis exigit, dicemus, quod lege & regulæ ſuæ in ordine ad finem bene correſpondet, & tale eſt, quale iuxta finem & ordinem ſuum eſſe conuenit. Vnde Chriſtianam iuſtitiam æſtimare debemus, quæ hominem talem efficit, qualẽ pro

Matth. 3. 7. 19.

1. Cor. 7.

pro conſecutione regni cœlorum eum eſſe decet, vt videlicet homo corde & animo rectus & ordinationi Dei de regno cælorũ cõſequendo cõformis ſit. Sic enim iuſtus apud Ariſtotelẽ dicitur idem eſſe, qui legitimus & à lege non difformis. Scriptura autem de fine & ſummo hominis bono, quod in Deo, & in regno eius poſitum eſſe nouimus, quærens quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius interrogans, ſcimus quam apertè reſpondeat: innocẽs manibus (inquit) & mundo corde, qui nõ accepit in vanũ animã ſuam, nec iurauit in dolo

Pſal. 14. *&* 23 proximo ſuo. Et rurſus: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo? Qui ingreditur (inquit) ſine macula & operatur iuſtitiã, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolũ in ligua ſua &c. Et de beatitudine loquens eos duntaxat beatos pronunciat qui ambulãt in lege Dñi, Beatus (ait) vir qui non abijt in con ſilio impiorũ, & in via peccatorũ non ſtetit, & in cathedra peſtilentię nõ ſedit &c. Et iterum, Beatus vir qui timet Dñm in mandatis eius volet nimis; & beati oẽs qui timẽt dñm, qui ambulant in vijs eius. Ex quibus & infini

Pſal. 1. 11. 118. 127. tis alijs ſcripturis mandatorũ Dei cuſtodiam & timorẽ dñi ſimul & verã ſapientiã aliaſq; virtutes cõmendantibus Chriſti ac omnium ſanctorum exemplis facile licet intelligere, quã peruerſa nouorum iſtorũ doctorum eſt imaginatio, qua cõminiſcuntur, quod mãdata ſua non alio Deus conſilio proponit, quã

vt ex

vt ex ijs homo reatum damnationis ſuę intelligat, & quoniam ea ſeruare nõ poteſt, diſcat non ſuperbire, & ad vitam æternam non per mandatorum Dei cuſtodiam, ſed per ſolam eius in Chriſto miſericordiã peruenire. Qua doctrinæ peruerſitate rectas dñi vias obſtruunt, & per falſam diſperſionẽ per ſocordiam & impietatem à regno cœlorũ miſeros ſuos auditores abducũt, quibus proinde rectè dicitur: Ve vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorũ antè homines: vos enim nõ intratis, nec introeuntes ſinitis intrare: Sola enim via regni eſt, quã Rex ipſe demonſtrat, non ludicre vel iculariter, ſed ea grauitate quæ Sapientiã ac Maieſtatem eius decet, ſerio pronuncians: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Hæc enim perpetua ab exordio mundi vox fuit omnipotentis Dei, vt ſancta eius iudicia metuamus & mandata eius custodiamus: in hunc finem cœlum fecit, & terram & omnia ſuæ prouidentiæ iudicia, & opera, quæ vel generatim vniuerſo generi humano vel particulatim huic vel illi populo oſtenſa ſunt: etiam in hunc finem ſacra ſcriptura declarat vt non peccemus, ſed legem Dei cuſtodiamus. Quare enim Adam & Eua primi noſtri parentes ex paradiſo proiecti, morte mulctati, & tantis malis ſubiecti ſunt, vt peccatum eorum cum pœna nobis ſit factum hæreditarium (O infœlix hæreditas) niſi quia legem Dei non cuſtodierunt? quare damnatus Cain? quare totus diluuio mundus interijt? Quamobrem Sodoma & Gomorra

Matt. 23.

Matt. 19.

Gomorra cęleſti incendio conſumptæ ſunt? niſi quia mandata Dei præuaricati ſunt. Notum eſt quam multiplicibus & varijs beneficijs Dominus populum Iſrahel proſecutus eſt, quamque horrendis ſupplicijs ſæpe affecti ſunt. quare? An Deus ſuorum delectatur pœnis? Sed prophetam audiamus hæc facta
Pſal. 104. eſſe declarantem: vt cuſtodiant (inquit) iuſtificationes eius, & legem eius requirant. De quib. velut intēto in eos digito alius Pro-
Ierem. cap. 6. pheta loquitur: Hæc eſt gens quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, quoniam adhuc hodie in omnium exemplum toto orbe varijs miſerijs & calamitatibus obnoxij vagantur, ac ſine Deo, ſine lege, ſine ſacrificio, ſine principe apertas pec-
Eccle. 12. cati pœnas luunt. Porrò Sapiens, finem, inquit, loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt omnis homo, & de cęlo ac terra, quæ fecit (inquit) Deus vt timeretur. Denique quid clarius ipſa forma iudicij Dei, in quo reddet vnicuique iuxta opera ſua. Iudicati ſunt, ait
Apoc. 20. Ioannes, mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum, ibi coronā-
Matt. 25. tur fideles ſerui, prudentes virgines, & oēs qui propter opera miſericordiæ ſtabunt à dextris, foris autem ſunt canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium, pars
Apocal. 21. 22. illorum, inquit Apoſtolus, erit in ſtagno ardenti igni & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Propter quod ſine intermiſsione ſancti quoti-

quotidie cum Propheta orant: Dirige in cõ- *Pſal.* 118.
ſpectu tuo vias meas, vt cuſtodiam mandata
tua. Da mihi intellectum & ſcrutabor legem
tuam & cuſtodiam illam in toto corde meo.
Deduc me in ſemitam mãdatorum tuorum,
quia ipſam volui &c. Sciunt enim mandata
Dei grauia non eſſe, & vias eius faciles & æ- *Ioan.* 5.
quas, quando timore Domini carnem noſtrã
configimus, & charitate cor aperitur, ſicut
ait Propheta, viam mandatorum tuorum cu- *Pſal.* 118.
curri, cum dilataſti cor meum. & iterum: O-
mnis conſummationis vidi finem latum mã *Ibidem.*
datum tuum nimis. Et rurſus, Iudicia Domi-
ni vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabi- *Pſalm.* 18.
lia ſuper aurum & lapidem pretioſum mul-
tum & dulciora ſuper mel & fauum: etenim
ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis
retributio multa. Et hæc eſt patientia & con
ſolatio iuſtorum qui patiuntur propter iu-
ſtitiam, & non obſtantibus grauiſsimis tri-
bulationibus, cuſtodiunt tamen mãdata Dei *Apo.* 12. 14
& fidem Ieſu, humilitatem verò non ex hac
fallaci diſcunt deſperatione qua pigrè & ſo-
corditer credant ſibi Dei mandata eſſe im-
poſsibilia, ſed ex eo quod obedientiſsimè ex
Saluatore ſuo audiunt: Sine me nihil pote- *Ioan.* 15.
ſtis facere: & ab Apoſtolo: quis te diſcernit?
quid habes, quod non accepiſti? Et, non ſu- 1 *Cor.* 4.
mus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, 2. *Cor.* 3.
quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra
ex Deo eſt. Vnde non ſegniter cum ſeruo ne-
quam, ſed viriliter & fideliter agunt, cur-
runt, decertant, vt ſupernæ vocationis bra-

utium apprehendant, & propoſito ſibi cœleſtis regni gaudio crucem ſuam patienter ſuſferunt, dicentes cum Apoſtolo: omnia poſſum in eo qui me confortat. Quoniam tamē non ſunt cōdignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis ſi per ſe conſiderentur non ex ſolis & nudis operibus futuram gloriam expectāt, ſed in fide & nomine Chriſti: quia ſua benedicta morte id meruit vt ſeruis & filijs ſibi ſeruientibus, ac mandata eius cuſtodientibus, pro tam paruo labore tam magnum & excellens præmium à patre conſtitueretur. Cum itaq; iuſtitia quędā ſit vitę rectitudo, quę hominē in ordine ad finem ſuum vltimum rectè & legitimè diſponit ac dirigit, manifeſtiſsimū eſt, iuſtitiā ſine obſeruatione mandatorum Dei in adultis non inueniri: Hæc enim ſola recta eſt via vt in fide Chriſti neque ad dextram, neque ad ſiniſtram à mandatis dei declinemus. Quod porro volunt Euangelium à mandatis ſeu lege differre, ſi de veteri lege loquantur, veriſsimum eſt, quia nunc lege illa Chriſtiani non obligantur. Sed ſi de noua lege ſermo eſt, vt de ea ſola loquimur, quando Chriſtianis legem Dei commendamus, eadem ipſa noua lex eſt euangelium, atque euangelium nulla ratione à lege Chriſti ſeparari poteſt. Quid itaque euangelium ſit, non ex hominum phantaſijs, ſed ex ſcripturis debemus intelligere. Vidi inquit Ioannes, alterum angelum per medium cœli habentem euangelium æternum, vt euangelizaret

Philip. 4.

Iuſtitia quid.

Quomodo differt Lex ab euāgelio.

zaret ſedentibus ſuper terram & ſuper omnem gentem, & tribum & linguã & populũ, dicens magna voce: timete dominũ, & date illi honoré, quia venit hora iudicij eius. Euangeliũ igitur generatim eſt ipſa prædicatio Chriſti ac ſanctorum Apoſtolorum eius, quę nobis tempore noui teſtamenti patefacta eſt, & omnibus propoſita, complectens leges & mandata, proponens præmia & ſupplicia, promittens & adferens gratiam & conſolationem ſpiritus, habens ſacramenta & ſacrificium, prout in hac beata plenitudine temporis pro ſtatu & cõditione filiorũ Dei, da gloriam ſuam, benignißimus Deus per propriũ filium ſuum ordinare voluit & conuenire iudicauit. Sed de his alias fuſius, hoc tamen addito, eum Dei mandata cuſtodire, qui non ſic exorbitat vt ea relinquat, ſed in eis currendo proficit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare elemoſynis: vt eleganter de perfectione iuſtitiæ proſequitur Beatus Auguſtinus: Nam hæc propriæ ſunt mandata, quæ ſecundum legem Chriſti ſub reatu damnationis obligant.

Apoca. 14

Quod ſit euãgeliũ.

Augu. de perfect. iuſtitia.

C A P V T II.

Quod nemo ſine peccatorum remißione iuſtus eſt.

TAmetſi in pœnitentia, qua ad gratiam iuſtificantem homo præparatur, aliqua ſit rectitudo & propoſitum ſeruandi

 mandata

Rom.4. mandata Dei, ante tamen reconciliationem
non eſt in homine ipſa forma iuſtitiæ, vnde
iuſtus ſecundum ſcripturas dicitur: Nam iu-
ſtos ſcriptura beatos pronũciat & iuſtitiam
Apoſt. beatitudinem nominat, & id ipſum ex
coniuncta peccatorum remiſsione per pro-
phetam oſtendit. Sicut & Dauid dicit beati-
tudinem hominis cui Deus accepto fert iuſti
tiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ
ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt pec-
Pſal. 31. cata. Beatus vir cui non imputauit Dominus
peccatum. Beatitudo ergo hæc in circunciſi-
one, inquit, tantum manet. An etiam in præ-
putio? manifeſtè verbis iſtis iuſtitiam intel-
ligens, ideoque apud Paulum iuſtificatio ac
recõciliatio ſeu peccatorum remiſsio ſimul
concurrunt, & quia ſe mutuo comitantur, v-
trumque cum altero ſemper intelligitur &
Rom. 5. vſurpatur: Cum (inquit) adhuc peccatores
eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro no-
bis mortuus eſt, multo igitur magis nunc iu-
ſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira
per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus re-
conciliati ſumus Deo, per mortem filij eius:
multo magis reconciliati, ſalui erimus in vi-
ta ipſius. Ecce quaſi eadem ſint iuſtificari &
reconciliari, quos priori ſententia dicit
iuſtificatos, poſteriori dicit reconciliatos.
Similiter in actis: notum (inquit) ſit vobis
viri fratres, quia per hunc vobis peccatorum
remiſsio annunciatur, ab omnibus quibus
non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. In hoc
Acto. 13. omnis qui credit iuſtificatur. Vbi palam eſt
remiſ-

remiſsionem peccatorum pro iuſtificatione & iuſtificationem pro remiſsione peccatorum concomitanter accipi. Et porro idem Apoſtolus quando tam operoſe de iuſtificatione diſſerit, tradens & in omnib. epiſtolis ſuis inculcans, non ex lege ſed ex fide Ieſu Chriſti nos iuſtificari, perſpicuum eſt, quod neque ſolam cordis intelligit rectitudinem, quæ in Catechumeno & pœnitente ſine peccatorum remiſsione concipi poteſt; neque nudam ſine interna mutatione peccati remiſsionem: ſed vtrumque complectitur, ſignificans iuſtitiam diuinum quoddam eſſe gratiæ donum, cui peccatorum remiſsio cõiungitur. Si inquit vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum: Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt, per vnum Ieſum Chriſtum. Et paulo poſt: Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam. Nam ſicut per inobedientiam Adæ, qui ex eo naſcuntur peccatores, non tantum reatu peccatores ſunt, ſed internam iniuſtitiam contrahunt, ita qui in Chriſto renaſcuntur, vel reconciliantur, internam noui hominis formam ſimul & peccati abolitionem ac remiſ- *Rom.* 5.

ſionem conſequuntur. Deſignat enim iuxta ſcripturas iuſtitia ſtatum in quo veram ſalutem ac beatitudinem cōſequemur, & cui cæleſtis gloriæ præmium repoſitum eſt. Sicut
Prou. 11. ſcriptum eſt. iuſti hæreditabunt terram. Iuſtus vt palma florebit in memoria æterna erunt iuſti: &, hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam: Dominus diligit iuſtos: fru-
Sapien. 4 ctus iuſtitiæ lignum vitę. Iuſtus ſi morte pręoccupatus fuerit in refrigerio erit, & dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum ad-
Eſai. 3. inuentionum ſuarum comedet. Sicut & in conſummatione & omnium concluſione dicitur: Ibunt iuſti in vitam æternam. Huiuſmodi ſententijs ſcriptura plena eſt, quib. per iuſtitiam (vt diximus) ſignificatur ac deſignatur ſtatus quidam gratiæ, vnde vitam æ-
Rom 6. ternam conſequemur: ſicut & Apoſtolus inſinuat dicens iuſtificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiā iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Vnde rectiſsimè D. Auguſtinus quod nemo ſanctus eſt antè remiſsionem peccatorum, quodq; confeſsio in pœnitente nondum eſt opus iuſtitiæ, licet apud eundem rectę initium iuſtitiæ dicatur. Quemadmodum ad Simplicianum actiones quæ præcedunt & quibus ad iuſtitiam præparamur conceptionibus dicit eſſe ſimiles, quibus tandem nouus homo formatur. in quibuſdā inquit tanta eſt gratia fidei, quanta nō ſufficit ad obtinendum

Aug. pſal. 21. ad Verſicul. pro hac orabit &c. Pſal 119. ad Verſic. confeſ. & magnif. eſt.

nendum regnum cœlorum, ſicut in Catechumenis, ſicut in Cornelio antequam ſacramẽtorũ participatione incorporaretur eccleſię; in quibuſdã verò tãta eſt, vt iã corpori Chriſti & ſancto Dei templo deputentur: templũ enim Dei ſanctũ eſt (inquit Apoſt.) qd' eſtis vos. Et ipſe Dñs: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & S. ſancto: nó poteſt introire in regnũ Dei. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt; vt ad vitam perueniatur æternã: propterea ex ſcripturis ijdem ſunt iuſti, Sancti & filij. Tunc ſtabunt (inquit Sapiens) iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. De quibus tum dicent impij, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Licet igitur B. Auguſt. pietatem quę fuit in Cornelio priuſquã S. S. acceperat, quæq; eſt in pœnitente, ſua peccata nunc cõfitente iuſtitiam appellet: Hoc tamen ſenſu accipiendum eſt, quoniam rectitudo quædã eſt, qua inchoatur iuſtitia, & ad ſtatum iuſtitiæ præparamur. Nam de iuſtitia quæ in confeſsione peccatorum eſt quædam veritas: ſic in Pſal. 84. loquitur. Veritas de terra orta eſt, confeſsio peccatorum ab homine, & iuſtitia de cœlo proſpexit, id eſt, à Domino Deo data eſt iuſtificatio confitenti, quare vera iuſtitia confeſſione poſterior eſt.

Tract. 3. in epiſtolam Ioã. ad Simp. li. 1. q. 2.

1. Cor. 3. Ioan. 3.

Sap. 5.

Aug. li. 4 cont. Donа. ca. 21. et in pſal. 84.

CAPVT III.

Quo ſenſu iuſtificatio impij poſſit remiſſio peccatorum dici.

CVM apud homines, qui cor non intuẽtur, criminis alicuius fit remiſsio, hoc ſolum agitur, vt quod factum eſt, velut factum non fuerit habeatur, & pœna peccato debita remittatur. Cæterum apud Deum, corã quo per peccatũ omnia turpiter maculãtur, & cuius gloriam nihil coinquinatum ingreditur, longè alia ratione fit peccati remiſsio, quam vt ſolum ad pœnam non imputetur, ſed præter hoc etiam peccatum ipſum tollitur, atque contracta inde macula deletur, ſimul & reatus per quandam iuſtitiæ cõpenſationem, quæ fit in ſanguine Chriſti, abolet: ideoque per mundationem, deletionem, ablutionem, ſanationem ac ſimilia verba quibus interna deſignatur mutatio, ſæpius in ſcripturis exprimitur. Quemadmodum pœnitentes orant, & dicunt, dele iniquitatem meam. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Et Apoſtolus: Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugã. Et Ioannes Apoſtolus: Gratia vobis & pax, inquit, à Ieſu Chriſto qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et iterum Paulus: Vos cum mortui eſſetis in delictis &

Pſal. 50. *Eph.* 5. *Apoc.* 1. *Collo.* 2.

ſictis & præputio carnis veſtræ conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta delens quod aduerſus nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Quibus clariſsimè ſignificatur, quod remiſſio ſeu condonatio peccatorum, quæ fit corã Deo ſimul nos viuificat, maculas abſtergit, & reatum per applicatam mortem, ac ſatisfactionem Chriſti prorſus tollit & abolet. Ideoque poteſtas remittendi peccata non nuda & ſimplex debet intelligi commiſsio, qua in perſona & nomine Iudicis, qui Chriſtus eſt, pœna peccati remittitur, ſicut apud homines, iudices inferiores aliquando nomine & commiſsione principis ſupplicia remittunt: Sed eſt diuina quædam facultas & poteſtas, qua (ſicut loquitur Chryſoſt.) animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quemadmodum Chriſtus Dominus apertè ſignificat quando hanc poteſtatem Apoſtolis tribuens, Accipite inquit, Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt eis. Et Iohãnes de baptiſmo Chriſti loquẽs: ego quidem (inquit) baptizo vos aqua, venit autem poſt me, qui fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ille vos baptizabit ſpiritu ſancto & igne: Quæ verba pertractans B. Cyrillus contra Iulianum & de virtute baptiſmatis agens, comparat (inquit) igni Spiritus ſancti virtutem, & ablutiuam efficaciam,

Chryſoſt. lib. 3. de ſacerd.

Ioan. 20.

Matt. 3.

D. Cyril. cõt. Iulia. li. 3. in fine.

Digitized by Google

quæ ab illo in nobis operatur. Sicut enim ad argétea vaſa accedés ignis ſordes illis inſitas deponit, eodem ſanè modo etiá diuini ſpiritus vis, tanq̃ ignis quę in noſtras immittitur animas mente & diuino modo ab omni macula liberat. Quibus recte perpenſis facilè intelligitur quod remiſsio peccati conſiderata, ſicut in ſcripturis accipitur, vt videlicet eſt deletio & expurgatio peccati, qua maculæ & ſordes animæ tolluntur & eluuntur, ipſa eſt de qua loquimur, Iuſtificatio impij, quam proinde rectiſsimè ex Apoſtolo deſcribit B. Auguſtinus tractans id quod habemus, nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculátes in eádé imaginem transformamur: ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque tranſimus de forma obſcura in formá lucidam. Et paulo poſt natura humana in rebus creatis excellentiſsima, cum à ſuo creatore ab impietate iuſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam. Et alibi de ſimilitudine loquens ad quam facti ſumus, quam in nobis peccando corruperamus, quod eam peccatorum remiſsione recipimus, quæ in nobis renouatur intus in mente, vt tanquam reſculpatur in anima noſtra imago Dei noſtri, & redeamus ad theſauros eius. Et rurſus: Quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia tua, peccata tua tanquam in occaſu ſunt, gratia qua liberaris in ortu eſt, veritas de terra orta eſt. Quid eſt veritas de terra orta eſt? nata eſt gratia tua, occidunt peccata tua, inno-

B. Aug. 15 de Trin. ca 8. 2. ad Cor. ca. 3.

Augu. in Pſal. 140 ad Verba Venite omnes.

Augu. in Pſal 102 ad verſ quant. diſtat ortus ab occi.

innouaris quodammodo. Et clarius iterum de Trinitate: Sanè iſta renouatio non momento vno fit ipſius conuerſionis, ſicut momento vno fit illa in baptiſmo renouatio remiſsione omniũ peccatorũ. Et in Enchirido: Excepta illa magna indulgẽtia, vnde incipit hominis renouatio, cætera vita ſine remiſſione peccatorum non agitur. Quibus conſtat, quod remiſsio peccati, qualis nobis ſanguine Chriſti in eccleſia datur, cordis nouationem & transformationem complectitur. vnde etiam ſacramentum baptiſmi, quod propriè ad ſordes abluendas inſtitutum eſt, vocatur lauacrum regenerationis, & proprius eius effectus per renouationem in ſcripturis ſolet intelligi. Cæterum quando peccati remiſsio diſtinguitur à virtute & cordis rectitudine, & apud patres ſæpe dicitur quod iuſtificamur non ſolum remiſſione peccatorum, quodq́ue duplex eſt gratiæ adiutorium. Alterum in remiſsione peccatorum, Alterum in participatione iuſtitiæ, quodq́ue ſacramentorum effectus non in ſola poſitus eſt remiſsione peccatorum: Hic intelligitur remiſsio quatenus externa quædam eſt, non imputatio peccati, quando iudex peccatum ad pœnam non imputat, quæ quidem remiſsio nomine iuſtitiæ connotatur & velut annexa iuſtificationi concurrit. Nam licet iuſtitia nomen ſit qualitatis, atque bonæ cuiuſdam formæ, quę nobis inhęret in ſcripturis, tamen & communi nominis conceptione hoc per eam connota-

Aug. 4. de Trini. cap. 17.

In Enchirid. c. 64.

Ad Tit. 3. Hebr. 6.

Aug. epiſto. 105. de gratia & lib. arbit. cap. 13. in Pſal 71. ad verſ. parces pauperi & impio.

Chryſ. in ſermo. ad Neoph.

connotatur quod is qui iuſtus dicitur à peccatis ſit liber & immunis, vel quoniam ea nunquam perpetrauit vel quia debitam eorum remiſsionem accepit. Nemo enim iuſtus eſt, cui peccata ad mortem adhuc imputantur, quique mortis reatu vel merito damnationis obſtringitur, etiamſi peccatum actu tranſierit, atque voluntas in melius commutata ſit: Cuius in promptu ratio eſt: quoniam is non talis eſt, qualis ad conſequendum finem ſuum eſſe debet, in qua tamen reputatione, qua Deus non imputat homini peccata, etiam multum diſcriminis eſt ab ea, quæ inter homines fieri ſolet. Quoniam enim homines exactam iuſtitiæ rationem non habent, frequenter ſine legitima & debita ſatisfactione ac compenſatione offenſas remittunt. vnde fit vt licet propter remiſſum puniendi ius, puniri reus non debeat, quia tamen legitima ſatisfactio nō interceſsit, manet ſemper ipſe per ſe dignus qui pro delicto puniri queat, atque adeo non ſimpliciter & reipſa, ſed quadam reputatione poteſt iuſtus æſtimari. Sapientia verò Dei in cauſa generis humani ſic myſterium reconciliationis inſtituit, vt filium ſuū vnigenitum pro hominibus daret, & omnium iniquitates in eo poneret, & ijs qui per fidem in eius nomine cuperēt iuſtificari, pretiū mortis eius per ſacramēnta & alia media ſalutis applicaret. Quo quidem ſufficientiſsimo pretio peccatoribus applicat, nunc iuſtè propter Chriſtum peccata eis condonantur, ac Chyrographo ve-

Quomodo iuſtitia propter remiſſ. pec. nō ſit imputatiua

pho veraciter deleto, peccata prorſus tollũtur, vt nulla iam iuſtitia vel æquitate ad pœnam ab aliquo repoſci, vel ſaltem improperari queant. Deus eſt (inquit) qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?& quis accuſabit aduerſus electos Dei? Vnde pulcherrimè B. Auguſtin. oſtendit, Dominum Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, ac forma ſerui accepta factum obedientem vſque ad mortem crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſsimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt ad capeſcendum regnum cœlorum viuificaret; ſaluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui prius fuiſſent in peccatorum morte, languoribus, ſeruitute, captiuitate, tenebris conſtituti ſub poteſtate diaboli principis peccatorum. Quibus verbis haud obſcurè vir doctiſsim⁹ ſignificat, quod in iuſtificatione prius natura homo velut membrum ſub capite Chriſto eius corpori inſeritur, atque meritis Chriſti ſibi nunc applicatis Deus illi propter Chriſtũ placatur, vt mortem iam inferre non velit, eundem viuificans, ſaluans, lauans, & liberans, vt iam non imputatiuè, ſed vere ac reipſa iuſtus ſit & reputari debeat. Quamuis enim in via fidei pro non peccantibus habentur (ſicut loquitur Auguſtinus) quibus peccata non imputantur, quoniam tamen membris Chriſti propter Chriſtum peccata iuſtè non imputantur, vera eſt & non imputatitia iuſtitia, quoniam vera eſt in ipſis animæ rectitudo, & quod

Rom. 8.

B. Augu. de pecca. merit. & remiſſ. li. 1. cap. 26.

In Pſal. 118. cõc. 3.

& quod ad peccata pertinet, ius ea puniendi per Chriſtum tollitur & extinguitur, & per expurgationem maculæ reatus ipſe & dignitas pœnæ ſimiliter in Chriſto aboletur. Vnde pulcherrimè Auguſtinus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Cooperta ſunt (inquit) peccata, tecta ſunt, obolita ſunt, nec ſic intelligatis, quod dixit peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & viuant: Chriſtus enim Dominus venit vt diſſoluat opera diaboli, & apparuit vt peccata tolleret. Sicut ſcriptum eſt, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Aug. in Pſal. 31.

1. Ioan. 3. Ioann. 1.

De Macula.

In 4. ſent. diſt. 14. & 18.

Porro quæ ſit macula, hæc quæ in homine iam bonę voluntatis ac pœnitente per ſacramenta diuina illa poteſtate deletur ac miniſterio ſacerdotum purgatur, perplexè quidē apud Doctores diſputatur. Sed paucis dicendum exiſtimo, eam eſſe defectum ac priuationem nitoris & ſplendoris gratiæ gratificantis, quatenus ex voluntario peccato prouenit. Sicut enim illa gratia hominis eſt vera pulchritudo, qua imago Dei in homine, dignè Deo reſplendet, & ſicut oportet Deo ſummo bono filialiter adhæret, ſic culpabilis eius abſentia magna eſt animæ turpitudo, qua facies & vultus animæ fœdiſsimè coinquinatur, & non niſi tenebris, & fœtoribus inferni digna iudicatur: & ſicut per gratiæ pulchritudinem homo Deo gratus eſt & aſpectu Dei dignus iudicatur: Sic eius priuatio veraciter ac formaliter Deo velut turpitudo quædam diſplicet, vnde ſicut defor-

mis & immundus ſicut is qui veſtem nuptialem non habebat eijcitur, quæ tranſeunte impietatis actu, etiam homine ad cor vtcumque redeunte ſubinde permanet, quoniam à Deo qui receſsit, non ſtatim eidem ordini & ſtatui in quo fuit coram Deo reſtituitur, neque mox vt bonæ voluntatis eſt apud Deum, ſicut oportet ornatus eſt, qua de re pluribus in tractatu de gratia ex B. Cyrillo ac ſcripturis egimus.

CAPVT IIII.

Qualis animæ rectitudo in obſeruatione mandatorum Dei cenſeri debeat Chriſtiana iuſtitia.

QVandoquidem regnum cœlorum, vt alibi quoque dictum eſt, non niſi Dei filijs præparatum eſt, & corona ſeu merces illius gloriæ pijs duntaxat filiorum laboribus diuina æquitate propoſita eſt, fit vt nō quiuis pręcepta ſeruandi modus ad verā iuſtitiam ſufficiat, ſed palam eſt neceſſariū eſſe vt homo per adoptionē & communicationē ſpiritus ſancti in ſtatū filiorum aſſumatur, & tali quadā forma diuinitus induatur, vt ſicut patri filius Domino Deo ſuo in ſpiritu ſeruiat, & mandata eius cuſtodiat. Nam vt ex Dionyſio quod alibi dictum eſt, breuiter hic repetatur, manifeſtum eſt, qui per regenerationem vel reconciliationem diuinū gratię ſtatum nō eſt aſſecutus, quod corā Deo velut qui non eſt reputatur, cui nec motum nec ſtatum

Dyoniſ. Areop. in principio de Eccleſ. hierarch.

ſtatum tribuere poſſumus, non quoniam nihil bene & ſtudioſe extra hũc operari queat, ſed quia vitæ æternæ reſpectu nullum pondus vel momẽtum coram Deo habent. Cum igitur iuſtum id ſit, quod legi & regulæ ſuæ in ordine ad finem bene correſpondet, neceſſe eſt, vt præter ſubſtantiam operis homo in eo ſtatu ſit, qui proportionem ad futurã gloriam habeat, cuiq; gloria illa pro laboribus & ſanctis operibus præparata ſit. Sicut enim homo non quouis labore & conflictu etiam bono fine ac recta intentione ſuſcepto præmium militiæ meretur, ſed eo duntaxat, quẽ inauthoratus & in militiã aſcriptus exercet. Sic non quibuſuis operibus, ſtipendium illud cœleſte paratum eſt, ſed eorum tantummodo qui in ſtadio filiorum currunt & decertant, vnde volentibus ad gloriam illam peruenire & ſanctis laboribus eam in vinea Domini promereri primum præceptum datur, oportet vos naſci denuo. Sicut id elegan ter explicat Auguſtinus verbis ſuperiùs ex quæſtionibus ad Simplicianum citatis. Vnde Paulus Apoſtolus in operoſa illa diſputatione, qua de Chriſtiana iuſtitia diſſerit, do- *Galat.* 3. cens nõ per legem, ſed ex fide nos iuſtificari, idipſum per ſpiritum ſanctum quem accipiunt credentes oſtendit. hoc ſolum (ait) à vobis volo diſcere, ex operibus legis ſpiritum accepiſtis an ex auditu fidei? & qui vobis tribuit ſpiritum & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis an ex auditu fidei? Quę ratiocinatio locum non haberet, niſi idem

reipſa

reipſa eſſet iuſtificari & ſpiritum ſanctum inhabitantem accipere, quæ tum in hac epiſtola, tum ad Romanos velut eadem accipit. Quemadmodum etiam poſtea in eodem capite inſinuat, idem eſſe iuſtificari, filium Dei fieri ac Chriſtum induere: Itaq; lex (inquiẽs) pędagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur: At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo Omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, quod capite ſequente nõ minus euidenter declarat. Vbi venit plenitudo temporis; miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erãt redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus: Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater: Itaque iam non ſeruus ſed filius, quod ſi filius & hæres per Deũ. *Galat. 4.* Quo loco argumentum Pauli tale eſt, adoptionem filiorum non ex lege, ſed per Chriſtum ex fide recepiſtis, igitur nõ ex lege, ſed per Chriſtum ex fide iuſtificati eſtis: Quod mox etiam ex veteris & noui teſtamenti diſcrimine manifeſtat dicens: Nos qui in Chriſto iuſtificamur filios eſſe liberæ, ſecundum ſpiritum ex promiſsione natos; & hoc per Chriſtum non ex lege nos eſſe conſecutos: Ac proinde non ex lege, ſed per Chriſtum nos iuſtificari. Sicuti capite quinto ſubijcit: Nos ſpiritu ex fide ſpẽ iuſtitiæ expectamus: Nam in Chriſto Ieſu, neque circuncißio ali- *Cap. 5.*

quid valet, neq; præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Significans iuſtitiã, qua futuram gloriam ſperamus, poſitã eſſe in ſpiritu ex fide per charitatem operante. quã poſtea nouam creaturam appellat, In Chriſto

Cap. 6. Ieſu (inquiens) neque circunſio aliquid valet neque præputium, ſed noua creatura: & ad Romanos, Quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium

Rom. 8. ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum: Apertè ſignificans non quamlibet legis obſeruatiã æſtimari iuſtificationem, ſed quæ per ſpiritum fit inhabitantem: quod & Chriſtus Dñs palam ſignificat, vbi veros adoratores deſcribit. Venit

Ioann. 4. hora (inquiens) & nunc eſt, quando veri adoratores adorabũt patrẽ in ſpiritu & veritate, nam & pater tales quærit qui adorent eũ, ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorãt eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ad hanc iuſtitiam & in ea perſeuerantiã hortatur Paul.

Epheſ. 4. & 5. Renouamini (inquiens) ſpiritu mẽtis veſtræ, & induite nouum hominẽ, qui ſecundũ Deũ creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. & paulo poſt: Nolite cõtriſtare S. ſanctũ Dei, in quo ſignati eſtis in die redẽptionis. Et iterum. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate, fruct' enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, Vnde B. Auguſt. de ſpiritu & litera, de

ta, de mandatis Dei loquens, quæ vt poſsit (ait) homo facere, Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti, qui finis eſt ad iuſtitiã omni credenti, id eſt, per ſpiritum incorporatus factuſq; membrum eius, poteſt quiſq; illo incrementum intrinſecus dante operari iuſtitiam, & in eiuſdẽ libelli principio: Nos autem dicimus, humanam volũtatem, ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam: vt præter quod creatus eſt homo cum lib. arbit. voluntatis, præterq; doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodũ viuere debeat, accipit ſpiritum ſanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioq; ſummi illius atq; incommutabilis boni quod Deus eſt, vt hac ſibi velut arra data, gratuiti muneris, inardeſcat inhærere creatori. Et contra 2. epiſt. Pelagij lib. 1. cap. 2. Homines non bene viuunt, niſi effecti filij Dei. Et iterũ lib. 4. cap. 6. Arbitriũ ad faciendam iuſtitiam liberum non erit, niſi ouis fueris. Et contra Fauſtum lib. 22. ca. 6. gratiam Chriſti explicãs: gratia (inquit) per Ieſum Chriſtum facta eſt, gratia ſcilicet, vt data indulgẽtia peccatorum, quod præceptũ erat ex dono Dei cuſtodiretur. Ex quibus tũ ſcripturæ, tum Auguſtini ſententijs conſtat pœnitentibus quando per Chriſti ſacramenta iuſtificantur, amplius accedere quam ſicut quidam aliquando cõmenti ſunt, quod in eis virtus augetur & pœna peccati remittitur. Abſit. Sed vt manifeſtum, & omnium vna ſententia veriſsimum eſt, nouum pœnitentes diuinumque ſtatum, vt ait B. Dionyſius,

Augu. de ſpiritu & lit. c. 26.

Cap. 3.

Quid pœnitentib: per ſacramẽta accedat.

accipiunt, veterem hominem exuunt, atquè nouum induunt, quo ſunt filij noui teſtamē-ti, in adoptione, & ſorte ſanctorum Dei, qui in ſpiritu poſſunt dicere Abba pater. Quemadmodum & Ioannes in Euangelio teſtatur, quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri &c. Et in epiſtola 1. cap. 2. Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt. vnde præclara illa ſententia Chryſoſtomi in ſermone ad Neophytos. Ecce (ait) libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captiui, & ciues eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati, non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti, non tantum ſancti, ſed & iuſti, non ſolum iuſti, ſed & filij, non ſolum filij, ſed & hæredes, non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti, nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohęredes, non ſolum cohæredes, ſed & membra, non tantum membra, ſed & templum, non tātum templum, ſed & organa ſpiritus. Vides quot ſunt baptiſmatis largitates, & nō nulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum remiſsione conſiſtere. Non interim imaginandum eſt, quod nonnulli aliquando voluerunt, quaſi iuſtitia ex rectitudine animæ & peccatorum remiſsione, velut duabus partibus compoſita cōſiſtat. nequaquam, ſed vt ex dictis facile patet, eſt poſitiua & ſimplex quædam gratiæ forma, & diuina quædā qualitas, vnde quales nempe iuſti nuncupamur, &

Ioan. 1.

D. Chryſ. ad Neophytos.

Aug. cōt. Iulia. lib. 1. cap. 6.

Iuſtit. eſt ſimplex forma.

mur,& ſumus. Quod apertè declarat Apoſtolus, quando peccatum originale, cum gratia Chriſti comparat. Sed non (inquit) ſicut delictum, ita & donum, Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt, per vnũ Ieſum Chriſtum: Quibus iuſtitiam poſitiuũ & ſimplex donum eſſe ſignificatur. Quemadmodum & poſtea gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Clarius verò quando per nouum hominem, nouamq; creaturam eam deſignat, atque in fide per charitatem operante conſtituit. Sicut ad Philip. Propter quem (inquit) omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiã quę ex lege eſt, ſed illã quæ ex fide eſt Chriſti, quę ex Deo eſt iuſtitia in fide. Queamadmodum enim impietas & peccatum, cui iuſtitia opponitur, neq; eſt debitum vel reatus pœnæ, cui propter peccatum obnoxij ſumus, ſed ipſa per ſe interna quædam eſt malitia, quam reatus velut vmbra ſuum corpus comitatur. Sic etiam iuſtitia neq; huiuſmodi eſt pœnæ remiſsio, neque hæc remiſsio pars eſt aliqua iuſtitiæ. Sed (vt dixi) cœleſtis quædam qualitas eſt, quam mortis æternæ remiſsio non aliter comitatur, quam

Rom. 5.

Rom. 9.

Galat. 5. & 6.

Philip. 3.

lucem ipſæ tenebræ diffugiunt, hoc ipſo ſiquidem, quo Deus hominẽ per donũ iuſtitię adoptat & dignificat ad vitã, ſequitur quod ei mortẽ nolit imputare: Quod igitur Chryſoſt. habet, cœleſtem gratiã nõ in ſola remiſſione peccatorũ poſitã eſſe: Quodq; Auguſt. ait, iuſtitia noſtra quamuis vera ſit (inquiens) propter veri boni finẽ ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita vt potius peccatorum remiſsione conſtet quã perfectione virtutum. Et patres in Concilio Trident. hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, iuſtificatio ipſa conſequitur quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis &cæ. Hæc (inquam) & ſimilia non eo referenda ſunt, quaſi remiſsio illa, quæ eſt dimiſsio pœnę, ſit pars aliqua iuſtitiæ, cũ illa externa ſit & hominẽ ſicut iuſtitia denominare nõ poteſt. Sed extrinſecus velut vmbra vti diximus corpus ſuum comitatur. Sed Patres ſacri Concilij cũ D. Chryſoſt. volunt quorundam imaginationem ſecludere, qui iuſtitiam in ſola peccatorum remiſsione conſtituebant: Hoc inquã negant patres, ſed non aſtruũt remiſsionem partem eſſe iuſtitiæ, ſed eam cum iuſtitia dicunt accipi. Siquidem vnicam iuſtificationis cauſam formalem tradũt eſſe iuſtitiam Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ, iuſtitiam in nobis recipientes. Et paulo poſt, vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum, hęc omnia

Lib. 19. de ciuit. Dei cap. 27.

Seſſ 6 c. 7.

omina ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum &c. Auguſtinus verò Pelagianos reſpiciens eam docet humilitatem, quod etiam iuſti debent agnoſcere ſæpius ſe peccare debereq; dicere: Dimitte nobis debita noſtra &c. & ob id noſtram iuſtitiam non conſiſtere in perfectione virtutum, quia virtutes non perficimus, ſed in multis defectibus offendimus & remanemus, & quod ad hæc pertinet, fiducia noſtra in remiſsione peccatorum. Conſtat ergo magis remiſsione peccatorum, nõ quod remiſsio pars iuſtitię ſit, ſed quod iuſtus, qui verè & internè iuſtus eſt, magis nititur remiſsione peccatorum quàm perfectione virtutum: includitur interim verbo iuſtitiæ, velut, quod minus principaliter, vt aliquid annexum iuſtitiæ connotatur, ſicut dictum eſt, iuſtũ eſſe, qui rectus eſt, & peccato non eſſe obnoxius.

CAPVT V.

Quod iuſtitia eſt ipſa informãs gratia, gratum faciens, quatenus aptum facit & diſponit hominem vt rectè in ordine ad vitam æternam ſecundum Deum operetur.

EX prædictis ſcripturis videre eſt iuſtitiã ab Apoſt. non in alio quàm dono gratiæ gratum facientis conſtitui. De quo ad Epheſ. elegit nos (inquit) in ipſo ante cõſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui præ-

deſtinauit nos in adoptionem filiorum per
Eph.1. Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuę in laudem glorię gratię ſuæ: in qua gratificauit nos in dilecto filio
Colo. 1. ſuo. Et ad Coloſſenſes. Cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos fecit in partẽ ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Hæc enim gratificans gratia nos Dei filios, & habitacula ſpiritusſancti cõſtituit, & ex ea ſola dignè Deo viuimus & operamur. Quemadmodum enim non alia ratio eſt cur Deo placemus & accepti ſumus, quã quia ſicut ipſe eſt, & nos bonitatis eius participatione in ipſo boni & ſancti ſumus atque ad bene recteque viuendum diſpoſiti & idonei: Sic non alia ratio iuſtitiæ eſt, quam vt ſicut Deo gratũm eſt, ad rectè operandum homo ſit diſpoſitus. Cum igitur iuſtitia ipſa ſit hominis rectitudo, quia ſecũdum Deum in ordine ad finem ſuũ cõgruè diſpoſitus eſt. (Rectum enim dicitur cuius mediũ non exceditur ab extremis) veriſsimum eſſe conuincitur, quod iuſtitia ipſa in gratia gratificante poſita ſit, qua ſola ſecundum Deum in ordine ad finem noſtrũ
Galat. 5. rectè & conuenienter diſponimur. Vnde Paulus. Nos (inquit) ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Quaſi dicat, vera iuſtitia, vnde gloriam ſperamus ex fide per ſpiritum operanti procedit. quod mox apertius declarat. Nam in Chriſto Ieſu circũciſio nihil va-
Galat. 6. let, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem

ritatem operatur, quam hominis in ſpiritu diſpoſitionem & affectionem, poſtea nouam creaturam appellat. De qua loquens alibi, Ipſius enim (inquit) factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Ex quibus pulcherrima naſcitur apud doctores quæſtio. An iuſtitia & hæc gratificans gratia, in qua iuſtitiã cõſtituimus, ſit proprij nominis virtus? Abſurdum enim videtur, quod qualitas quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, non ſit proprij nominis virtus. Cuius ſolutio clariſsime ex libro Sapientiæ diſci poteſt. vbi Sapiens de iuſtitia loquens. Si iuſtitiam (inquit) quis diligit, labores huius magnas habent virtutes, Græcè eſt, labores eius ſunt ἀρεταὶ, id eſt, virtutes. ſobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam ſeu æquitatem & virtutem, id eſt, fortitudinem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus, quibus perſpicuè traditur quod iuſtitia, quam communiter & generatim cõmendant ſcripturæ, radix & principium eſt virtutum, quas velut radios iuſtitiæ lux à ſe diffundit. dicendum itaque quod iuſtitia, quã in gratia gratificante conſtituimus, non eſt velut otioſa ſeu mortua quædam mentis, ſicut in corpore pulchritudo, ſed & viua quædam ex ſpiritu promanans habitudo, quæ primum eſt omnium bonorum operum principium, quo ad rectè viuendum primum viuificamur, eſt (inquam) habitualis quædam aſpiratio, & viuens in Deum affectio, ex in-

Epheſ. 2.

2. ſenten. diſt. 27. An grat. et donum iuſtitia ſit proprij nominis virtus.

Sapien. 8

habitante ſpirituſancto procedẽs, quæ cũ in eſſentia hominis ſedẽ habet, eã velut diuinę quidã naturæ atq; cœleſtis bonitatis vapor & participatio diſponit & afficit, vt ex ipſis intimis naturæ principijs & ſpiritu ipſo homo velut naturaliter feratur in Deum & ea quæ Dei ſunt. Secundum id igitur, quod in virtutibus ſcripturæ commendant, gratia & iuſtitia generaliter virtus cẽſeri debet, quoniam ad diuinè operandum perficit hominẽ, ſanctum ac bonum eum reddit, & opus eius Deo gratum & acceptum, vtpote quæ ipſa eſt in homine cælitus diffuſa bonitas, & diuinæ bonitatis participatio. Vnde cũcta quę Deo dignè ab homine fiũt, bonitatem ſuam hauriunt. Cœterum cum virtus ſecundum propriam nominis acceptionẽ non primum, ſed proximum eſt certi alicuius boni operis principium, iuſtitia & gratia hac proprietate virtus non dicitur, ſed nobilior & ſublimior forma eſt, quæ fons mater & radix eſt omniũ earum virtutum, quæ ſuis quæq; proprijs actibus & exercitijs deſtinatę ſunt. Quemadmodum enim anima & ſpiritus ipſe in homine rectè dicitur, & eſt quo viuimus, ſentimus, & intelligimus primo, ſed ex ea vires quædam, & potentiæ profluunt, quæ proximè ad ſpeciales operationes deputatæ ſunt, & differunt ab ipſa anima, quæ generatim ad operandum hominem viuificat, ſic gratia, quæ commune omnium bonorum principium eſt, differt à virtutibus quæ ad proprios & ſpeciales actus ordinatæ ſunt.

Charitas

Charitas enim, prudentia, fortitudo, æquitas, caſtitas, patientia, temperantia, & virtutes ſimiles, ſua propria habent obiecta, in quæ proprios & ſpeciales actus exercent. Verum gratia & de qua loquimur iuſtitia velut ſpiritus ipſe, & anima hominis eum in ſua eſſentia diuinę viuificat, & ad hęc omnia per ſuas quæque virtutes operandum adaptat, diſponit & afficit. Eſt enim teſte Beato Auguſtino in anima iuſti virtutum quaſi exercitus quidam imperatoris qui ſedet intus in mentę tua, quomodo enim Imperator per exercitum ſuum agit, quod illi placet: Sic Dominus Ieſus Chriſtus incipiens habitare in interiore homine noſtro, id eſt, in mente, per fidem vtitur virtutibus quaſi miniſtris ſuis. Gratia igitur & iuſtitia per quam Chriſtus Dominus nos inhabitat, ſunt velut anima & forma qua chriſtiani Chriſto induti in eo ſtatu ſumus, vt iam in Deo, & coram Deo ſicut ipſi in ordine gratię ſuę placet & acceptum eſt viuamus, quæ ſpirituales in nobis parit vires, quibus particularia diuinæ vitæ opera loco & tempore exercere valeamus. Iuſtitia itaque ſeu gratia reſpicit opera. Sed vt Sapiens docet velut primum eorum principium, vnde per proximas virtutes inde profluentes ea procedunt. Quibus ita conſtitutis conſequitur quoque Chriſtianam hanc noſtram iuſtitiam non eandem eſſe, quam Ariſtoteles quinto Ethicor. deſcribit generaliter legis eſſe obſeruantiam. Nam ea virtus politica eſt & bonum

Tract. 8. in epiſt. Ioannis.

Reipub.

Reipub. pro obiecto habet. Noſtra vero iuſtitia nō eſt ex ſua ratione legi aſtricta; quaſi non niſi ex lege ſicut illa operetur, ſed vniuerſum & generatim bonum ipſum pro ſcopo habet, bonum (inquam) quod Deo acceptum eſt, & in aliam nos vitam iuuat. Cum igitur iuſtum appellamus bonam qualitatē, qua tales ſumus, quales in ordine ad vitam æternam nos eſſe conuenit, conſequitur iuſtitiam reipſa, gratiam eſſe gratificantem, qua ſola ſic diſpoſiti ſumus, quæ proinde vera eſt animi rectitudo, qua ex ſpiritu ſecundum Deum propter Deum operamur, quæ quidem gratificans dicitur, quoniā Deo gratum facit hominem & opera coram ipſo accepta reddit. Iuſtitia vero quoniam rectè hominem diſponit & afficit, prout Deo in ordine ad finem vltimum qui ipſe Deus eſt, placet & acceptum eſt, iuxta illud quòd ex Petro dictum eſt, In omni gente qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Hoc ipſo enim quo iuſti & Deo grati, & non alia ratione Deo grati quam qua iuſti ſumus. Ex his etiam intelliges iuſtitiam non debere concipi, quaſi genus ſit virtutis, quod virtutes & ſpecies complectitur: Sed vt ex Sapiente diximus, certa & peculiaris eſt diuina quędam qualitas & habitudo, quæ principium & radix virtutum eſt. Similiter ex his cōſtare poteſt iuſtitiam non idem eſſe quod charitas, quæ ſpecialis virtus eſt & propria virtutis ratione ab alijs ſecernitur, ſed proprius fons eſt charitatis, vnde charitas velut primaria

Acto. 10.

Iuſtitia non eſt idē quod charitas.

maria & principalis virtus exoritur,per quã iuſtus principaliter operatur. Primum enim propoſitum iuſti eſt ſecundum Deum viuere,quod proximè facit charitas, cui cæteræ virtutes,in ſua quoque materia ſubſeruiunt & ancillantur. Quamobrem quod ab Augu- *Augu. de natur. & grat. c. 79* ſtino dictum eſt charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt,charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt,charitas magna,magna iuſtitia eſt,charitas perfecta,perfecta iuſtitia eſt:Hoc ſenſu cõcomitatiuo dicitur, quoniã charitas proprius iuſtitiæ & gratiæ fructus eſt, ac virtus quæ gratiam inſeparabiliter comitatur, per quam gratia principaliter ex fide operatur, quomodo & illud Pauli rectè poſſimus accipere,In Chriſto Ieſu fides valet quæ per charitatem operatur.Nam fides vt ibidem Paul. inſinuat, ex ſpiritu tãquam primo fonte ſeu principio per charitatem operatur.

CAPVT VI.

De ſententia Beatiſſimorum Apoſtolorum Pauli & Iacobi de iuſtificatione.

CVM tam ſerio & operosè ſanctiſsimi Apoſtoli de iuſtificatione differant,neceſſarium eſt, vt pro abſoluto de iuſtificatione tractatu diligẽtèr eorum diſcutiatur & explicetur ſententia.Quod vt commodius & maiori perſpicuitate fiat, per quæſtiones aliquas, quibus præcipuæ difficultates continentur, rem Domino iuuante conabimur expedire. Cúm itaque Paulus Apoſtol. ſæpiſ-

1. quæſtio de qua fi de loquitur Apoſt. ſępiſsimè repetat & inculcet nos ex fide & nō ex operib. iuſtifica: i: Primū quæritur, de qua & quali fide loquatur Apoſtolus: Nam hæretici hic ſpecialem quandam fidem cōminiſcuntur, quæ verè nuſquam in ſcripturis reperitur, illam videlicet qua quis certo credit, & ſtatuit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, & ſe poſſeſſurum eſſe vitam æternā. Hæc, inquā, fides mera pręſumptio eſt; & nō ſolum ſcripturis aduerſatur, quę nobis timorem Domini commēdāt, ſed etiam cum ipſa pugnat, & ſeipſam interimit. Nam hæc perſuaſio iuſtitiam, & peccatorū remiſsionem præſupponit iam factam. Siquidē nemo ſibi perſuadere poteſt peccata remiſſa eſſe, niſi credat ſe iam antea iuſtificatū eſſe, atq; proinde non poteſt concipi hanc fidem eſſe qua iuſtificemur quā ſecundum hanc phantaſiam iuſtificatio p̄cedit, vnde ex illa fide mortua non obtinetur. Catholici quidem Paulū loqui volunt de fide propitiatoris & mediatoris quæ imprimis impio neceſſaria eſt; vt à peccatis ſuis iuſtificetur. Cæterū, quia Paul. non de ſola loquitur impij iuſtificatione, ſed de exercitio etiā, & incremento iuſtitiæ, vt exemplo Abraham manifeſtū eſt; optimè videntur Paulum interpretari qui credūt eum vniuerſim de chriſtiana & catholica chriſtianorū fide loqui, qua ab Ethnicis, Iudæis, Hęreticis veri fideles diſcernuntur, quę ſola vera fides eſt. quę quando fides in ſcripturis cōmendatur velut quæ ſola ſcripturis nota eſt intelligitur. Nam Propheta Habacuc cuius

Hab. 2.

ſenten-

ſententiam Paulus ſæpè intelligit, iuſtus, inquiens, ex fide viuit, non particulatim de huius vel illius articuli fide, ſed generatim de fide loquitur, complectens omnia, quæ vera & Catholica fides annunciat: Sicut in Abraham vniuerſim cõmendat fidẽ, qua Deo credidit. Credidit, inquiẽs, Abraham Deo & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam. Et licet in repromiſsione ſingularis ſit cuiuſdam articuli de ſemine, fides tamen generatim cõmendatur quod non hęſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſsimè ſciens, quia quęcumq; promiſit Deus, potens eſt & facere. Hic communis & generalis eſt act⁹ fidei vnde fideles dicimur. obiectũ enim fidei prima veritas eſt, & verbũ Dei quodcũq; ille reuelare dignatur. Vnde Apoſtol. fidem Hebræis cõmendans non ſolius meminit articuli de propitiatione quę nobis in Chriſto eſt, ſed multorũ & diuerſorum artic. exempla in ſanctis prædicans ipſam integrã fidem cõmẽdat, fide inquit intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, fide Noë reſponſo accepto de ijs q̃ adhuc nõ videbantur: metuẽs aptauit arcã in ſalutẽ domus ſuę. Fide qui vocatur Abrahã obediuit in locũ exire, quẽ accepturus erat in hęreditatẽ: & exijt neſciẽs quò iret. Vt.n. diſtincta & varia ſunt virtutum ac iuſtitię officia, quib. iuſtus Deo ſeruire ac placere cõtendit, omniũ radicẽ ac fundamentũ Paul. docet eſſe fidẽ, cuius alia & alia in diſtinctis exercitijs conſideratio & applicatio eſt neceſſaria, ita tñ vt omnia iuſti opera fidei

Rom. 4.

Hebr. 11.

quæ eſt in Chriſtum ſaluatorem, imitantur: Sic enim generatim de fide Paulus loquitur, vt tamen hunc articulum velut fuudamentum iuſtitiæ particulatim & expreſsim exigat, vti mox clarius aperietur. De quali vero fide loquatur Apoſtolus; Iacobus, & ipſe Paulus quoque ſatis apertè declarauit. Loquitur enim vt manifeſtũ eſt non de mortua & otioſa fide, ſed de ea quæ per bonam voluntatem operatoria eſt, & per dilectionem operatur. Quamquam enim Paulo Apoſtolo diſtinctæ ſunt virtutes theologicæ; nihil tamen mirum videri debet, ſi, quando fidem commendat, non de ea quæ otioſa vel mortua eſt loquatur. Nam affectio quã generatim in fide commendat, nó ſtatim eſt filialis illa charitas quæ inter virtutes theologicas ordine tertia eſt, ſed quædam eſt interna fidei perfectio, per quam ipſa fides in natura & ratione fidei perficitur, & veram ac plenã fidei rationem ſortitur. Virtus enim & laus fidei in hoc poſita eſt, quod facit hominem adhærere veritati Dei, & ſupra ſenſum & rationem reuerenter & incunctanter ſe verbis Dei ſubijcit, quæ ſane adhæſio valde informis & imperfecta eſt; quando ſic adhæret vt tamen non ita viuere velit, quemadmodum viuendum eſſe credit, ſed perfecta fides id exigit, vt ſicut credis verum eſſe, id etiam tibi perſuadeas faciendum eſſe, quemadmodum ergo quando de corpore, quod vitæ capax eſt, communiter ſermo habetur, eiuſq; pulchritudo commendatur, non de mortuo ſed

De quali fide.
Iacob. 2.
Galat. 5.

ſed de viuo corpore communiter agitur. Sic Paulus de fide loquitur, quæ per bonam voluntatem viuit & operatur. Secundò quæritur, quomodo ex fide nos dicat iuſtificari vtrum quia per fidem iuſtitiam impetramus, an quia ipſa fides iuſtitia eſt, & virtus quæ apud Deũ pro iuſtitia reputatur, quod enim de Abraham ſæpius repetitur. Credidit Abraham Deo & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam, non aliter videtur accipiendum eſſe; quàm quod hoc pium opus, quo reuerenter & fideliter Abraham Deo credidit, æſtimatum & reputatum eſt apud Deum, pro opere verè iuſto & præmio digno: Sicut de Zelo quo fornicatores Phynees interfecit, ſimiliter ſcriptum legimus, quod reputatum eſt ei opus ad iuſtitiam in generatione & generationem: Rurſus tamen apertum eſt Paulum de fide loqui; qua Chriſti nomen pro ſalute & iuſtitia inuocatur qua & ſacramẽtis Chriſti, quibus iuſtificamur initiamur; probans enim omnes ex fide iuſtificari. Nam (inquit) idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Sicut & in Actis dicit ad Paulum Ananias, & nunc quid moraris? exurge, & baptizare & ablue peccata inuocato nomine ipſius. Et Paulus in ſua conuerſione; hæc ad ſe à Domino verba facta commemorat. Nunc ergo mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum vt recipiant remiſsionem peccatorum, & ſortè

2. quæſtio · *Pſal. 105.* · *1. Mac. 2.* · *Rom. 10.* · *Act. 22.* · *Act. 26.*

Acto. 13. inter ſanctos per fidē quæ eſt in me. Et Paul. ipſe notū ſit (inquit) vobis viri fratres, quia per hunc vobis peccatorū remiſsio annūciatur, ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. Et hæc clara eſt eius ad Ro-
Rom. 3. manos ſententia, quod Deus iuſtificat eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Vnde quod ait: Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, de fide intelligitur, non quę ipſa eſt iuſtitia, ſed per quam iuſtitia acquiritur, Vnde ſubijcit. Non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quę eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus pro-
Duo dogmata. pitiatorē per fidem in ſanguine ipſius. Quare dicendum eſt, quando Apoſtol. tradit nos ex fide iuſtificari: Hæc duo ab ipſo dogmata compræhendi, alterum quod qui iuſtus non eſt, veram coram Deo ab ipſo Deo iuſtitiam per fidem in Chriſto adipiſcitur, Chriſtum videlicet inuocando, & ſacramenta eius ſuſcipiendo. Vnde ad Galatas probans ex fide nos iuſtificari, idipſum per baptiſmum oſtē-
Galat. 3. dit. Omnes, inquit, filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Alterum dogma eſt, quod nunc per fidem iuſtificati ex fide quoq; iuſtitiam operamur, ſi-
Hebr. 11. cut ſcriptum eſt, Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, Ideoque iuſtitia fidei in ſcripturis dicitur, quoniam per fidem impetrata

ex fide operatur. Quemadmodum ad Philippenſes eleganter id Paulus inſinuat, quando (ait) vt inueniar in illo non habens meã iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia, in fide. Quod & ſcripturæ illæ ſignificant; iuſtus ex fide viuit, &, in fide viuo filij Dei. Propteraa qui vult iuſtificari, in Chriſtum credat, ad ipſum confugiat, per ipſum in gratiam recipietur, & iuſtificabitur; nõ quoniam fides ſic meretur, ſed quoniam ex Dei beneplacito fides cõgrua eſt & idonea præparatio, cui propter Chriſtum gratia iuſtificationis infundi tur; & per quam ſedes, ſpiritu ſancto in corde præparatur, quæ quidem præparatio ſeu diſpoſitio in iuſto velut radix & fundamentum operum iuſtitiæ permanet, & omnibus opetibus iuſtitiæ ſubſternitur, quæ opera Deo non placent, nec opera ſunt iuſtitiæ, niſi ex fide procedant, fides enim vt mox ex Auguſtin. declarabitur; opus ipſum; modum & ordinem operis dirigit; non vt externa regula, quæ ſicut litera rectè omnia deſcribit, ſed vt internum operis principium, & totius rectitudinis, quæ in opere eſt radix & fundamentum, vnde opus ipſum tanquam ex bono & laudabili & congruo fundamento ex bona & laudabili radice commendatur, vt indiuidua & inſeparabilis ſit noſtræ iuſtitiæ proprietas, quod operatiua eſt ex fide. Rectiſſimè proinde patres in Sacro Concilio Tridentino declarant nos apud Paulum ex fide iuſtificari, quia fides eſt humanæ ſalutis ini-

Philip. 3.

Galat. 2. & 3.

tis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius cõſortium peruenire. Quemadmodum & D. Auguſtinus; Ex fide (inquit) ideo dicit iuſtificari hominem, quia ipſa prima datur ex qua impetrentur cætera quæ proprie opera nuncupantur; in quibus iuſte viuitur. Et alibi, fides eſt bonorum omnium fundamentum, fides eſt humanæ ſalutis initiũ, & de iuſtis operib. agens laudo, ait, ſuper ædificatione operis, ſed video fidei fundamẽtũ, laudo fructũ boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Quæ patrũ interpretatio clarior euadet, ſi conſideres in ſcripturis hominem dici iuſtificari, non ſolum pro illo momento, quo gratiam iuſtitię recipiens in filium Dei adoptatur, ſed ab ipſo principio conuerſionis, quo incipit ad iuſtitiæ ſtatum præparari, ſimiliter, & quando poſtea iuſtè operatur. vnde fides ipſa, oratio, eleemoſyna, pœnitẽtia, quæ ante reconciliationem fiunt, etiam opera iuſtitiæ dicũtur, quia recta ſunt & ad iuſtitiæ ſtatum pręparant velut inchoationes quædam iuſtitiæ, quæ conceptionibus ſunt ſimiles. Quemadmodum Paulus Galatas ad pœnitentiam reuocans: filioli ait, quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis. Et B. Auguſtinus, initium inquit iuſtitiæ confeſsio peccatorum. In his igitur dicimur etiam iuſtificari, quoniam per ea ad iuſtitiam præparamur, ita tamen vt fides velut fundamentum operum iuſtitiæ in corde iam iuſtificato permaneat.

De prædeſt. ſanc. cap. 7. De ſpiritu & lit. cap. 31. & ſerm. 38. de tempore.

Galat. 4

Tract. 3 in epiſto. Ioannis.

maneat.

maneat. Vnde Paulus quando tradit nos ex fide iuſtificari, generatim ſignificat & inchoationem ſeu præparationem iuſtitiæ, & ipſa opera quæ exercitia ſunt obtentæ iuſtitię ex fide fieri, quodq́; initium vnde ad iuſtitiam præparamur & primum in iuſtificato exercitium iuſtitiæ fides eſt, & totius ſalutaris pœnitentiæ, & totius vitæ iuſtæ fundamentum & radix eſt. Vnde conſequens eſſe facile intelligitur, iuſtitiam ipſam, qua formaliter & permanenter vel habitualiter iuſti ſumus, talem eſſe quæ operetur ex fide. Ideoq́; gratia gratificans in qua Chriſtianam iuſtitiam poſitam eſſe declarauimus, virtualiter fidem continet, & in paruulis per baptiſmum cordibus eorum latenter infuſa, fidem habitualem generat, eam ſecum velut ramum ſeu fructum adferens: In adultis vero qui antea credunt gratia fidem perficit, & ex ea velut iuſtorum operum radice ac fundamento ſemper operatur. Paulus ergo de adultis diſſerens, contra Iudæos & Græcos ſtatuit, veram iuſtitiam non niſi per fidem diuinitus impetrari, & obtentum donum *3. quæſtio* iuſtitiæ per fidem operari. Quod adhuc clarius eluceſcet, ſi tertio diſcutiamus, quæ ſit ratio cur in argumento de iuſtificatione, tantopere fides ab Apoſtolo commendetur. Cuius quidem multiplex cauſa deſignari poteſt, præcipua tamen eſt propter veram Dei ac Chriſti mediatoris & eccleſiæ cognitionē, quoniā ſola Chriſtiana fides Deū qui prēmiū eſt iuſtitiæ & Chriſtum mediatorem per quē

impetratur iuſtitia, & præmium eius accipitur, & eccleſiam, quę locus eſt iuſtitiæ, legitimè confitetur & agnoſcit id quod fundamẽtum eſt, cui tota iuſtificatio ſuperſtruitur.
1. Cor. 3. Vnde Paulus: fundamentum aliud, nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod
Aug. præfat. Pſal. 31. eſt Chriſtus Ieſus. De qua ratione pulcherrimè D. Auguſt. Bonum enim opus ait intentio facit, intẽtionem fides dirigit, vnde qui propter homines & inanem gloriam quædam virtutum officia oſtentant, vel quędã faciũt & quæ grauiora legis ſunt negligunt, vel qui pro bonis operibus ſibi terrenã quandam fęlicitatem ſperant, verè impij permanent, nec vllã veræ iuſtitiæ laudẽ promerentur, & ſi etiam quod ſperandũ eſt, pro bonis operibus ſperes, id eſt, vitã æternã, ſed non à Dño Deo per Ieſum Chriſtũ per quem ſolũ datur vita æterna, iuſtus eſſe nõ poteris, qui non ex fide operaris. Et alibi: Nam multa, inquit, multi
In pſal. 83 hæretici nõ in eccleſia operantur, nõ in nido pullos ponũt cõculcabuntur & cõterentur, nõ ſeruabuntur, nõ cuſtodientur in fide vera in fide catholica, in ſocietate vnitatis eccleſiæ, pariant opera ſua, ipſa fides nidus eſt pullorum tuorũ. Ad hunc igitur modũ impius iuſtificatur ex fide, quoniã ex fide per Chriſtũ accedit ad Deũ, vnde per Chriſtũ iuſtitiã in eccleſia Chriſti cõſequitur & qui iuſtus eſt ex fide viuit filij Dei, iuſteq; ex fide operatur, quoniã per fidẽ Chriſto ſalutis authore nititur, cuius gratia bene operatur, & in cuius nomine vitã pro bonis operib. expectat.

Secunda

Secundo ratio ad Hebr.11.ca.ſubſignificatur, & ex propria fidei natura ſumitur, quia fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, id eſt, per quam certiſsimè creduntur bona quæ ſperātur & myſteria quæ non vidētur, hoc enim diuini cultus quo Deum toto corde meritoriè colimus, ſolum congruum & legitimum fundamentum eſt vt diuinæ authoritati in myſterijs quæ non videmus, certiſsimam fidem reuerenter deferamus, & in hac fide firmiter ei ſeruiamus, vt nihil nos poſsit ab eius charitate ſeparare. Hoc enim ratio meriti coram Deo poſtulat, vt ſpe rerum inuiſibilium ſanctiſsimæ ſuæ Maieſtati adhęreamus, & decet, vt cultus tantæ Maieſtatis in nullo fluctuet, ſed firmiſsimo fundamento cuiuſmodi fides eſt innitatur, quo pertinet quod de Ciuitate Dei ſcriptum reliquit Beatus Auguſtinus, totum quod nobiſcum agitur per nouum teſtamentum nōn pertinere niſi ad ſæculi noui hæreditatem nouam. Nam ſi regenerationis ſacramentum continuo ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides eneruaretur quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur, qua etiam de cauſa, tradit in eodem volumine, bona malaque temporalia hic iuſtis & iniuſtis eſſe communia, vt non cupide vel ſeruiliter, ſed piè diſcamus ex fide viuere. Qua ratione filij noui teſtamenti à carnali Iſrael & Synagoga veteris teſtamenti differunt. Tertia ratio eſt, quoniam non ex

21. de ciuit. Dei cap.15. & lib.13.c. 4 li.1.ca. 8.

3. Ratio.

noſtra voluntate, ſed pro Dei voluntate Deũ colere debemus, atque ijs ritibus ſacramentis, ſacrificijs & virtutum officijs quæ Deus inſtituit, conſulit vel præcipit nos exercere, in quibus cum ſenſum & rationem excedũt, fide nos ambulare, & quę iuſtitiæ ſunt officia præſtare debemus. Quibus clariſsimè cõſtat, iuſtum inprimis eſſe debere fidelem, primumque in eo quod cæteris fundamentum ſit opus eſſe, quod credit Deo, atque adeo iuſtitiam qua hic promeremur Deum operatiuum eſſe ex fide, quoniam, vt ſæpè dictum eſt, iuſtus ex fide viuit. Iam facilior eſt ad a-
4. quæſtio liam difficultatem reſponſio. Quomodo videlicet Iacobus Apoſtolus tam grauiter aſtruat hominem iuſtificari ex operibus & Paulus tam conſtanter opera videatur abnuere. Vis ſcire ô homo inanis quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare, & cæt.
Rom. 4. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum: Paulus verò: Si Abraham inquit ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Sicut & Dauid dicit: Beatitudinem hominis cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus.
Aug. qu. 76. & 80. in præfa. pſal. 31. de ſpiritu & lit. ca. 29. Quam difficultatem luculenter explicat D. Auguſtinus quæſt. 76. & 80. & in præfatione pſalmi 31. Cum enim Iacobus bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit de operibus ſe loqui quæ fidem ſequuntur & ex fide procedunt.

Quod

Quod enim Abraham filium ſuum Iſaac obtulit (pro quo opere tantopere à Deo commendatur) hoc ipſum ex fide proceſsit, quæ priori loco tanquam omnium operum iuſtitiæ fundamentum in Abraham antea laudata fuerat. Sicut ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Sicut & Raab Meretrix cum nuntios Iſraeliticos piè reciperet & cuſtodiret, etiam ex fide factum eſt, qua dicebat: Dominus enim Deus veſter, ipſe Deus in cœlo ſurſum & in terra deorſum. Vnde vtrumque horum Apoſtolus ad Hebræos fidei tribuit: fide inquiens obtulit Abraham cum tentaretur, fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace, qui proinde ex operibus cum neget nos iuſtificari & opera fidei commendet, de operibus intelligi debet quæ nuda & ſola ſunt opera, quibus non eſt admixta vel ſubſtrata fides, quæ facta tantum ſunt quædam, neque pietate & humilitate fidei nituntur: eiuſmodi ſanè opera nihil ad iuſtitiam conferunt, quibus neque ad impetrandam iuſtitiam diſponimur, neque in obtenta iuſtitia proficimus, quoniam vel propter intentionem peccata, vel propter defectum fidei coram Deo vana & inania ſunt. Cum igitur Beatiſsimum Paulum Apoſtolum de iuſtificatione ſcribentem perverſè quidam intelligerent, & ad ſua deſideria (vt Petrus ait) ſcripturam eius detorquerent, quaſi ad fidelem iam non pertineat benè & iuſtè viuere, hunc peſtiferum

Ioſue 2.

Hebr. 11.

2. Petr. 3.

errorem corrigens Iacobus Apoſtolus Paulũ interpretatur: eum quidem docere idq; rectiſsimè quod ex fide iuſtificamur, ſed nõ ex fide ſola, ſed ex fide viua & huiuſmodi fidei operibus. Sicut de omnibus iuſtis legitur: Sancti per fidem vicerũt regna, operati ſunt iuſtitiam. Pulcherrimè de his diſſerit alibi B. Auguſt. Noſtra fides hoc eſt Catholica fides iuſtos ab iniuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, quia iuſtus ex fide viuit, per quã diſcretionem fit vt homo ducẽs vitã ſine homicidio, ſine furto, ſine falſo teſtimonio, ſine appetitu rei vllius alienæ, parẽtibus debitum honorem reddens, caſtus vſque ad continentiam ab omni omnino concubitu etiam coniugali, eleemoſynarũ largiſsimus, iniuriarum patientiſsimus, qui non ſolum non auferat aliena, ſed nec ſua repoſcat ablata vel etiam venditis omnibus ſuis erogatiſq; in pauperes nihil ſuum proprium poſſidet, cum ſuis tamen iſtis velut laudabilibus moribus, ſi non in Deum fidem rectam & catholicam teneat, de hac vita damnandus abſcedat. Alius autem habens quidam opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamẽ ita vt ille bene moratus &c. Nempe iſte qui moribus iſto videtur inferior propter rectam fidem, quæ illi eſt in Deum, ex qua viuit & ſecundum quam in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, ſibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atq; ab ipſo ſumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem rectè

B. Augu. li.3.cõt. 2. epiſtol. Pelag.

rectè factorum, de hac vita liberandus & in conſortio cum Chriſto regnantium recipiẽdus emigrat, quare? niſi propter fidem quæ licet ſine operibus neminem ſaluat, ipſa enim eſt non reproba fides quæ per dilectionem operatur, tamen per ipſam etiam peccata ſoluuntur, quia iuſtus ex fide viuit, ſine ipſa vero etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur: Hæc ille. Quibus omnibus clariſsimè conficitur & oſtenditur chriſtianam iuſtitiam qua coram Deo vere iuſti ſumus & reputamur, non eſſe otioſam, ſed talem quæ ex fide operetur, quæ ex fide impetratur & in fide exercetur. Vnde D. Apoſtolus conſequens eſſe vult, nos gratis iuſtificari, nihilque eorum quæ iuſtificationem præcedunt (vt eſt in Sacro Concilio Tridentino) ſiue fides ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promereri, quoniam fides omnes ex Adam natos ſeu filios hominum agnoſcit primum fuiſſe impios, & ſine Chriſti gratia non niſi impiè viuere, adeoque iuſtitiam qua ab impietate iuſtificentur, nullo ipſorum merito, ſed per mortem & redemptionem Chriſti à credentibus ad Chriſtum confugientibus impetrari, reſpectu vero gloriæ ſeu vitæ æternæ in eo qui nunc iuſtus eſt, merita quidem ſecundum ſcripturas agnoſcit, quia iuſto merces magna nimis in Deo repoſita eſt, ſed talia merita quæ fidei innituntur, qua per Chriſtum agnoſcimus nos bene operari, & vitam æternam in nomine ipſius pro noſtris operi-

operibus expectamus, quoniam vita æterna tamquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa eſt & tamquam merces ex ipſius Dei promiſsiōe bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Quamobrem quæ Paulus de operibus potiſſimum 4. cap. ad Romanos diſſerit, vnde hæretici præcipuum fallendi fucum accipiunt, ſic accipiēda ſunt (vti diximus) vt fides ab illis ſecernatur & opera ſine fide Chriſti facta intelligantur, in quibus neque intentio aut effectus laborantis neque gratia vel miſericordia eius cui laboratur, ſed factum ſolum & id quod agitur tantum attenditur. Quomodo dicit Apoſtolus, ei qui non operatur, id eſt, non nititur ſine fide operibus, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Reputatur inquam non ſicut Lutherus vel cōfeſsioniſtæ putāt, quaſi non verè iuſtus fiat, ſed tantum æſtimetur, ſed quoniā vero & recto Dei iudicio iuſtus efficitur, & vt verè iuſtus à Deo æſtimatur, & coram ipſo reipſa iuſtus habetur. Nam iſtud quo ſæpius Paulus vtitur, reputatur, nō ad fictionem vel ſimulationem pertinet, ſed iudicio humano opponitur, quoniam multi, ſicut olim ſcribæ, & Phariſei, corā hominibus iuſti videntur, qui tamē apud Deum iuſti nō reputantur: credenti igitur in eum qui iuſtificat fides illa reputatur ad iuſtitiam, quoniā propter fidem illam verè coram Deo iuſtus efficitur, Deo fidem eius reſpiciente & propter

Cuiuſmodi fuerūt ſcribarū & Phariſæorum.

Rom. 4.

ꝑter Chriſtum vera eum iuſtitia veſtiente & ſanctificante. ſimiliter quod ſequitur, Dauidem dicere beatitudinem hominis cui Deus accepto fert iuſtitiā ſine operibus: Hanc proculdubio ſententiam habet: quod is cui Deus accepto fert iuſtitiam, id eſt, quem vera coram ſe iuſtitia Deus iuſtū reputat & æſtimat; is ſic iuſtificatur & ad hunc ſtatum peruenit; non ex nudis ſine fide operibus, neque ex vllis operum meritis, ſed ex fide qua ad Deum confugit, qui in Chriſto iuſtificat impiū. Hęc enim peruerſa erat Phariſæorum & ſcribarū (contra quos etiam Chriſtus Dominus ſæpe agit) opinio, quod per nuda legis ſacramēta & ſacrificia peccata remitterentur, quodque externa ſeu literalis legis & officiorū virtutis obſeruantia, non attenta fide Chriſti, ad vitam iuſti ſufficeret. Sicut & Græci rationē & naturam ad iuſtè viuēdum ſufficere dicebant, atq; hac ratione redemptionem & gratiam Chriſti vtriq; excludebant. Apoſt. verò contra eos Chriſtum nobis ad iuſtitiam & ad ſalutē prorſus neceſſarium prædicabāt, ſine quo omnes impij, nemo iuſtus, ne infans quidem vnius diei ſuper terram; qui author & conſummator eſt ſalutis & finis ad iuſtitiam credenti. Eodem pertinet quod in eadem epiſtola Paulus ait: ſic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia, quo loco ſicut alibi Paul. loquitur quidem de operibus, quæ ſine fide fiunt, & nuda per ſe facta *Rom. 11.*
quædam

quædam ſunt,ſed ita vt inde conſtitui velit; quod ſalus,id eſt,iuſtificatio gratis & ſine vllo merito cōtingat Chriſtū inuocanti, & ad eius ſacramēta confugienti,quoniā ꝓpterea negatur eſſe in operibus,ſed ex fide, quoniā non merito obliquo obtinetur,ſed per miſericordiam Dei & per Chriſtū impetratur. Sicut ad Titum ait: Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos,ſed per miſericordiam ſuā ſaluos nos fecit. Itaq; tria debet diligens Apoſtoli lector cōſiderare, in quibus Apoſtolicæ doctrinæ cardo vere verſatur. Primum vnde & quomodo vera coram Deo obtineatur iuſtitia per Chriſtū videlicet, per hoc ꝙ in ipſum credentes ipſumq; inuocātes ſacramentis eius initiamur,per quæ ſalutē noſtrā ſtatuit operari. Secūdum quæ coram Deo iuſtitiæ ſit ratio,quiſq; iuſte & recte operandi modus, vt nimirū ex fide agas, qua & intentio dirigitur & omnis præſumptio,ex opere ſecluditur. Tertiū quod ſtatum iuſtitię nullis ſimpliciter meritis, ſed gratia Chriſti cōſequimur. Nā & de origine iuſtitiæ & forma ſeu modo iuſtitię Paul. diſſerit, quod eā per Chriſtū adipiſcimur & in fide per charitatē operante conſtituitur,quoniam hæc vera eſt Chriſtianæ iuſtitiæ ratio, ſeu forma quod ex fide per charitatem operatiua eſt. Vnde conſequēs efficitur fidem omnium bonorū eſſe fundamentum, ſine quibus ad iuſtitiam per Chriſtū contendimus, ſine quibus in adepta iuſtitia nunc nos exercemus & proficimus, quibus ad gloriam Dei tractatum hunc abſo-

Ad Tit. 3.

lutum

lutum cupimus: orantes eius benignitatem vt in Chriſto Ieſu nos ſemper iuſtos cuſtodiat, & ad vitam in eius nomine ſempiternam perducat.

TRACTATVS DE SANCTIS.

PROPOSITIO.

Firmiter tenendum eſt ſanctos quos colit eccleſia omnes cum Chriſto regnare in cœlis atq; preces ad ipſos directas cognoſcere & per eorum merita recte Deum interpellari.

NON contra hæreticos qui ſanctos vel regnare in cœlis, vel inuocandos eſſe negant, propriè dirigitur iſta ſententia, ſed aduerſus quorundam imprudentiam, qui dum ſanctos colunt & inuocant, neſcio quibus ſcrupulis hic detineantur, vt vel de quorundam quos colit eccleſia ſalute dubitent, vel preces forſitã ab eis non cognoſci cõtendant, vel certè merita eorum nobis ſuffragari negent, & per orationes quidem, ſed non per merita eorum Deum interpellari velint, quæ phantaſiæ cũ plurimum officiant pietati & non parum hęreticis patrocinentur, viſæ ſunt mihi diligenti fidei Catholicæ & eccleſiaſticæ traditionis conſideratione diſcutiendæ, & infirmis animis, ſi quibus inhæſerunt, excutiẽdæ.

Depri-

De primo ſcrupulo.

QVod igitur ad primum ſcrupulum attinet, in quo non de eorum qui verè ſancti ſunt beatitudine dubitatur, ſed an omnes quos colit eccleſia) verè ſanctè defuncti ſint, quæritur, ea quorundam [eſt non improbanda ſententia, quod in huiuſmodi nō requiritur analytica & demonſtratiua ſententia, ſed vt aliquis fideliter pro ſancto celebretur ſicut in multis alijs quæ in fidei myſterio facti ſunt, ea tantum requiritur cognitio, quæ in moralibus & particularibus ad bonum æquumque iudicium formandum ſufficit, vbi non Metaphyſicè, quid verum ſit ſpeculamur, ſed quod iuſtum & æquum ſit facere iudicamus: vbi practicus noſter intellectus virtutibus dirigitur, quas ſyneſim & gnomyn appellant, quibus hominis prudentis iudicium, ſententia, & de agendis æſtimatio in ijs quę facti ſunt formatur & dirigitur: Quemadmodum Apoſtolus Philippenſibus ſcribens, ſicut eſt (inquit) mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, Et ad Romanos: Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione repleti omni ſcientia. Et ad Corinth. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo &c. Et rurſus ad Timoth. vt gaudio implear recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in Auia

Thomas Vualden. cap. 121. titulo. 14.

Ariſt. 6. *Ethic. B. Thom.* 2 2. *quæ.* 51.

Philip. 1.

Rom. 15.

1. *Cor.* 1.

2. *Tim.* 1.

tua

tuâ Loide, & matre tua Eunice, certus ſum quod & in te, non quoniam Paulo demonſtratum erat rem ita eſſe, ſed quoniam ex fructibus & circunſtantijs videbat nullam eſſe cauſam hæſitandi, quo minus certò ſic confideret, ſed iuſtum æſtimabat, ita de tali viro ac Romanis & Corinthijs iudicare, ſic ſentire, taleque iudicium ſepoſitis ſcrupulis de ijs formare, taliquè eos loco apud ſe in corde habere; quemadmodum in politicis ſine dubitatione eos pro parentibus & ſuperioribus honoramus, quos communis & conſtans fama noſtros maiores eſſe denunciat; vbi ſtultum foret & cuiuſdam inſaniæ (quoniam Metaphyſica deeſt certitudo) debitam eis obedientiam aut honorem denegare, vel cõſueta ab illis præſidia nolle petere: ad eũdem modum iuſtè mouetur Eccleſia, vt quos illuſtribus virtutum exemplis, & perſpicuis videt clarere miraculis, hos pro ſanctis cum Chriſto regnantibus colat, veneretur & oret, qua ratione iam ab initio Beatiſs. Prothomartyrẽ Stephanum coluit. Deinde Beatiſs. virginem Mariam, Sanctos Apoſtolos, Martyres, Confeſſores & virgines: quorum vita, mors, & quæ diuinitus à morte ſecuta ſunt, eiuſmodi profectò ſunt, vt de eorum honore, & beatitudine nequaquam pia mens dubitare queat. Vnde contra ſanctorum æmulos pulchrè Beatus Ambroſius de ſanctorum Geruaſij & Protaſij (quorum corpora inuenerat) honore & feſtiuitate loquens: celebritati veſtræ (qui ſolent) inuident atq; *D. Ambr. ſerm. 91. epiſt. vlt.*

amentiæ in tantum prodeunt, vt negẽt martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Ariani dicunt, non ſunt iſti martyres, nec torquere Diabolum poſſunt, nec aliquem liberare cum tormenta dæmonum ipſorum voce probentur & beneficia martyrum remedijs cœcorum & abſolutorum iudicijs declarentur: negant cœcum illuminatum, ſed ille non negat ſe ſanatum, dicunt dæmones martyribus: veniſtis perdere nos? Ariani dicunt non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacum ſe eſſe ſimularet: quid illud quod ita exagitari eos videmus quibus manus imponitur vbi hic locus fraudi eſt? vbi ſuſpicio ſimulandi? ſed non ego ad ſuffragium martyrum vſurpo vocem dæmoniorum, beneficijs ſacra paſsio ſuis comprobetur, habet iudices ſed purgatos, habet teſtes ſed abſolutos: melior vox eſt, quam ſanitas loquitur, eorum qui debiles aduenerunt. Quare impium eſt iuxta Beatum Hieronymum quærere, an diuinum ſit, quod modo vides eſſe diuinum, & rationem poſcere cum per Dei virtutes neceſſe ſit confiteri: ſiquidem his rationibus de Prophetarum & Apoſtolorum quæ fidei ſunt fundamenta nobis ſanctitate conſtant: videlicet ex ſanctiſsimæ vitæ fructibus & exemplis, & quibus diuinitus ea comprobata eſt miraculis & virtutibus. Qua conſideratione olim non ſolus

Hierô. de Viro perfecto.

Romnus

Romanos Pontifex, ſed ſingula fere in ſua quiſque diœceſi Epiſcopi Martyrum dies annotabant, & ſolemni commemoratione celebrabant: Quemadmodum apud Diuum Cyprianum, & Beatum Auguſtinum perſpicere licet. Cæterum poſtea frigeſcente charitate (vnde & facilis error eſt & rarò iam fit vt quis in pietate excellenter emineat) rectè ab eccleſia ſtatutum eſt, ne quem pro ſancto abſque authoritate Romanæ eccleſiæ veneremur. Et hinc nunc quæritur an non maior certitudo ex Pontificis Canonizatione naſcatur, quam quiuis prudens & doctus Epiſcopus & probata vitæ excellentia & miraculis ſancti declarare poteſt: Ad quam quæſtionem Diuus Thomas reſpondens; quoniam inquit honor quem ſanctis exhibemus quædam profeſsio fidei eſt, piè credendum eſt, quod nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſsit, vbi quod dicit (piè) non videtur ad dubitationem vel formidinem aliquam pertinere, ſed dicit pie credendum eſſe, quoniam pietas exigit vt ſic credatur. Nam hæc vnica eſt eccleſiæ ſolicitudo, ne quando aliquem ſanctorum catalogo, adſcribat in tanto negotio aberret. ſicut enim in cauſis fidei, ita tãta hic diligentia & maturitate cum orationibus proceditur, vt iudicium quo ſanctis decernitur, velut diuinum & prorſus certum videri & haberi debeat, ad hoc enim tanta ſolicitudo tendit, ne in hoc iudicio & declaratione erretur; ſed certa ſententia populo Chriſtianō

B. Cypr. li. 3. epi. 6 li. 4. epi. 5

B. Augu. in collation. diei tertij cõt. Donatiſtas.

Extra de reliquijs & veneratione ſanctorũ, Audiuimus & cũ ex eo.

Quaſtio.

B. Thom. quodl. 9. art. 16.

proponatur. Vbi ſanè ſi pontifex erret, iam licet non in Catholica fide, in moribus tamen errabit, quando non ſolum probabili vel certa fiducia hominem ſanctum pronunciat. Sed vt verbis Canonizationis vtar: ad honorem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ religionis augmentum, authoritate omnipotentis Dei decernit & definit bonæ memoriæ N. ſanctum eſſe & ſanctorum catalogo aſcribendum, ipſumque catalogo huiuſmodi aſcribit, ſtatuens vt ab vniuerſali eccleſia Anno quolibet certo die feſtum ipſius & officium, ſicut pro vno ſancto deuotè & ſolemniter celebretur. Quæ ſanè videtur quædam temeritas & præſumptio, niſi traditum ſibi pia Mater Eccleſia intelligeret, quod etiam in huiuſmodi ſententijs per ſpiritum ſanctum dirigitur: Nam ſicut in ſanctorum librorum canonizatione certè credendum commendatur, quidquid ſacris iſtis codicibus continetur: ita in huiuſmodi hominis alicuius ſancti declaratione fides & vita huius perſonæ toti eccleſiæ imitanda proponitur: vnde quemadmodum eccleſia in iudicio quo ſacros nobis libros decernit, errare non poteſt: ſic etiam in huiuſmodi ſanctorum deſignatione credendum eſſe exiſtimo, tum quoniam valde turpe & diabolicæ fraudis eſſet hominem pro ſancto colere, qui forte iacet in inferno, tum quia fides etiam periclitaretur, dum certò fides & vita eius imitanda proponitur, de cuius fi-

Verba canonizationis ex li. 1. de ceremo. Rō. eccleſia.

Cap. Audiuimus de reliquijs.

ius fidei & vitæ integritate formidari poſſet. Quamobrem ſana ac veriſsima mihi videtur ſententia D. Iohannis Neapolitani, qui in ſuis quæſtionibus abſolutè pronunciat, Papam in huiuſmodi errare non poſſe, quod & ex inuocatione ſanctorum confirmari poteſt. Nam non ſolum orbi proponuntur, vt fidei & morum publica ſpecula & exempla, ſed etiam vt communes & publici eccleſiæ patroni, in quorum ſuffragijs & adiutorijs magna fiducia poni debeat: quomodo verò (ſicut Paulus ait) inuocabunt in quem non crediderunt? quare fides aliqua & certa cognitio in eccleſia haberi debet, priuſquam ſanctum aliquem colat vel inuocet. Non eſt igitur cur de aliquo vel minimo ſancto dubitetur, quem ſancta Romana colit eccleſia, quoniam qui eccleſiam ſuam diligit & eccleſiæ conſuetudinem & authoritatem nobis in omnibus commendat, non patitur vt in hoc negotio tam turpiter & periculoſe erret, quoniam error iſte, ſicut nunc diximus, in mores, & etiam in fidem haud paruam maculam, turpitudinem & temeritatem infert. De moribus perſpicuum eſt: quoniam valde ignominioſum, vti diximus, eſt definitè pro ſancto colere, qui forte in inferno ſepultus eſt. De fide vero, quoniã hic cultus eſt profeſsio quædam, qua hunc piæ memoriæ virum, & omnes qui ſimili ſtatu decedunt, cum Chriſto regnare credimus & profitemur, quod tamen falſum eſt, ſi de eius ſalute dubitare licet. Pro-

Apud Antoninum.

Rom. 10.

prerea ſicut in corpore Eccleſiæ membris
1. Cor. 12. quibuſdam à ſpiritu datur gratia, qua ſpiritus diſcernant: Alij (inquit) diſcretio ſpirituum: ita multo magis credendum eſt hoc donum ipſi eccleſiæ non deeſſe, quo dirigitur, ne in officio & cultu diuino tantum decipiatur. Verum quidem eſt quod habet Sapiens: neminem ſcire an amore an
Eccleſ. 9. odio dignus ſit, quodque Paulus aſtruit neminem ſcire quæ in homine ſunt, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt, ſed hæc de priua-
1 Cor. 2. to hominum iudicio accipiuntur dum viuunt. Et non de publica eccleſiæ ſententia poſt mortem quæ ex diuina authoritate quę certò per miracula patet, ſimul & conformi vitæ excellentia & integritate per vicarium Chriſti eius authoritate pronunciatur. Ob-
B. Augu. li. de ciu. Dei c. 26. ijcitur interim Diuus Auguſtinus, qui de quibuſdam fœminis martyribus dubitare videtur quæ tempore perſecutionis vt inſectatores ſuæ pudicitiæ effugerent in rapturum & necaturum ſe flumen proiecerunt, eoque modo defuncti ſunt. Cæterum qui locum diligenter inſpiciunt, poſſunt conſiderare, Beatum Auguſtinum non de earum ſalute dubitare, quas ſpiritu vt ſic facerent afflatas fuiſſe credit, ſed de modo, quo vt ſic eas plebs Chriſtiana honoraret, primum adducta fuit. De his, inquit, nihil temerè audeo iudicare, vtrum eccleſia aliquibus fide dignis teſtificationibus vt earum memoriam ſic honoraret, diuina perſuaſerit authoritas, neſcio, & fieri poteſt vt ita ſit. Videntur

dentur autem iſtæ fuiſſe Pelagia & mater eius ac ſorores Sophonia & ſimiles, de quibus præclarè Diuus Ambroſius libro tertio de virginibus, & Euſebius libro octauo, capite duodecimo, qui patres lapſum illum fœminei pudoris charitate & ardore ſpiritus tectum & abſorptum eſſe volunt.

De ſecundo ſcrupulo.

SECVNDVS ſcrupulus eſt: An ſancti preces ad ſe directas certò cognoſcant, ſic enim ſpeculantur nonnulli, & velut concedunt quaſi honor & inuocatio ſanctorum ſine eorum cognitione rectè defendi & ſuſtineri queat: Sifficere enim aiunt, Deum propter quem ſancti orantur, iſta cognoſcere, qui humilitaté & pietatem eccleſiæ in iſtis reſpiciens, propter ſanctos eam exaudit. Quam hæſitationem dolendum eſt etiam Hugoni de ſancto victore, viro alioquin egregio, non tamen (vt ſcholæ loquuntur) allegabili incogitanter obrepſiſſe. Aduerſus quam imaginationem primum annotandum eſt, quod vtcumque forma inuocationis, qua ſanctos conſueuit eccleſia inuocare, figuratè ſuſtineri & defendi queat, hoc tamen catholici ex eccleſiæ traditione in conſcientijs ſuis experiuntur & ſentiunt, quod ſanctos velut audientes & conſcios honorant, diligunt, alloquuntur & inuocant: ea inquam mente, vt non ſolum Deum

Lib. 2. de ſacram, partis. 16. cap. Vlt.

per ſanctos intendant orare, ſed etiam ipſos ſanctos alloqui, vt ipſi qui Deo propinquiores & gratiores ſunt, ipſum pro nobis interpellent. vndecumq; enim acceperit, teſtatur tamen hoc pia eccleſię erga ſanctos deuotio, quod in ſuis neceſsitatibus ad ipſos ſanctos pro illorum ope, auxilio, & ſuffragijs non generatim duntaxat, ſed ſpeciatim ad hunc & ad illum velut præſentem & audientem ſe conuertat. Quemadmodū de cuiuſdā erga ſanctum Hilarionē pietate teſtatur Hieron. quod erat ſolita peruigiles in ſepulchro eius noctes durare, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari: qua de re poſtea adhuc volente Deo latius. Secūdo obſeruandum eſt quod illud ſit, quod ab hæreticis in hoc argumento eccleſia patiatur, & quod contra eoſdem dēfendat. Quando enim primi illi ſanctorum aduerſarij Eunomius, Euſtachius, Vigilantius, & Fauſtus ſanctorum memorias & vigilias quæ in eorum Baſilicis ſeruabantur, damnabant, hoc potiſsimum obijciebant: quod ſancti vel in ſinu Abrahæ vel ſub Ara poſiti, ſuis non poſſint tumulis, nec vbi voluerint, adeſſe præſentes, atq; hoc proprie in eccleſia arguendo irridebant, vt conſtat ex Hieronymo: quaſi cineres ſuos amant animæ martyrum, & circumuolant eos, ſemperq; præſentes ſunt, ne forte ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſunt. Vnde idem & noſtri tēporis Hæretici velut idololatriam eccleſiæ impingunt, quod creaturam quaſi vbiq; præ-

Hier. cōt. Vigilan.

ſentem

ſentem(quod Deo proprium eſt)colat & veneretur. Quibus calumnijs, & ſannis quando reſpondent ſancti, non hęrent, neq; ſcrupulo aliquo tergiuerſantur, vt ad tropos aliquos ſeu figuras confugiant, ſed cõfidenter, & manifeſtè proclamant, Dei virtute, quo pleni ſunt, id fieri, & vbiq; quæ ad honorem eorũ fiunt & contumeliam quaſi præſentes conſiderent, vt ſuis interpellationibus remunerent. Tu, inquit Hieronymus contra Vigilãtium, Apoſtolis vincula inijcies, ſi agnus vbique, ergo & hi qui cum aguo ſunt vbiq; eſſe credendi ſunt: non quod vbique perſonaliter in loco exiſtant, ſed quia ex cœlis omnia vbique conſpiciunt. Vnde viri ſancti quibus hoc aliquãdo obiectum eſt, quaſi ſanctos noſtra ignorare tenerẽt, id velut Vigilãtij peruerſitatem abominati ſunt, vti locuples nobis teſtis eſt Hildebertus Epiſc. Turonenſis: is enim hæretico cuidam ſcribẽs: Tu quoque, inquit, tamquam doleas obliuione ſuppreſſam Vigilantij peruerſitatem, ſuſcitare eum perhiberis, ais enim vt aiunt, quid in iſta vita geratur, ſanctorum animas ignorare, atque ideo ocioſas eſſe letanias quibus oramus, vt pro nobis orent ſancti. quia nec audiunt nos, nec nouere quid agatur apud nos: qua videlicet ſanctorum iniuria eo grauius anima mea vulneratur, quod quibuſdam dixiſſe diceris me idipſum ſentire. Et paulo poſt. Quis ſanctorum tuæ huic adſtipulatur doctrinæ? nunquid eſt tibi authoritas qua mihi ſilẽtium imponas? ſentio enim, ſentio,

Epiſt. 46.

Apud D. Garetiũ & Thom. Valden. cap. 108. titul. 12.

 & dico

& dico animas ſanctorũ iam cũ Chriſto regnantes ſcire quid agatur à nobis, & eaſdẽ cum oporter & expedit orare pro nobis. Quã fidẽ ſuã mox ſententia Greg. (de qua nos poſtea) cõfirmat. Et D. Guido Carmel. de Vualdenſ. errorib. ſcribens: dicunt (inquit) ꝙ ſancti in cœlo non audiunt orationes noſtras, nec pro nobis orant. iſtud ipſum intendit B. Auguſt. quãdo calũnijs reſpõdens Fauſti hęretici (dicentis, ꝙ Idola in martyrũ memorias cõuertiſſet eccleſia) aſtruit, ꝙ populus Chriſtianus martyrũ memorias religioſa ſolẽnitate concelebrat, vt eorũ orationibus adiuuetur, atq; eo cultu dilectionis & ſocietatis eos colit, quo & in hac vita coluntur ſancti hoẽs Dei, quorũ cor ad talem pro euangelica veritate paſsione paratũ eſſe ſentimus, ſed illos tãto deuotius, inquit, quãto ſecurius, poſt incerta omnia ſuperata: ſimiliter quando ſacra Cõcilia decernunt bonũ atq; vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare, ad eorũ orationes, opem, auxiliumq; confugere, & impiũ eſſe pronunciant ſi quis ſtultũ eſſe dixerit in cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare; cognitionẽ ſanctorũ aſtruunt & confirmant: qua enim prudentia opem illius implorabimus, aut ad auxiliũ illius ſupplicãdo confugiemus, qui nõ audit neq; cognoſcit? ſicut Proph. ipſe Helias riſu dignũ æſtimabat inuocare Baal, qui nõ audiret. Ad hęc nemo de angelis, quin noſtra vbiq; cognoſcãt, dubitare poteſt: nõ tantum quia reb. humanis frequenter interſunt (non enim omnes iuxta Dionyſium egrediuntur

Thomas Vualden. titul. 12. ca. 108. de ſanctis orandis.

Libr. 20. cõt. Fauſ. cap. 21.

Concil. Trident. 25. ſeſſ.

3 Reg. 18.

untur,neq; qui egrediũtur ſemper extra cœlum ſunt aut ſimul diuerſis locis præſentes eſſe poſſunt,neq; etiã mentib. noſtris ſuapte natura illabi, vt ea quæ ſpiritus noſtri ſunt per ſeſe cognoſcunt) ſed quoniam vt manifeſtè Dñs in Euangelio inſinuat, ſemper vidẽt faciem patris,qui in cęliseſt:propterea enim monet Dominus,ne quem ex puſillis contẽnamus,quia vereri debemus offenſam angelorum,qui vt tutores & cuſtodes illorũ aſſiſtunt in cœlis patri,quo vindictam in cõtem ptis impetrent.Sic Raphael antequam ad iuuandũ Tobiam egreſſus eſſet, aſtãs ante dñm obtulit orationem eius Dño:quando,inquit orabas cũ lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuũ,& mortuos abſcondebas per diem,in domo tua,&nocte ſepeliebas eos: manifeſtè ſignificans, ſe ſingula perſpicuè cognouiſſe quemadmodũ & alij angeli apud Daniel.cap.9.& 10.ipſius Danielis orationes & ieiunia priusq̃ ad ipſum Danielem mitterentur,ſibi nota fuiſſe declarãt: ſicut & eleemoſynas Centurionis eoſdẽ nõ latuiſſe acta Apoſt.teſtantur,quã eandem Angelorum ſcientiã Apoſt. diſcipul. ſuo Timoth.ob oculos objjciẽs: teſtor, inquit,corã Chriſto Ieſu & electis angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio:ꝙ niſi angeli ſimul ſcirent,nequaq̃ eos teſtes cũ Chriſto inuocaret, Quod.n.dicit corã electis angelis, perſpicuè arguit ipſos Angelos noſtra clare &euidẽter aſpicere.Quod & Sapiẽs inſinuat, quãdo ait, ne dederis os tuũ vt peccare facias carnẽ tuã neque

Matt.18.

Tobiæ 12.

Acto. 10.

Timot. 5.

Eccleſ. 5.

neque dicas coram angelo: non eſt prouidē-
1. Cor. 11. tia. Et rurſus Paulus, quando mulieres velatas eſſe vult propter Angelos: Vnde Dominus ipſe pronunciat gaudium eſſe coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam
Luc. 15. Gene. 48. Tob. 5. agente. Gaudium enim ſine cognitione eſſe non poteſt. Quapropter Patriarcha Iacob Angelum ſuum velut ſcientem & audiētem inuocat: Angelus, inquiens, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. & Tobias: Angelus eius comitetur vobiſcum: Similiter & Iohannes ſciens quod multa apud Deum poſſent: Gratia vobis & pax, inquit, ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt. Quæ precatio non obſcuram habet formam inuocationis, qua gratia angelorum pro alijs imploratur. Cum itaq; ſan-
Matt. 22. cti, quod ad animas ſuas attinet, iam ſimiles ſunt angelis in cœlis, & ſimiliter faciem ipſius in cœlis contemplantur, eiuſdem cum ipſis curiæ & conſiſtorij participes, quis de eorum cognitione ſcrupulus reliquitur? Nā ſicut angeli, ita & ipſi ſancti orationes no-
Apocal. 5. ſtras Deo offerunt & commendant, ſicut de quatuor animalibus & viginti quatuor ſenioribus, quos conſtat fuiſſe homines, diſerte conteſtatur Iohannes, quod ciciderint coram agno habentes ſinguli citharas & Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: cui ſimile eſt quod poſtea capite octauo de angelo legitur. Vnde Dominus apud Lucam volēs ſignificare gau-

dium,

dium quod ex vno peccatore pœnitentiam agente cõcipitur, omnibus ſanctis eſſe commune ſine diſcrimine & diſtinctione perſonarum. Dico vobis (inquit) quòd ita gaudiũ erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta nouem iuſtis qui nõ indigent pœnitentia. Vbi quod vrget ſua prouidentia ſuper vno peccatore & nonaginta nouem iuſtis, apertè ſignificat, ſanctos non generatim duntaxat cognoſcere multos conuerti & ſuper eorum pœnitentia gaudere, ſed in ſpecie quotieſcunque hic vel ille, vel tot numero homines conuertuntur, hoc ab illis particulatim cognoſci, & ſicut ſuper illo gaudent, ita qua vigent charitate, precibus ſuis etiam promouent & perficiũt. Sicut rectè ex eorum perſona dictum licet accipere, quod beatis nunc & perfectis eccleſiæ membris de noſtra imperfectione loquẽtibus tribuit Salomon, quando eos de imperfecto aliquo pœnitente loquentes introducit: ſoror noſtra paruula eſt, vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ, in die quãdo alloquẽda eſt? ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis: vt ob id rectiſsimè à Concilio inſinuatum ſit, ſanctos pro nobis etiam ſingulis orare, quod ſine ſpeciali ſingulorum cognitione fieri nõ poteſt, quam equidem de ſanctorum cognitione ſententiam Patres & Eccleſia videtur ex ipſa beatitudinis (quam adepti ſunt) conditione concepiſſe; quia enim is ſtatus eſt felicitatis

Luc. 15.

Cant. 8.

Seſſ. 25. Cõc. Trid.

licitâtis & vitæ beatitudinis, vt omnium bonorum aggregatione perfectus ſit & nihil deſit quod naturaliter deſiderari queat, & habeat fęlix quicquid vult, certè beatus eſſe nõ poteſt, qui ea quæ ad ipſum pertinent nõ co-

Durand. gnoſcit, neq; amicis ſufficere poteſt. hoc enim rectè & ordinatè cupimus, vt quę ad nos pertineant cognoſcamus, & non ſolum nobis, ſed etiam proximis naturali ac vera dilectione bonum volumus, multo magis ijs qui nobis pro ſua conditione bene volunt & honorem impendunt. Quare ſic conſtrictum eſſe vt ſuos quis amicos & qui eum honorant non nouerit, neque illis in ſpecie ſuffragare poſſe, pugnat cum ipſo ſtatu beatitudinis. Deinde hoc ipſum eſt, quod ſanctos in facie diuinæ Maieſtatis delectat, quod ſuæ prouidentiæ (quæ ad omnia & ſingula ſe extendit) ordinem & cauſas ſeu rationes intuentur, pleneque ſciunt, quæ hic vt recondita myſteria mirabantur, & naturaliter ſcire deſiderabant: omnibus enim natura comparatum eſt, vt donec ad plenitudinem ſcientiæ perueniant, ſcire deſiderent. Cum itaque in eccleſia militante alij ſunt prophetæ, qui multa ſciant, alij alijs donis polleant, ne iſtinc æmulatio naſcatur, inſtruit & conſola-

1. Cor. 13. tur nos Apoſtolus, quod qui charitatem hic colunt, perfectiſsimè poſtea omnia cognoſcent, quæ iſtic à quibuſcunque Prophetis & habentibus ſcientiam cognoſci & ſciri potuerunt, quia tunc Prophetiæ euacuabuntur & ſcientia deſtruetur, non quia remanebit

quod

quod hic verè cognitum & ſcitum fuit, ſed quia imperfectio iſtius cognitionis ita perficietur, vt quod quiſque hic noſſe potuerit, illius ſcientiæ comparatione nihil ſit: vnde ſubijciens, ex parte, inquit, cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex ex parte eſt, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Cum ergo propheta occultę cordis vt mox cap. 14. idem teſtatur Apoſtolus iſtic manifeſtè cognouerint & quæ ipſis abſentibus (vt conſtat de Helizeo) gerebantur, tanquã præſentes coram cernebant, longè perfectius & manifeſtius in ſtatu illo beatitudinis & fœlicitatis eadem ipſa & plura cognoſcuntur. *4. Reg. 5. & 6.* Tametſi enim iuxta philoſophos indiuiduorum & ſingularium cognitio per ſe ad ſcientiæ perfectionem non pertineant, eadem tamen quatenus diuinæ prouidentiæ ſubiacent, & in ea delectabiles & iucundas cauſas reconditas habent, minimè ab oculis eorum qui ſtatum illum aſſecuti ſunt, ſecludi poſſunt, cum verè nihil beatius exiſtat, quam in Deo ſuæ prouidentiæ rationes perſpicere. Quibus accedit, quod (vt habet ſcriptura) cum Chriſto iudice in throno Patris ſui conſident & de omnibus cum ipſo dijudicant, qui vicerit, inquit, dabo illi ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & conſedi cum patre meo in throno eius. *Apoc. 3.* Quem locum Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium reſpiciens, martyres, inquit,

Eccleſiaſ. hiſt. lib. 6 cap. 32. cum Chriſto in cœleſtibus regnant, & cum eo de lapſis iudicant. Sicut & Cyprianus de innocentibus loquens, hi, ait, à cunabulis in cœlum translati, facti ſunt ſupremi capitolij ſenatores & iudices nonnullis veniã obtinentes meritis, aſsiſtuntque miſerationibus & vltionibus diuinis: *Apoc. 4.* Et qui Apocalypſim diligenter inſpicit, hãc videt partem eſſe ſortis ſanctorum, vt cum ipſo agno omnia diſponant, omnibus agni conſilijs interſint, eorumq́; executioni velut authoritatẽ habentes cum Chriſto præſint: hinc viginti quatuor illi ſeniores in circuitu ſedis ſuper ſedilia viginti quatuor circumamicti veſtimentis aureis, & in capitibus eorum coronę aureæ, ſimiliter & quatuor animalia plena oculis ante & retro: qui cum cap. 5. ſe redemptos eſſe cum ſanguine agni, ex omni tribu, lingua, & periculo, & natione con fiteantur: atq; ita homines fuiſſe conſtat, omnia tamen quæ in libro ſcripta ſunt, Dei iudicia & agni vident, & B. Apoſtolum de illis inſtruunt, & quod amplius eſt, ipſis angelis executionem committunt. Siquidem cap. 15. legitur vnum de quatuor animalibus dediſſe ſeptem angelis, ſeptem phiolas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum. Viderunt *Pſal. 121.* hanc gloriam ſanctorum Dauid, quando ad cœleſtem Hieruſalem anhelãs; illuc, inquit, aſcẽderunt tribus, tribus Dñi, teſtimonium Iſrahel, ad cõfitendum nomen Domini, quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Vnde mox ad inuocationem

ſancto-

ſanctorum nos inuitans, rogate, inquit, quę ad pacem ſunt Hieruſalem: vbi Hieruſalem (vt ex Græcis ſeptuaginta patet) accuſandi eſt caſus, ſicut Pſalmo præcedente in ſpiritu eccleſię loquens: Leuaui oculos meos in mõtes, id eſt ſanctos in cœlis, vnde veniet auxilium mihi, Propterea ſuperna illa benedicta & glorioſa ciuitas Dei rectiſsimè à B. Augustino curia nuncupatur. geritur namque, inquit, ibi cura de nobis, ad quam à nobis iuxta ſcripturam aſcendunt & deinde ad nos deſcendunt angeli Dei, qui nobis iuxta verbum in ſanctiſsimo illo conſiſtorio concluſa opitulentur. Paul. vero charitatẽ eius reſpiciẽs eà matrem noſtram appellat, illa inquit, quę ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt quæ eſt mater noſtra: cuius communione nos conſolatur, & magnam fiduciam addit idem Apoſtolus ad Hebræos: acceſsiſtis, ait, ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiã, & eccleſiam primitiuorũ qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem quam Abel: quaſi dicat: iam timere non debetis ſicut illi, quibus ignis maximus in monte apparuit, quibus tãtum patrocinium in cœlis eſt cõſtitutum. quod enim dicit (acceſsiſtis) communionem ſignificat, quà non ſolum ciues & domeſtici illis adiuncti ſumus, ſed qua etiam illi nobis propinqui facti

Li. 10. c. 7 de ciuit. Dei.

Gene. 78.
Galat. 4.

Hebr. 12.

Eccleſiaſ. hiſt.lib.6 cap.32. cum Chriſto in cœleſtibus regnant, & cum eo de lapſis iudicant. Sicut & Cyprianus de innocentibus loquens, hi, ait, à cunabulis in cœlum translati, facti ſunt ſupremi capitolij ſenatores & iudices nonnullis veniã obtinentes meritis, aſsiſtuntque miſerationibus & vltionibus diuinis: Et qui Apoca- *Apoc.4.* lypſim diligenter inſpicit, hãc videt partem eſſe ſortis ſanctorum, vt cum ipſo agno omnia diſponant, omnibus agni conſilijs interſint, eorumq́; executioni velut authoritatẽ habentes cum Chriſto præſint: hinc viginti quatuor illi ſeniores in circuitu ſedis ſuper ſedilia viginti quatuor circumamicti veſtimentis aureis, & in capitibus eorum coronę aureæ, ſimiliter & quatuor animalia plena oculis ante & retro: qui cum cap.5. ſe redemptos eſſe cum ſanguine agni, ex omni tribu, lingua, & periculo, & natione confiteantur: atq; ita homines fuiſſe conſtat, omnia tamen quæ in libro ſcripta ſunt, Dei iudicia & agni vident, & B. Apoſtolum de illis inſtruunt, & quod amplius eſt, ipſis angelis executionem committunt. Siquidem cap.15. legitur vnum de quatuor animalibus dediſſe ſeptem angelis, ſeptem phiolas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum. Viderunt *Pſal.121.* hanc gloriam ſanctorum Dauid, quando ad cœleſtem Hieruſalem anhelãs; illuc, inquit, aſcẽderunt tribus, tribus Dñi, teſtimonium Iſrahel, ad cõfitendum nomen Domini, quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Vnde mox ad inuocationem

ſancto-

ſanctorum nos inuitans, rogate, inquit, quę ad pacem ſunt Hieruſalem: vbi Hieruſalem (vt ex Græcis ſeptuaginta patet) accuſandi eſt caſus, ſicut Pſalmo præcedente in ſpiritu eccleſię loquens: Leuaui oculos meos in mōtes, id eſt ſanctos in cœlis, vnde veniet auxilium mihi, Propterea ſuperna illa benedicta & glorioſa ciuitas Dei rectiſsimè à B. Auguſtino curia nuncupatur. geritur namque, inquit, ibi cura de nobis, ad quam à nobis iuxta ſcripturam aſcendunt & deinde ad nos deſcendunt angeli Dei, qui nobis iuxta verbum in ſanctiſsimo illo conſiſtorio concluſa opitulentur. Paul. vero charitatē eius reſpiciēs eā matrem noſtram appellat, illa inquit, quę ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt quæ eſt mater noſtra: cuius communione nos conſolatur, & magnam fiduciam addit idem Apoſtolus ad Hebræos: acceſsiſtis, ait, ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiā, & eccleſiam primitiuorū qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem quam Abel: quaſi dicat: iam timere non debetis ſicut illi, quibus ignis maximus in monte apparuit, quibus tātum patrocinium in cœlis eſt cōſtitutum: quod enim dicit (acceſsiſtis) communionem ſignificat, qua non ſolum ciues & domeſtici illis adiuncti ſumus, ſed qua etiam illi nobis propinqui facti

Li. 10. c. 7 de ciuit. Dei.

Gene. 78.

Galat. 4.

Hebr. 12.

Eccleſiaſ. hiſt. lib. 6 cap. 32. cum Chriſto in cœleſtibus regnant, & cum eo de lapſis iudicant. Sicut & Cyprianus de innocentibus loquens, hi, ait, à cunabulis in cœlum translati, facti ſunt ſupremi capitolij ſenatores & iudices nonnullis veniā obtinentes meritis, aſsiſtuntque miſerationibus & vltionibus diuinis: Et qui Apocalypſim diligenter inſpicit, hāc videt partem *Apoc. 4.* eſſe ſortis ſanctorum, vt cum ipſo agno omnia diſponant, omnibus agni conſilijs interſint, eorumq́; executioni velut authoritatē habentes cum Chriſto præſint: hinc viginti quatuor illi ſeniores in circuitu ſedis ſuper ſedilia viginti quatuor circumamicti veſtimentis aureis, & in capitibus eorum coronę aureæ, ſimiliter & quatuor animalia plena oculis ante & retro: qui cum cap. 5. ſe redemptos eſſe cum ſanguine agni, ex omni tribu, lingua, & periculo, & natione confiteantur: atq; ita homines fuiſſe conſtat, omnia tamen quæ in libro ſcripta ſunt, Dei iudicia & agni vident, & B. Apoſtolum de illis inſtruunt, & quod amplius eſt, ipſis angelis executionem committunt. Siquidem cap. 15. legitur vnum de quatuor animalibus dediſſe ſeptem angelis, ſeptem phiolas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum. Viderunt *Pſal. 121.* hanc gloriam ſanctorum Dauid, quando ad cœleſtem Hieruſalem anhelās; illuc, inquit, aſcēderunt tribus, tribus Dñi, teſtimonium Iſrahel, ad cōfitendum nomen Domini, quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Vnde mox ad inuocationem ſancto-

ſanctorum nos inuitans, rogate, inquit, quę ad pacem ſunt Hieruſalem: vbi Hieruſalem (vt ex Græcis ſeptuaginta patet) accuſandi eſt caſus, ſicut Pſalmo præcedente in ſpiritu eccleſię loquens: Leuaui oculos meos in mõtes, id eſt ſanctos in cœlis, vnde veniet auxilium mihi, Propterea ſuperna illa benedicta & glorioſa ciuitas Dei rectiſsime à B. Augu ſtino curia nuncupatur. geritur namque, inquit, ibi cura de nobis, ad quam à nobis iuxta ſcripturam aſcendunt & deinde ad nos deſcendunt angeli Dei, qui nobis iuxta verbum in ſanctiſsimo illo conſiſtorio concluſa opitulentur. Paul. vero charitatẽ eius reſpiciẽs eã matrem noſtram appellat, illa inquit, quę ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt quæ eſt mater noſtra: cuius communione nos conſolatur, & magnam fiduciam addit idem Apoſtolus ad Hebræos: acceſsiſtis, ait, ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiã, & eccleſiam primitiuorũ qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem quam Abel: quaſi dicat: iam timere non debetis ſicut illi, quibus ignis maximus in monte apparuit, quibus tãtum patrocinium in cœlis eſt cõſtitutum. quod enim dicit (acceſsiſtis) communionem ſignificat, qua non ſolum ciues & domeſtici illis adiuncti ſumus, ſed qua etiam illi nobis propinqui facti

Li. 10. c. 7 de ciuit. Dei.

Gene. 78.
Galat. 4.

Hebr. 12.

ſunt vt confidenter illos adire & cum fiducia interpellare poſsimus. Quæ omnia perfectam de rebus noſtris cognitionem in ſanctis præſupponunt, vtpote qui ſine tali cognitione inconuenienter de nobis iudicare, neq; maternum affectum erga nos debitè exercere poſſunt. Extant hac de re clariſsimæ Patrum ſententiæ, quas propter ſcrupuloſas iſtas conſcientias paulò latius non pigebit recenſere; Et primum quidem occurrit magnus ille Baſilius, qui in libro de virginitate, virginem ad hunc modum inſtituit: Virgo (inquiens) primum ſeipſam & conſcientiam ſuam reuerebitur, etiamſi maximè vel ſola fuerit, deinde aſtantem cuſtodem angelum, nam angeli ipſorum, inquit, ſemper vident faciem Patris veſtri, qui in cœlis eſt, & non oportet hominem, occultum angeli, cui ſalutis noſtræ cura commiſſa eſt, conſpectum contemnere, & maximè virginem, quæ hunc ipſum velut ducem & cuſtodem ſuæ virginitatis habet, præ angelis autem reuereatur ipſum ſponſum vbiq; pręſentem, & huius patrem & ſanctum ſpiritum: & quid ſingula dico? angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum ſanctos ſpiritus, nullus enim horum eſt qui non vbiq; omnia videat, ipſe quidē corporalibus oculis non cernens, verum in corporali viſu vniuerſa in cognitionem comprehendens. Conſentit huic Ambroſ. qui conſolans viduas & tædium ſolitudinis auferēs, ſcripturarū, inquit, inſtruimur exemplis, infirmitatibus quoq; viduarū

Patrum ſententiæ *Baſilius.* *Ambroſ.*

non

nõ deeſſe ſolere ſubſidia, & ſicut ſocrus Petri & tu habes proximos qui Deo pro te ſupplicent, habes Apoſt. proximos, habes martyres proximos, & paulo poſt: Obſecrandi ſunt angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrociniũ vendicare, poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiãſi qua habuerunt peccata lauerũt, iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumq; noſtrorum. Eadem eſt Gregorij Nazianzeni ſententia, nam de Athanaſio nunc cum Chriſto regnante loquens, Ab alto, ait, (rectè noui) res inſpiciens noſtras, manumque porrigens ijs qui laborant pro bono, & tanto amplius, quanto magis à vinculis eſt liberatus. Et in funere ſororis: Proinde ſi noſtri ſermones vel parumper tibi curæ ſunt, honorque talis ſanctis habetur animabus vt talia reſciſcant: ſuſcipe & tu ſermonem noſtrum: quæ forma loquendi certiſsimè aſſeuerantis eſt. Coniungitur his magnum id eccleſiæ lumen Beatus Auguſtinus: Quiſquis, ait, angelorum diligit hunc Deum, certus ſum, quod etiam me diligit, quiſquis in illo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, quiſquis ipſum habet bonum ſuum in ipſo me adiuuat. De cuius quidem Diui Auguſtini ſententia mox paulo plura. Cyrillus verò, hiſtoriam Epulonis & Lazari pertractans, profe-

Gregor. Nazianzenus in oratione ad eos qui claſſe ex Aegypto venerunt.

Augu. de vera religione, cap. 55.

Cyrillus libr. 9. in Leuit.

Profectò hic locus, ait, manifeſtam eorum cognitionem, quæ ad nos pertinent, in ſeparatis animabus clarè oſtendit. Et Euthimius, ad beatiſsimam virginem: Audi, ait, filia, & vide, & inclina aurem tuam. Vides enim, vides ante pedes pulcherrimæ capſæ tuæ nos oẽs tuũ poſtulare auxilium, exſpectantes tuã defenſionem. Quibus nõ diſsimilia in eandẽ beatiſsimam virginem habet Athanaſius: etiam ſcilicet, audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui neq; noſtri. Pulcherrimè quoq; Prudentius, audiunt, inquit, ſtatimq; ad aures regis ęterni ferunt, inde larga fonte ab ipſo dona terris influunt. Et in Caſſianum martyrem: ſuggere ſi quod habes iuſtum vel amabile votũ, ſpes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas, audit crede preces martyr proſperirmus omnes, rataſq; reddit quàs videt probabiles. Iſtud ipſum ante hos omnes ſenſit & docuit etiam Origenes libro 8. contra Celſum. Qui, inquit, Deum ſummũ placarit, & illius amicos propitios vt habeat ſequitur angelos ſcilicet animaſq; & ſpiritus cæteros beatiores; quippe qui ſimul & ſentiant quinam ſint Dei benignitatem promeriti, nec ſolum ſe hi erga digniores quoſque propicios reddunt, ſed & Deo gratificari volentibus opitulantur; hiſq; & placatiorem hunc faciunt, vnaq; & ſupplicant & precantur. Elegans eſt etiam ſententia & pia profeſsio ſanctæ Anaſtaſiæ martyris, quæ apud iudicem de martyribus differens: nunc, ait,

Euthim.

Athanaſ. in ſermo. de Deipara virgine.

Prudent. in martyres Calaguritanos.

Origenes li. 8. cont. Celſum ſub fine.

Anaſtaſ. martyr.

terrã

terra relicta nos procul vident verſantes in cœleſtibus. Hoc datum eſt à Deo animabus martyrum vt poſtquam hinc exceſſerint, veniant ad quos velint & cum ijs ſermones cōferant, & eos conſolentur. Ex eadem fide profecta eſt celebris illa Gregorij ſententia: quid eſt quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? quam in dialogis & moralibus ſępius ille repetit. Quia animæ ſanctæ, inquit, qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid quod ignorent. Porro vt plenius hæc intelligas & quomodo ſancti cognoſcāt concipias, ad Auguſtinum reuertamur. Is enim libr. 4. de Trinitate, capite 17. eruditè & profundè ſignificat, quod cœleſtes ſpiritus in ipſa Sapientia conditoris & rectoris vniuerſitatis vident volumina ſecularium: quia primus ac ſummus ille intellectus (vt idem libr. 7. cap. vltimo tradit) eſt tanquam verbum perfectum, cui non deſit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque ſapientis Dei plena omnium rationem viuentium incommutabilium & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno, cum quo vnum ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam: & ideo cum decedant & ſuccedant tempora, nō decedit aliquid vel ſuccedit ſcientiæ Dei: & de ciuitate Dei libro 9. cap. 22. Angeli boni certius etiam temporalia & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis quædam probantur,

B. Grego. li. 4. dialogorum ca. 33. li. 2 moraliū cap. 3. & libr. 12. cap. 15.

quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Et 22. cap. 29. ſanctis omnium cognitionem aſſcribit, quia Deum de facie ad faciem videbunt, ſi (inquit) Helizeus Proph. puerum ſuũ Giezi abſens corpore vidit accipientẽ munera, quanto magis in illo ſpiritali corpore videbunt ſancti omnia non ſolũ ſi oculos claudant, verum etiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud de quo loquitur Apoſtolus, & Deus erit omnia in omnibus. Rectiſsimè itaq; cum Diuo Thoma ſcholæ tradunt, quod preces noſtras ſancti cognoſcunt in verbo quo omnia fiunt, vel permittuntur & ordinantur, probantur vel reprobantur. Nam quod Durandus qui hanc cognitionem ſanctorum ad reuelationẽ Dei refert, imprudenter obijcit beatifica cognitione in verbo non cognoſci, niſi quę ſemper in illo cognoſcuntur: preces autem noſtras tunc tantum à ſanctis cognoſci quando fiũt, friuolum apparet, quaſi diuinum illud verbum in quo volumina ſunt omnium rerum, non poſsit ea quæ in ipſo ſunt pro arbitrio ſuo aperire, vt nunc in eo videantur quæ antea latebant, ſicut angelus promittit Danieli ſe annunciaturum quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis: ac mirum eſt virum hanc, quæ beatifica eſt, cognoſcendi rationem oppugnare, quum non niſi ex ipſa beatitudinis conditione ſanctorum cognitionem conſtituat, quia videlicet ad beatitudinẽ vt antea dictum eſt requiritur, quod vnuſquiſque habeat quicquid vult, nec velit aliquid inordinatè,

In 4. ſententiarũ diſt. 45. qu. 4.

Dan. 9.

natè,ſed quilibet ait recta volũtate vult cognoſcere ea quæ ad ipſum pertinent. Itaque beati quib. nulla rectitudo deeſt, volunt, inquit, cognoſcere, quę ad ipſos pertinent & cognoſcunt, ſed orationes quas ad eos dirigimus eo ipſo ad ipſos pertinẽt, quibus eos tanquam interceſſores inter nos & Deũ conſtitutos honoramus. Beati igitur illas orationes cognoſcũt quę ratiocinatio optima eſt, & manifeſtè cõcludit hanc cognitionẽ ad beatitudinẽ pertinere, quæ nõ niſi in contẽplatione verbi poſita eſt: Deniq; quis negat, ſanctos in ipſa ęternitate vno intuitu ſimul omnia ſemper inſpicere, & eorũ ſcientiã ex reb. iſtic ſuccedentib. nõ augeri vel minui, vt eruditè inſinuat B. Auguſt. de Trinit. li. 15. ca. 16. atq; ita etiã futuras preces ſimul in verbo vt p̃ſentes videre, neq; enim æternitas illa mutationẽ patitur, qua volubiles ſint beatorũ cogitationes ab alijs in alias euntes atq; redeũtes, ſed oẽm ſcientiã ſuã vno ſimul cõſpectu vident: vt plenius videre eſt apud eundem eruditiſs. author. li. 8. de ciuit. & li. 16. & 12. cõfeſsionũ c. 9. li. 14. c. 13. Cęterũ magno ſcrupulo obijcitur hic lib. Auguſt. de cura pro mortuis agenda ad Paulin. vbi c. 13. & ſequent. eorum quæ iſtic fiunt cognitionẽ defunctis videt adimere, ibi ſunt ſpiritus inquiens defunctorũ vbi nõ vidẽt quæcunq; agãtur aut eueniẽt in iſta vita hominib. præmiſſa ſententia: q̃a Abrahã nos neſciuit & Iſrahel nõ cognouit nos. Verũ 16. c. manifeſtã ſubijcit ſolutionẽ, vbi de martyrum beneficijs agẽs, iſta, inquit, diuinitus

Ratio Durand.

Augu. de de Trini. li. 15. c. 16

Augu. de cura pro mortuis agendis.

exhibentur longè aliter quam ſeſe habet vſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus, & ideo potius intelligēdum eſt, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſint, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Ecce quomodo de naturali loquitur defunctorum cognitione, qua rebus viuentium interſint. Nam etiam de martyribus (vt mox ibidem ſubijcit Auguſtin.) ſalua fide diſputari poteſt, quemadmodum opitulētur martyres ijs quos per eos certum eſt adiuuari: vtrum videlicet ipſi per ſe ipſos adſint vna parte tam diuerſis locis, an per angelos Deus iſta faciat martyribus pro indigentia ſupplicantum orantibus, & eiuſmodi beneficia impetrantibus? Cæterum an vota ſupplicantum, martyres diuino munere cognoſcant, neque Auguſtinus, neque quiſquā grauioris authoritatis Catholicus vnquam dubitauit. Norunt enim omnes non rectè illos inuocari qui preces humanas ſentire non poſſunt. Propterea de vera religione ſupra notanter dixit Auguſtinus: quiſquis in illo manet & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, ſignificans qui preces humanas non ſentiunt, non debitè inuocari aut exaudiri. Alibi verò teſtatur: *Ser. 244.* Tunc pro nobis abſque vlla dubitatione ſanctos martyres intercedere, quando in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcunt, manifeſte noſtri cognitionē illis tribuēs. Quod verò ex Eſaia allatum eſt, tametſi Auguſtinus

de na-

de naturali cognitione accipiat, vera tamen illius eſt intelligentia, quod propter impietatem populi Iudaici. Abraham & Iſrahel enim neſciuerunt & ignorarunt, quia eum nõ amarunt, neque pro illis orare tunc voluerunt. Nam alioqui Ieremias Propheta & qui fuerat ſummus ſacerdos, Onias ſtatum eiuſdem populi etiam poſt mortem cognoueerunt, & orationibus ſuis Deo commendauerunt, idque antequam adhuc per Chriſtum ab inferis in cœlum eſſent translati, illo videlicet dono & munere quo Helizeus (ſicut dictum eſt) abſens videre potuit, quæ clam ab alijs gerebantur. Quanto igitur magis ſancti qui cum Chriſto nunc regnant, & adepti ſunt quod perfectum eſt? Quicquid igitur aduerſus quos agimus comminiſcantur, & quacunque ratione conentur ſanctorum inuocationẽ ſine cognitione conſtituere, ſiue per hoc quod putant tacitè, & implicitè Deũ inuocari per ſanctos, ſiue per hoc, quod ad ſanctos dirigitur quidem ſupplicatio, ſed per angelos quaſi loco & vice ſanctorum impleatur, certum tamen eſt quod huiuſmodi tortis figuris Eccleſia ſanctos non interpellat, ſed vt antea dictum eſt, quaſi verè conſcios & audientes alloquitur, ſalutat, & qua poteſt veneratione, pietate & deuotione eorum ſuffragia ambit & implorat, dicendo. Aue Maria, Aue maris ſtella, Salue regina miſericordię, ſpes noſtra ſalue. Eya ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte: O clemens, O pia. Et rurſus

2. Mac. 15

Greg. Nazianzenus in Cyprianum

Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte ꝓtege & in hora mortis ſuſcipe. Quæ non prudenter neq; pie ad non audientem dirigerenter, ſicut nec illa quæ paſsim apud veteres leguntur dum ſanctos inuocant. Tu nos ab alto reſpice, miſerere, exaudi, virgo virginum periclitãti virgini opem feras, ora pro nobis Deum, quæ ſicut ex propria in ſanctos fiducia & ſingulari erga perſonas ipſorum deuotione proficiſcuntur, ita propriam ipſorum ſanctorum pietatem, benignitatem, ac miſericordiam, dignitatem & poteſtatẽ appellant, & nobis conciliare ſtudẽt. Veluti dum in baſilicis aut locis martyrũ ſuos ſepeliri cupiunt boni Chriſtiani, hac ratione illis prodeſſe tradit B. Augu. quod ijſdem ſanctis, illos tanquã patronis ſuſceptos adiuuandos orando commendet, quæ commendatio ſine ſanctorum cognitione inanis eſt, vt indignißimum ſit quando beatiſsimã virginem inuocat eccleſia, non ad ipſam ſed ad proprios angelos, quibus ipſa longè maior eſt, eius intẽtio dirigatur, & perabſurdũ eſt, non niſi vocum & locutionum eſſe diſcrimen, quando Moyſes & tres pueri in fornace Deum per Abraham Iſaac & Iacob interpellabant. Et quando eccleſia magna ſolemnitate & deuotione dicit: ſancta Maria ora pro nobis, quæ tamen ratio inuocandi ſanctos, præter priorem illam formam orandi Deum eccleſiæ tradita eſt, vt ab ipſis ſanctis propria ipſorum ſuffragia apud Deum per ſe impetret, quod forma illa (per ſanctos inuo-

Exod. 32. Danie. 3.

innocandi Deũ) non continetur, atq; ita diabolica aſtutia ꝑ excogitatos huiuſmodi tropos idem damnum in eccleſia conſequitur, quod ex hæreſi quæ irridet (vt Bernard. ait) quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus, quoniam ſanctorũ ſuffragia etiã ita figurata innocatio non ambit, & ſanctiſsimũ illud humilitatis & verecundiæ remediũ & plenitudinem fiduciæ, quã ex ſanctorũ ſuffragijs cõcipimus, re ipſa nobis aufert, vtpote quę ſemper proximè ad Deũ ſecundum intentionem peccatoris remittit, quibus vt cõgruenti ordine faciliter diuinã miſericordiam implorent, maximè cõuenit vt ad aliquẽ ſanctorũ ſe conuertãt & ſuffragia illius apud Deũ poſtulent, indignos ſe æſtimãdo qui ipſi ſtatim quocunq; alio modo proximè in faciem Dei audacter proſiliant. Tametſi forma illa, qua per Abraham & alios patriarchas olim ſancti inuocabant Deum, dicendo: recordare Abraham amici tui, nihil habeat ex ſanctorum cõmemoratione efficaciæ, niſi ſanctos iſtud ipſum cognoſcere pręſupponatur. Nã ſi Abraham hoc votũ non cognoſcit, quo propter ipſum ſtudet Moyſes placare Deũ, quid iuuat ꝙ patriarchę memoria coniungatur? ꝙ enim ignorat homo nõ curat. At vero idcirco hui9 & illius amici memoria obijcitur, vt qa currat ad amicũ, in gratiã amici Deus exaudiat. Quod verò de angelis hic quidã ſomniant, quaſi illis in perſona ſanctorũ oratio porrigatur, magis friuolũ eſt, cũ nemo Apoſtolos in eccleſia inuocãs de angelis cogitationem habeat

Bernard. ſerm. 66. in cãtica.

habeat, ſed vna cum angelis etiam alios ſan-ctos ſuo quoſq; ordine, vel vt ſua fert cuiuſq; deuotio, interpellamus, & ſaltem præter angelos omnium aliorum ſanctorum ſuffragijs hæc nos imaginatio ſpoliaret. Aeque verò noxium eſt, quod hic tertio loco poſsit excogitari, ſanctorum inuocatione hoc agi, vt Deus ipſe dignetur efficere quo ſancti pro nobis orent, ſicut in quibuſdam collectis orat Deum Eccleſia, vt ſanctus iſte confeſſor pro nobis precator ſeu interceſſor accedat. Tametſi enim ſic orat eccleſia, non tamē hoc ſolum intendit quando inuocando ſanctum ab ipſo ſuffragium poſtulat, dicendo, Sancte Petre ora pro nobis, & æquè per hanc imaginationem tollitur illa humilitatis, verecundiæ & fiduciæ ratio propter quam ſanctorum inuocatio eccleſiæ tradita eſt. Quia enim in iudice Deo peccator merito vindictam formidat, ad ſanctos qui etiam ipſi fragiles homines fuère, congruo ordine pro ipſorum ſuffragijs confugit. Nam qui Deum proximè accedit, non iam ſanctos, ſed Deum inuocat, qua in re nulla eſt eccleſiæ cum hæreticis cōtrouerſia, ſed quod antea dictum eſt, hoc propriè irridet hæreſis, & contra eam ſtatuit eccleſia, quod rectè ab ipſis ſanctis eorum ſuffragia poſtulamus, & ab ipſis opitulationem quærimus. Quod cum infinitis miraculis toto terrarum orbe Deus comprobauit, dum propter ſanctos infinitis beneficijs eos cumulauit, qui hac fide & intentione ſuppliciter & humiliter ſanctos inuocarunt. Nemo hic

hærere

hærere debet,quoniam confidenter cum eccleſia ab ipſis ſanctis auxilium & opem imploret, quemadmodum de beatiſs. virgine Regina noſtra Maria prædixit Propheta. Vultum tuum deprecabũtur omnes Diuites plebis, *Pſal. 44.* & apud Iob ſanctis promittitur. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer; & *Iob 11.* habebis fiduciam, propoſita tibi ſpe, & defeſſus ſecurius dormies, requieſces & non erit qui te exterreat, & deprecabũtur faciem tuã plurimi. Quam ſententiam ſanctis in Chriſto defunctis applicabat ſanctus Vencelaus ex Bohemorum poſt mortem quibuſdam apparens. *Æneas Siluius de origine Bohemorum cap. 28.*

De tertio ſcrupulo.

SVNT alij qui neſcio qua ſuperſtitione ducti concedunt quidem per preces ſanctorum, nõ tamen per merita eorum nos adiuuari. In quem ſcrupulum etiam Durandus loco ſuperius annotato videtur impegiſſe, quib. rectiſsimè vetuſtiſsimus eccleſię Canon obijcitur, quo in ſacrificio miſſæ orans, quorum meritis, inquit, precibusq́; cõcedas vt in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilijs. Quam precandi rationem à Moyſe & ſanctiſsimis pueris in fornace didicit; quorum hæc oratio ſimillima fuit; non auferas Domine miſericordiam tuam à nobis *Exod. 32.* propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac *Danie. 6.* ſeruum tuum, & Iſrahel ſanctũ tuum. Quomodo ipſe etiam Dominus cõteſtatur, quod

prote-

Eſai. 39. proteget ciuitatem Hieruſalem propter Da-
4. Reg. 19 uid ſeruũ ſuum. Quæ conſiderans & pertra-
Homil. 2. ctans D. Chryſoſtomus: Dauid, inquit, mor-
in pſal. 50 tuus eſt & merita eius vigẽt. Et alibi de pue-
Homil. 4. ris in igne poſitis agens: Quoniã ſemetipſos
in Matt. inquit, ad impetrandum populo veniam ſuf
ficere non credunt, ad Patrum merita confu-
giunt. D. vero Ambroſius amentiam ingẽtẽ
Serm. 91. æſtimat, quod negant quidam martyrum me-
rita, quorum opera etiam dæmones confitẽ-
tur. Nam ob id inter alias rationes tradit B.
Lib. 20. Auguſt. ſanctorum memorias populo Chri-
cõt. Fau ſtiano celebrari, vt meritis eorum conſociẽ-
ſtũ ca. 21. tur: ſiquidem hoc modo (vt idem alibi teſta-
tur) admonemur cum merita noſtra nos gra-
uant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud
eum illorum meritis poſſe, quos Deus dili-
Quæſtio git. Quemadmodum idipſum pulcherrimè
in Exod. declarat ter ſanctus ille Leo. Sicut & nos ex-
149. perti ſumus, inquiens, & noſtri probauere
maiores, credimus atq; confidimus inter o-
mnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam mi-
ſericordiam Dei ſuper nos ſpecialium pa-
tronorum orationibus adiuuandos, vt quan-
tum proprijs peccatis deprimimur, tantum
Apoſtolicis meritis erigamur. Rurſus verò
Auguſtinus pium erga filios defunctos com-
mendans affectum, quo corpora eorum apud
ſancti alicuius memoriam ſepeliri cupiunt,
De cura hac fide & intentione id ſanctum eſſe tradit,
pro mor- quod credunt eorum animas meritis ſancto-
tuis ge- rum idiuuari. Cæterum magis explicatione
renda. quam probatione iſtic opus eſſe videtur,
quam-

quamuis enim ſancti abundè remunerati ſunt in cœlis, hoc tamen ad fœlicitatem eorum ſicut articulo ſuperiori dictum eſt velut pars & portio ſuæ beatitudinis pertinet vt non ſolum ſibi ſed & amicis & omnibus quibus volunt ſufficiant, ſicut ipſa definitio & notio fœlicitatis etiam mentibus philoſophorum impreſſa continet. Quando igitur propter eorum merita eos beatos eſſe credimus, hoc ipſo etiam nobis conciuibus, & domeſticis ſuis propter eadem merita poſſe ſuffragari non dubitamus, qui hoc ipſo, quo beatitudinem merebantur, id etiam promeriti ſint vt alios iuuari queant. Denique omnia ſua bona merita ſancti in communione eccleſiæ operati ſunt, vt in ſymbolo ſanctorum confitemur communionem: quia tanquam membra videlicet & filij eccleſiæ laborarunt, vnde velut in communi ærario & theſauro tanquam communes eccleſiæ diuitiæ repoſita ſunt, quorum æſtimatione & reſpectu æquum eſt alia eiuſdem eccleſiæ egena membra adiuuare. Quãobrem nequaquam pro figmento reputandum eſt quod de theſauro eccleſiæ, vnde cõcedit indulgentias, traditum eſt, de quo ſanctiſsimè Clemens in extrauaganti: quod copioſa Chriſti redemptio theſaurum militanti eccleſiæ acquiſiuit, quem per beatum Petrum cœli clauigerum eiuſq; ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, ac verè pœnitentibus & cõfeſsis miſericorditer applicandũ: ad cu-

1. Ethic.

ſunt vt confidenter illos adire & cum fiducia interpellare poſsimus. Quæ omnia perfectam de rebus noſtris cognitionem in ſanctis præſupponunt, vtpote qui ſine tali cognitione inconuenienter de nobis iudicare, neq; maternum affectum erga nos debitè exercere poſſunt. Extant hac de re clariſsimæ Patrum ſententiæ, quas propter ſcrupuloſas iſtas conſcientias paulò latius non pigebit recenſere; Et primum quidem occurrit magnus ille Baſilius, qui in libro de virginitate, virginem ad hunc modum inſtituit: Virgo (inquiens) primum ſeipſam & conſcientiam ſuam reuerebitur, etiamſi maximè vel ſola fuerit, deinde aſtantem cuſtodem angelum, nam angeli ipſorum, inquit, ſemper vident faciem Patris veſtri, qui in cœlis eſt, & non oportet hominem, occultum angeli, cui ſalutis noſtræ cura commiſſa eſt, conſpectum contemnere, & maximè virginem, quæ hunc ipſum velut ducem & cuſtodem ſuæ virginitatis habet, præ angelis autem reuereatur ipſum ſponſum vbiq; præſentem, & huius patrem & ſanctum ſpiritum: & quid ſingula dico? angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum ſanctos ſpiritus, nullus enim horum eſt qui non vbiq; omnia videat, ipſe quidē corporalibus oculis non cernens, verum in corporali viſu vniuerſa in cognitionem comprehendens. Conſentit huic Ambroſ. qui conſolans viduas & tædium ſolitudinis auferēs, ſcripturarū, inquit, inſtruimur exemplis, infirmitatibus quoq; viduarū

Patrum ſententia

Baſilius.

Ambroſ.

non

nō deeſſe ſolere ſubſidia, & ſicut ſocrus Petri & tu habes proximos qui Deo pro te ſupplicent, habes Apoſt. proximos, habes martyres proximos, & paulo poſt: Obſecrandi ſunt angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrociniū vendicare, poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiāſi qua habuerunt peccata lauerūt, iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumq; noſtrorum. Eadem eſt Gregorij Nazianzeni ſententia, nam de Athanaſio nunc cum Chriſto regnante loquens, Ab alto, ait, (rectè noui) res inſpiciens noſtras, manumque porrigens ijs qui laborant pro bono, & tanto amplius, quanto magis à vinculis eſt liberatus. Et in funere ſororis: Proinde ſi noſtri ſermones vel parumper tibi curæ ſunt, honorque talis ſanctis habetur animabus vt talia reſciſcant: ſuſcipe & tu ſermonem noſtrum: quæ forma loquendi certiſsimè aſſeuerantis eſt. Coniungitur his magnum id eccleſiæ lumen Beatus Auguſtinus: Quiſquis, ait, angelorum diligit hunc Deum, certus ſum, quod etiam me diligit, quiſquis in illo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, quiſquis ipſum habet bonum ſuum in ipſo me adiuuat. De cuius quidem Diui Auguſtini ſententia mox paulo plura. Cyrillus verò, hiſtoriam Epulonis & Lazari pertractans, profe-

Gregor. Nazianzenus in oratione ad eos qui claſſe ex Aegypto venerunt.

Augu. de vera religione, cap. 55.

Cyrillus libr. 9. in Leuit.

Profectо hic locus, ait, manifeſtam eorum cognitionem, quæ ad nos pertinent, in ſeparatis animabus clarè oſtendit. Et Euthimius, ad beatiſsimam virginem: Audi, ait, filia, & vide, & inclina aurem tuam. Vides enim, vides ante pedes pulcherrimæ capſæ tuæ nos oẽs tuũ poſtulare auxilium, exſpectantes tuã defenſionem. Quibus nõ diſsimilia in eandẽ beatiſsimam virginem habet Athanaſius: etiam ſcilicet, audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui neq; noſtri. Pulcherrimè quoq; Prudentius, audiunt, inquit, ſtatimq; ad aures regis ęterni ferunt, inde larga fonte ab ipſo dona terris influunt. Et in Caſſianum martyrem: ſuggere ſi quod habes iuſtum vel amabile votũ, ſpes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas, audit crede preces martyr proſperirmus omnes, rataſq; reddit quàs videt probabiles. Iſtud ipſum ante hos omnes ſenſit & docuit etiam Origenes libro 8. contra Celſum. Qui, inquit, Deum ſummũ placarit, & illius amicos propitios vt habeat ſequitur angelos ſcilicet animaſq; & ſpiritus cæteros beatiores, quippe qui ſimul & ſentiant qui nam ſint Dei benignitatem promeriti, nec ſolum ſe hi erga digniores quoſque propicios reddunt, ſed & Deo gratificari volentibus opitulantur; hiſq; & placatiorem hunc faciunt, vnaq; & ſupplicant & precantur. Elegans eſt etiam ſententia & pia profeſsio ſanctæ Anaſtaſiæ martyris, quæ apud iudicem de martyribus diſſerens: nunc, ait, terrã

Euthim.

Athanaſ. in ſermo. de Deipara virgine.

Prudent. in martyres Calagurritanos.

Origenes li. 8. cont. Celſum ſub fine.

Anaſtaſ. martyr.

terra relicta nos procul vident verſantes in cœleſtibus. Hoc datum eſt à Deo animabus martyrum vt poſtquam hinc exceſſerint, veniant ad quos velint & cum ijs ſermones cõferant, & eos conſolentur. Ex eadem fide profecta eſt celebris illa Gregorij ſententia: quid eſt quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? quam in dialogis & moralibus ſępius ille repetit. Quia animæ ſanctæ, inquit, qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid quod ignorent. Porro vt plenius hæc intelligas & quomodo ſancti cognoſcãt concipias, ad Auguſtinum reuertamur. Is enim libr. 4. de Trinitate, capite 17. eruditè & profundè ſignificat, quod cœleſtes ſpiritus in ipſa Sapientia conditoris & rectoris vniuerſitatis vident volumina ſecularium: quia primus ac ſummus ille intellectus (vt idem libr. 7. cap. vltimo tradit) eſt tanquam verbum perfectum, cui non deſit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque ſapientis Dei plena omnium rationem viuentium incommutabilium & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno, cum quo vnum ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam: & ideo cum decedant & ſuccedant tempora, nõ decedit aliquid vel ſuccedit ſcientiæ Dei: & de ciuitate Dei libro 9. cap. 22. Angeli boni certius etiam temporalia & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis quædam probantur,

B. Grego. li. 4. dialogorum ca. 33. li. 2 moraliũ cap. 3. & libr. 12. cap. 15.

quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Et 22. cap. 29. ſanctis omnium cognitionem aſ-ſcribit, quia Deum de facie ad faciem videbunt, ſi (inquit) Helizeus Proph. puerum ſuũ Giezi abſens corpore vidit accipientẽ munera, quanto magis in illo ſpiritali corpore videbunt ſancti omnia non ſolũ ſi oculos claudant, verum etiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud de quo loquitur Apoſtolus, & Deus erit omnia in omnibus. Rectiſsimè itaq; cum Diuo Thoma ſcholæ tradunt, quod preces noſtras ſancti cognoſcunt in verbo quo omnia fiunt, vel permittuntur & ordinantur, probantur vel reprobantur. Nam quod Durandus qui hanc cognitionem ſanctorum ad reuelationẽ Dei refert, imprudenter obijcit beatifica cognitione in verbo non cognoſci, niſi quę ſemper in illo cognoſcuntur: preces autem noſtras tunc tantum à ſanctis cognoſci quando fiũt, friuolum apparet, quaſi diuinum illud verbum in quo volumina ſunt omnium rerum, non poſsit ea quæ in ipſo ſunt pro arbitrio ſuo aperire, vt nunc in eo videantur quæ antea latebant, ſicut angelus promittit Danieli ſe annunciaturum quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis: ac mirum eſt virum hanc, quæ beatifica eſt, cognoſcendi rationem oppugnare, quum non niſi ex ipſa beatitudinis conditione ſanctorum cognitionem conſtituat, quia videlicet ad beatitudinẽ vt antea dictum eſt requiritur, quod vnuſquiſque habeat quicquid vult, nec velit aliquid inordinatè,

In 4. ſententiarũ diſt. 45. qu. 4.

Dan. 9.

natè,ſed quilibet ait recta volũtate vult cognoſcere ea quæ ad ipſum pertinent. Itaque beati quib. nulla rectitudo deeſt, volunt, inquit, cognoſcere, quę ad ipſos pertinent & cognoſcunt, ſed orationes quas ad eos dirigimus eo ipſo ad ipſos pertinẽt, quibus eos tanquam interceſſores inter nos & Deũ conſtitutos honoramus. Beati igitur illas orationes cognoſcũt quę ratiocinatio optima eſt, & manifeſtè cõcludit hanc cognitionẽ ad beatitudinẽ pertinere, quæ nõ niſi in contẽplatione verbi poſita eſt: Deniq; quis negat, ſanctos in ipſa ęternitate vno intuitu ſimul omnia ſemper inſpicere, & eorũ ſcientiã ex reb. iſtic ſuccedentib. nõ augeri vel minui, vt eruditè inſinuat B. Auguſt. de Trinit. li. 15. ca. 16. atq; ita etiã futuras preces ſimul in vèrbo vt p̄ſentes videre, neq; enim æternitas illa mutationẽ patitur, qua volubiles ſint beatorũ cogitationes ab alijs in alias euntes atq; redeũtes, ſed oẽm ſcientiã ſuã vno ſimul cõſpectu vident: vt plenius videre eſt apud eundem eruditiſs. author. li. 8. de ciuit. & li. 16. & 12. cõfeſsionũ c. 9. li. 14. c. 13. Cęterũ magno ſcrupulo obijcitur hic lib. Auguſt. de cura pro mortuis agenda ad Paulin. vbi c. 13. & ſequent. eorum quæ iſtic fiunt cognitionẽ defunctis videt adimere, ibi ſunt ſpiritus inquiens defunctorũ vbi nõ vidẽt quæcunq; agãtur aut eueniẽt in iſta vita hominib. præmiſſa ſententia: q̃a Abrahã nos neſciuit & Iſrahel nõ cognouit nos. Verũ 16. c. manifeſtã ſubijcit ſolutionẽ, vbi de martyrum beneficijs agẽs, iſta, inquit, diuinitus

Ratio Durand.

Augu. de de Trini. li. 15. c. 16

Augu. de cura pro mortuis agendis.

exhibentur longè aliter quam ſeſe habet vſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus, & ideo potius intelligẽdum eſt, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſint, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Ecce quomodo de naturali loquitur defunctorum cognitione, qua rebus viuentium interſint. Nam etiam de martyribus (vt mox ibidem ſubijcit Auguſtin.) ſalua fide diſputari poteſt, quemadmodum opitulẽtur martyres ijs quos per eos certum eſt adiuuari: vtrum videlicet ipſi per ſe ipſos adſint vna parte tam diuerſis locis, an per angelos Deus iſta faciat martyribus pro indigentia ſupplicantum orantibus, & eiuſmodi beneficia impetrantibus? Cæterum an vota ſupplicantum, martyres diuino munere cognoſcant, neque Auguſtinus, neque quiſquã grauioris authoritatis Catholicus vnquam dubitauit. Norunt enim omnes non rectè illos inuocari qui preces humanas ſentire non poſſunt. Propterea de vera religione ſupra notanter dixit Auguſtinus: quiſquis in illo manet & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, ſignificans qui preces humanas non ſentiunt, non debitè

Ser. 244. inuocari aut exaudiri. Alibi verò teſtatur: Tunc pro nobis abſque vlla dubitatione ſanctos martyres intercedere, quando in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcunt, manifeſte noſtri cognitionẽ illis tribuẽs. Quod verò ex Eſaia allatum eſt, tametſi Auguſtinus

de na-

de naturali cognitione accipiat, vera tamen illius eſt intelligentia, quod propter impietatem populi Iudaici. Abraham & Iſrahel enim neſciuerunt & ignorarunt, quia eum nõ amarunt, neque pro illis orare tunc voluerunt. Nam alioqui Ieremias Propheta & qui fuerat ſummus ſacerdos, Onias ſtatum eiuſdem populi etiam poſt mortem cognouerunt, & orationibus ſuis Deo commendauerunt, idque antequam adhuc per Chriſtum ab inferis in cœlum eſſent translati, illo videlicet dono & munere quo Helizeus (ſicut dictum eſt) abſens videre potuit, quæ clam ab alijs gerebantur. Quanto igitur magis ſancti qui cum Chriſto nunc regnant, & adepti ſunt quod perfectum eſt? Quicquid igitur aduerſus quos agimus comminiſcantur, & quacunque ratione conentur ſanctorum inuocationẽ ſine cognitione conſtituere, ſiue per hoc quod putant tacitè, & implicitè Deũ inuocari per ſanctos, ſiue per hoc, quod ad ſanctos dirigitur quidem ſupplicatio, ſed per angelos quaſi loco & vice ſanctorum impleatur, certum tamen eſt quod huiuſmodi tortis figuris Eccleſia ſanctos non interpellat, ſed vt antea dictum eſt, quaſi verè conſcios & audientes alloquitur, ſalutat, & qua poteſt veneratione, pietate & deuotione eorum ſuffragia ambit & implorat, dicendo. Aue Maria, Aue maris ſtella, Salue regina miſericordię, ſpes noſtra ſalue. Eya ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte: O clemens, O pia. Et rurſus

2. Mac. 15

Greg. Nazianzenus in Cyprianum

Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte ꝓtege & in hora mortis ſuſcipe. Quæ non prudenter neq; pie ad non audientem dirigerenter, ſicut nec illa quæ paſsim apud veteres leguntur dum ſanctos inuocant. Tu nos ab alto reſpice, miſerere, exaudi, virgo virginum periclitāti virgini opem feras, ora pro nobis Deum, quæ ſicut ex propria in ſanctos fiducia & ſingulari erga perſonas ipſorum deuotione proficiſcuntur, ita propriam ipſorum ſanctorum pietatem, benignitatem, ac miſericordiam, dignitatem & poteſtatē appellant, & nobis conciliare ſtudēt. Veluti dum in baſilicis aut locis martyrū ſuos ſepeliri cupiunt boni Chriſtiani, hac ratione illis prodeſſe tradit B. Augu. quod ijſdem ſanctis, illos tanquā patronis ſuſceptos adiuuandos orando commendet, quæ commendatio ſine ſanctorum cognitione inanis eſt, vt indigniſsimum ſit quando beatiſsimā virginem inuocat eccleſia, non ad ipſam ſed ad proprios angelos, quibus ipſa longè maior eſt, eius intētio dirigatur, & perabſurdū eſt, non niſi vocum & locutionum eſſe diſcrimen, quando Moyſes & tres pueri in fornace Deum per Abraham Iſaac & Iacob interpellabant. Et quando eccleſia magna ſolemnitate & deuotione dicit: ſancta Maria ora pro nobis, quæ tamen ratio inuocandi ſanctos, præter priorem illam formam orandi Deum eccleſiæ tradita eſt, vt ab ipſis ſanctis propria ipſorum ſuffragia apud Deum per ſe impetret, quod forma illa (per ſanctos inuo-

Exod. 32. Danie. 3.

inuocandi Deũ) non continetur, atq; ita diabolica aſtutia ꝑ excogitatos huiuſmodi tropos idem damnum in eccleſia conſequitur, quod ex hæreſi quæ irridet (vt Bernard. ait) quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus, quoniam ſanctorũ ſuffragia etiã ita figurata inuocatio non ambit, & ſanctiſsimũ illud humilitatis & verecundiæ remediũ & plenitudinem fiduciæ, quã ex ſanctorũ ſuffragijs cõcipimus, re ipſa nobis aufert, vtpote quę ſemper proximè ad Deũ ſecundum intentionem peccatoris remittit, quibus vt cõgruenti ordine faciliter diuinã miſericordiam implorent, maximè cõuenit vt ad aliquẽ ſanctorũ ſe conuertãt & ſuffragia illius apud Deũ poſtulent, indignos ſe æſtimãdo qui ipſi ſtatim quocunq; alio modo proximè in faciem Dei audacter proſiliant. Tametſi forma illa, qua per Abraham & alios patriarchas olim ſancti inuocabant Deum, dicendo: recordare Abraham amici tui, nihil habeat ex ſanctorum cõmemoratione efficaciæ, niſi ſanctos iſtud ipſum cognoſcere pręſupponatur. Nã ſi Abraham hoc votũ non cognoſcit, quo propter ipſum ſtudet Moyſes placare Deũ, quid iuuat ꝙ patriarchę memoria coniungatur? ꝙ enim ignorat homo nõ curat. At vero idcirco hui' & illius amici memoria obijcitur, vt qa currat ad amicũ, in gratiã amici Deus exaudiat. Quod verò de angelis hic quidã ſomniant, quaſi illis in perſona ſanctorũ oratio porrigatur, magis friuolũ eſt, cũ nemo Apoſtolos in eccleſia inuocãs de angelis cogitationem

Bernard. ſerm. 66. in cãtica.

habeat

habeat, ſed vna cum angelis etiam alios ſan-
ctos ſuo quoſq; ordine, vel vt ſua fert cuiuſq;
deuotio, interpellamus, & ſaltem præter an-
gelos omnium aliorum ſanctorum ſuffragijs
hæc nos imaginatio ſpoliaret, Aeque verò
noxium eſt, quod hic tertio loco poſsit ex-
cogitari, ſanctorum inuocatione hoc agi, vt
Deus ipſe dignetur efficere quo ſancti pro
nobis orent, ſicut in quibuſdam collectis o-
rat Deum Eccleſia, vt ſanctus iſte confeſſor
pro nobis precator ſeu interceſſor accedat.
Tametſi enim ſic orat eccleſia, non tamē hoc
ſolum intendit quando inuocando ſanctum
ab ipſo ſuffragium poſtulat, dicendo, Sancte
Petre ora pro nobis, & æquè per hanc imagi-
nationem tollitur illa humilitatis, verecun-
diæ & fiduciæ ratio propter quam ſanctorum
inuocatio eccleſiæ tradita eſt. Quia enim in
iudice Deo peccator merito vindictam for-
midat, ad ſanctos qui etiam ipſi fragiles ho-
mines fuère, congruo ordine pro ipſorum
ſuffragijs confugit. Nam qui Deum proximè
accedit, non iam ſanctos, ſed Deum inuocat,
qua in re nulla eſt eccleſiæ cum hæreticis cō-
trouerſia, ſed quod antea dictum eſt, hoc pro
priè irridet hæreſis, & contra eam ſtatuit ec-
cleſia, quod rectè ab ipſis ſanctis eorum ſuf-
fragia poſtulamus, & ab ipſis opitulationem
quærimus. Quod cum infinitis miraculis to-
to terrarum orbe Deus comprobauit, dum
propter ſanctos infinitis beneficijs eos cumu
lauit, qui hac fide & intentione ſuppliciter
& humiliter ſanctos inuocarunt. Nemo hic
hærere

hærere debet, quoniam confidenter cum eccleſia ab ipſis ſanctis auxilium & opem imploret, quemadmodum de beatiſs. virgine Regina noſtra Maria prædixit Propheta. Vultum tuum deprecabũtur omnes Diuites plebis, & apud Iob ſanctis promittitur. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer; & habebis fiduciam, propoſita tibi ſpe, & defeſſus ſecurius dormies, requieſces & non erit qui te exterreat, & deprecabũtur faciem tuã plurimi. Quam ſententiam ſanctis in Chriſto defunctis applicabat ſanctus Vencelaus ex Bohemorum poſt mortem quibuſdam apparens:

Pſal. 44. *Iob 11.* *Aeneas Siluius de origine Bohemorum cap. 28.*

De tertio ſcrupulo.

SVNT alij qui neſcio qua ſuperſtitione ducti concedunt quidem per preces ſanctorum, nõ tamen per merita eorum nos adiuuari. In quem ſcrupulum etiam Durandus loco ſuperius annotato videtur impegiſſe, quib. rectiſsimè vetuſtiſsimus eccleſię Canon obijcitur, quo in ſacrificio miſſæ orans, quorum meritis, inquit, precibusq́; cõcedas vt in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilijs. Quam precandi rationem à Moyſe & ſanctiſsimis pueris in fornace didicit; quorum hæc oratio ſimillima fuit; non auferas Domine miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrahel ſanctũ tuum. Quomodo ipſe etiam Dominus cõteſtatur; quod prote-

Exod. 32. *Danie. 6.*

quamuis enim ſancti abundè remunerati ſunt in cœlis, hoc tamen ad fœlicitatem eorum ſicut articulo ſuperiori dictum eſt velut pars & portio ſuæ beatitudinis pertinet vt non ſolum ſibi ſed & amicis & omnibus quibus volunt ſufficiant, ſicut ipſa definitio & notio fœlicitatis etiam mentibus philoſophorum impreſſa continet. Quando igitur propter eorum merita eos beatos eſſe credimus, hoc ipſo etiam nobis conciuibus, & domeſticis ſuis propter eadem merita poſſe ſuffragari non dubitamus, qui hoc ipſo, quo beatitudinem merebantur, id etiam promeriti ſint vt alios iuuari queant. Denique omnia ſua bona merita ſancti in communione eccleſiæ operati ſunt, vt in ſymbolo ſanctorum confitemur communionem: quia tanquam membra videlicet & filij eccleſiæ laborarunt, vnde velut in communi ærario & theſauro tanquam communes eccleſiæ diuitiæ repoſita ſunt, quorum æſtimatione & reſpectu æquum eſt alia eiuſdem eccleſiæ egena membra adiuuare. Quãobrem nequaquam pro figmento reputandum eſt quod de theſauro eccleſiæ, vnde cõcedit indulgentias, traditum eſt, de quo ſanctiſsimè Clemens in extrauaganti: quod copioſa Chriſti redemptio theſaurum militanti eccleſiæ acquiſiuit, quem per beatum Petrum cœli clauigerum eiuſq; ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, ac verè pœnitentibus & cõfeſsis miſericorditer applicandũ: ad cu-

1. Ethic.

ad cuius, inquit, theſauri cumulum beatæ Dei genitricis omniumq́ue electorum à primo iuſto vſque ad vltimum merita adminicula præſtare noſcuntur. Propterea valde imprudenter Durando excidit, loco ſuperius annotato, non apparere, quod vllus à ſanctis valor meriti vel ſatisfactionis in nos redundet, quoniam ait opera eorum dum per ipſos hic præſtarentur, in proprium tunc ab operantibus intentum vſum applicata ſunt, idcirco, inquit, poſtea in alium vſum applicari non poſſunt. Nam præter priuatos ſanctorum vſus etiam generalirer in hunc vſum communem relata ſunt vt ſpiritu & charitate communionis ea voluerint eccleſię eſſe communia, atq; communi fidelium ſocietati prodeſſe cupiuerint. Quæ enim fide per dilectionem operante hucuſque in eccleſia præſtitit, non vt ſolitarius & ſibi ſoli ſeparatim laborans fecit, ſed vt ſocius, conciuis, filius, membrum eccleſię, vnde in communé eccleſiæ ſalutem ab ipſo operante translata ſunt, & velut totius eccleſiæ ſalutis vota in gremium matris depoſita. Quis itaque pium eſſe negare poteſt, quod hæc ſanctorum merita velut pro nobis etiam facta benignisſimo Deo offerimus, vt illa tanquam à fratribus noſtris facta reſpiciens, noſtri propter illa miſereatur, haud multo aliter quam de Loth in ſcriptura legimus, quia Dominus recordatus eſt Abrahæ & liberauit Loth de ſubuerſione vrbium. Quemadmodum ergo defuncti illi pro quibus oramus & quibus

Gene. 19.

proſint

proſint eccleſiæ ſuffragia, id genere vitæ promeriti ſunt, iuxta Dionyſium & Auguſtinum, vt quod eis à nobis impēditur, eis prodeſſe poſsit, ita ſancti qui cum Chriſto regnant in cœlis, genere vitæ acquiſierunt, vt eorum merita multis & varijs modis inſigniter alijs prodeſſe poſsint. Quoniam enim multis laqueis contra animas noſtras teſte Hilario, agitur; multis aduerſus nos armis dimicatur, atque nos varijs affectibus ducimur, multa etiam præſidia nobis conſtituit benignisſimus Deus, quibus ſpes noſtra in Chriſto variè iuuatur, fouetur, fulcitur & ſuſtinetur. *In Eccleſiaſt. Hierarch. & de cura pro mortuis.*

DE INDVLGENTIIS.

PROPOSITIO.

Indulgentiæ pro pio aliquo opere, legitima authoritate viuis aut defunctis in gratia conſtitutis conceſſæ ex meritorum Chriſti & ſanctorum theſauro; valent eis ad remiſſionē pœnæ temporalis peccatis apud Deum debitæ; quantum videlicet ipſæ ſonant & pœnitentibus opus eſt:

DOLendum ſimul & mirandum eſt; quoſdam etiam catholicos tam timidè, frigidè, ſobriè, variè, & ambiguè de Indulgentijs ſcribere, quaſi earum aut incerta ſit aut tam longè poſita

ratio, vt difficulter admodũ probari queat: cum in clauibus eccleſiæ & notiſsimo ſymbolo Apoſtolico clariſsimæ fundatæ depræhendãtur. Credimus enim ſimpliciter & abſolutè remiſsionem peccatorũ plenam videlicet & perfectã, quæ ſine temporis & peccatorum diſtinctione omnib. parata eſt. Si aũt nullæ ſunt in eccleſia indulgentię, iã non indiſtinctè peccatorũ remiſsioné poſſet eccleſia cõfiteri, eſt etiã indulgentia peccati quædam remiſsio, quo ad pœnã temporalé, apud diuinã iuſtitiã peccato debitã, q̃ velut ſpecię in genere ſub remiſsione nobis Apoſt. deſignarunt. Deinde ꝓpriè ad claues pertinet aperire regnũ cœlorũ, tollendo illius in Chriſti fidelibus bona voluntate ingredi, cupientib. impediméta, culpã ſcilicet peccati & pœnã: poſſunt itaq; téporalis pęnæ reatũ ſeu debitum, nõ minus eccleſiaſtica mediãte indulgétia auferre, q̃ culpam & pęnã æternam per ſacerdotalẽ abſolutioné. Dictũ eſt enim quodcunq; ſolueris ſuper terrã erit ſolutum & in cęlis, eſt aũt hic téporalis ſupplicij reatꝰ vinculũ quoddam, ꝙ animam ne mox in cęlũ euolet remoratur, vnde ſi culpę & æternæ pęnæ vinculũ poteſtate verbis illis à Dño data diſſoluitur, quãto facilius vinculũ & impedimentũ pęnæ temporalis? quod agnoſcés D. Bernard. quando ſuo tempore iuxta morem eccleſiæ ijs qui crucis ſignum aduerſus infideles ſuſciperent, plenaria eſſet omniũ peccatorũ conceſſa indulgentia, populo cõgratulans beatã dixerim, inquit, generationem quam

Matt. 16.

Epiſt. 322 *ad populum Epiſrenſem.*

quam appręhendit tam vber indulgentię tẽpus, q̃ inuenit ſuperſtitem annus iſte placabilis Dñi & veræ iubileus, ſi prudens mercator es, ſi cõquiſitor huius ſęculi, magnas quaſdam tibi nũdinas indico, vide ne pereát, ſuſcipe crucis ſignũ & omniũ pariter de quibus corde cõtrito cõfeſsionẽ feceris, indulgẽtiã obtinebis. Vndę conſtat vetuſtis patribus nõ incognitas fuiſſe, quas hodie eccleſia concedit indulgentias, ſicut etiam ex Auguſtin. & Cypriano perſpicuũ eſt: licet enim parcius eas vſurparent propter vigentem tunc eccleſię diſciplinam, ſollicitè tamen hoc curabãt, neq; s in exitu hoc munere fraudaretur, & ne quis iſtinc ligatus diſcedens, à cœleſti gloria remoraretur, ſed omnes cũ pace ad dñm venirẽt: quare vt ex ijſdẽ authoribus manifeſtũ eſt, & in decretis 26. quęſt. 7. conſtituitur, pœnitentes ſub exitũ ab omnibus plenè abſoluebant, & altari ac S. Euchariſtiæ reſtituebãt, ſcientes ꝙ qui ligati diſcederent, vt maximè patet ex Auguſt. non eſſent ſtatim cum alijs in regno Dei, atq; iſtud libẽtius faciebat Cyprianus, quando martyres qui pro Chriſto in carceribus detinebantur hoc poſtulabãt, ſciens eorum merita plurimum ad hoc valere, coram Deo, quin & Paulũ Apoſt. inceſtuoſo Corinthio indulgentias dediſſe non obſcurè teſtatur epiſt. 2. ca. 2. quando poſt pœnitẽtiam 1. epiſt. requiſitam, eum vult conſolari, ſignificans ſe iam plenè remiſiſſe: Nam & ego (inquit) quod donaui, ſi q̃d donaui propter vos in perſona Chriſti, vbi quod dicit,

Auguſt. epiſt. 180. Cypr. li. 3. epiſt. 15. 16. 18. ſer. de lapſis.

ſi quid donaui non minuentis eſt, ſed modeſtè indicantis condonationem huiuſmodi maximi momenti eſſe quæ non coram hominibus duntaxat ſed coram Chriſto, vtpote eius nomine & authoritate facta valet: Nam pœna temporalis propter quam auertendam principaliter conceditur indulgentia, propriè eſt futuri ſeculi iuſto Dei iudicio niſi iſtic redimatur aut condonetur inferenda, vt perperã admodũ claues eccleſiæ intelligant, qui per indulgentias volunt pœnitẽtes tantum præcepto quo ſatisfactio in foro eccleſiæ imponitur, liberari, quod quiuis ſine clauibus in ſuis mandatis concedere poteſt, ſed vt ex verbis Pauli, & natura clauiũ, ſimul & doctiſsimis eccleſiæ Romanæ de indulgentia ſcriptis & declarationibus patet, Indulgentia propriè eſt peccati cõdonatio, ne coram Chriſto iudice noſtro alicui pœnæ poſt hoc ſæculum ſubeundæ ſimus obnoxij: vnde in pœnitentia nomen Dei iuxta Ambroſium operatur. Quod enim nonnullæ indulgentiæ de iniunctis pœnitentijs vel quæ poſſent iniũgi remittũt ad partialem remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitę, vt patet ex Clemẽte, referendũ eſt, & valet huiuſmodi pœnitentiæ iniunctæ relaxatio, vt rectiſsimè Durandus exponit ad expiationem tantæ pœnæ, quantum valuiſſet pœnitentia ſi opere ipſo præſtita fuiſſet. Claues enim ad hoc exercentur, ſicut dictum eſt, vt tollendo in Chriſti fidelibus impedimenta & moras, regnum cœlorum eis aperiant, tol-

Ambr. de pœniten. li. 1. ca. 7.

Clemens ſextus de pœniten. & remiſſ. cap. Vnigenitus.

lunt

ſunt itaque etiam iniunctas pœnas indulgẽtiæ ſimul & eas quæ iniungi poſſent aut deberent, ſed ita vt ſimul cum his pœnam auferant futuri ſæculi, pro cuius redemptione huiuſmodi pœnitentiæ erāt ſubeundæ, quia enim ſatisfactio exigitur, vt redẽptio pœnæ in futuro ſæculo peccatis debitę, benigniſsimus Deus, qui poteſtatem dedit Petro ſatiſſfactiones & redemptiones huiuſmodi imponendi, atq; adeo animam coram ipſo ligādi, ſimilem dedit eidẽ poteſtatem eaſdẽ remittendi, atq; ſoluendi: quod perinde eſt, atq; ſi pœnam futuri ſæculi, quæ animam ab ingreſſu cœli remoratur, nomine & authoritate Chriſti tollit. Nam vtrumq; eadem ratione à Chriſto Domino illi datum eſt, vt & pœnam futuri ſæculi remittat, & ſatisfactiones quibus redimatur illa condonet, nam pœna ſublata non eſt neceſsitas illam redimendi, ſicut vbi neceſsitas redimendi cōdonata eſt, ſimul etiam pœna remiſſa debet intelligi. Eſt itaque Indulgentia, vt breuiter & ſimpliciter ex dictis eam definire licet, remiſsio temporalis pœnæ peccato debitæ, pœnæ inquam futuri ſæculi, vbi propriè virtutibus & peccatis ſtipendia, à Deo ſunt conſtituta. Nam quę hic nos ipſi pęnalia aſſumimus vel illata patienter ſuſtinemus, proprie in redẽptionem pœnæ alterius ſæculi diuina benignitate ordinata ſunt. Cæterũ cum hęc ita ſe bene habeant & ſacris literis & eccleſiæ authoritate ſatis comprobata ſint, quidam nimium ſunt in his diuinæ bonitatis diuitijs

Chryſoſt. in Matt. Hom. 43. in opere imperfecto ad ca. matt. 23. alligant onera &c.

anguſti & illiberales: Siquidem nonnulli illis indulgentias duntaxat valere volunt, qui parati ſunt & conantur ipſimet plenè ſatiſfacere: Alij his tantum quorum pœnitentia magna eſt & ſolutioni proxima: Alij autem eos nō valere arbitrantur, niſi ſecundū proportionem operis & cauſę & deuotionis pro qua conceduntur. Quæ cogitationes cū formam indulgentiarū non ſic habeant, eo proculdubio tendunt, vt authores fateri debeāt, Indulgentias nō valere quantū ſonāt, quod ſi nunc etiā nos conceſſerimus, mox exiliet Lutherus, malè ſe damnatū clamitās, qui indulgentias dixerit, pias eſſe fraudes fideliū, arriget etiā aures ipſe Ioan. Vuicleff, qui fatuū eſſe docuit, credere indulgētijs Papæ & Epiſcoporū. Si enim non valēt vt ſonant indulgentię, cum fraus & mendaciū non aliud ſit, q̄ vbi aliter quam eſt res, eſſe ſignificatur, quomodo in indulgētijs hanc maculā diluet eccleſia, & quomodo prudēs eſt qui illis credit? Quando enim omnib. Chriſti fidelibus, vt ſępius nūc factū eſt, qui cōfeſsi fuerint, ac ter pro pace ieiunauerint, orauerint & ſacrā ſinaxim ſumpſerint, plenaria conceditur indulgentia, ſanè ſi non quantū forma ſonat fideles accipiant, ſaltē ex parte decipiūtur, & falſa ſpe prouocantur, quod eccleſię maieſtate & authoritate & integritate prorſus indignū eſt, & planè ſine vlla neceſsitate doctor. illi huc delabuntur. Nā vt ſuperiori epiſt. veriſsimè tradit Bernard. & à Dn̄o Roffenſi bene annotatum eſt, Clementiſs. Dn̄s qui ad ſaluandos

Roffenſis

nos magno artificio vtitur, & infinitas ſuppeditat occaſiones ſalutis in hoc indulgētiarum theſauro, magnas diuitiarum ſuarũ nundinas, paruo cõparandas indicat, vt deuotionem & obſequiũ excitet, teneri vult debitor, vt pro ſeruitio ſtipēdia reddat, indulgentiã delictorũ & gloriã ſempiternã, vt igitur etiã infirmis aduerſus irã futuri ſæculi proſpiceret eccleſia, ac frigidos & tepidos excitaret, ſimul & qui auerſi ſunt ſpiritualis lucri & cõpendij cupiditate reuocaret, omneſq; & ſingulos ad piũ aliquod obſequiũ, pro vtilitate eccleſiæ & honore Dei, poſſet loco & tẽpore efficaciter adducere, copioſiſsimũ hunc theſaurũ eccleſia in ſanctorũ cõmuniõe reliqt, vnde oñm qui volũt & cupiũt debita poſsũt abũde ꝑſolui: vt rectiſsimè mihi Duran. ſtatuere videatur, ꝙ pro immẽſis Chriſti ac S S. meritis, indulgẽtiæ nõ tantũ vtiles ſunt, ſed etiã veriſsimè tantũ valent, quantũ ſonãt, nõ ex deuotiõne ſuſcipiẽtis, nõ ex quãtitatẽ rei datę, aut operis prꝗſtiti, nec ex ꝓportione ad cauſam indulgẽtię. ſed ex abundãtia meritorũ Chriſti & ſanctorũ eius, quãdo in dãte eſt authoritas, in ſuſcipiẽte idoneitas ſeu capacitas, & in cauſa pietas, ſcilicet ad honorẽ Dei & vtilitatẽ eccleſię, q̃ ſententia tũ ex amplitudine clauiũ & poteſtate ſoluẽdi, tũ eccleſię authoritate & eius theſauri abundãtia certior q̃ pro opinione habẽda videtur. Cũ enim oẽs qui in gratia ſũnt conſtituti, & verè de omnib. peccatis dolent, idonei ſunt & capaces ſeu diſpoſiti, quib. regnũ cœlorũ aperiatur,

Durand. in 4. diſt. 20. qu. 4.

niſi temporalis pœnæ reatus eos inuitos impediret, iam clauis ipſa non vera eſſet regni clauis, quæ ſic volente, operante, ac vtente illo qui clauem habet, regnum iſtis non aperiret, haud aliter quam non veram habere clauem oſtij deprehenderetur, qui hominibus paratis & cupientibus ingredi oſtium tentaret claue aperire, ſeram & obſtaculum remouendo, fores tamen non patefierent. Quod enim hic obſtaculum eſt, ipſa ſera, qua oſtium clauditur, hoc in ingreſſu cœlorum, præſtat impedimentum reatus temporalis ſupplicij, cui amouendo, ſicut illic ad ſeram remouendam materialis clauis ordinata eſt,
Matt. 16. ita à Chriſto Domino Diuina quædam poteſtas eccleſiæ conceſſa eſt. Deinde qui generatim pronunciat, quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, indubiè omne vinculum in eo qui ſolubilis eſt, ſeu capax ſolutionis, complecti cenſendus eſt, alioqui verum non eſſet, quicquid ſolueris, atqui præter cenſuras culpam & pœnam æternam quæ magna ſunt vincula etiam, ſine dubio vinculum eſt reatus pœnæ temporalis, cuius ſolutionis & remiſsionis capax eſt, quicunque in gratia conſtitutus verè de peccatis dolet. Quando igitur Petrus hoc vinculum in illo ſoluit, verè coram Deo ſolutum eſt, ſicut è diuerſo in illo qui ligabilis eſt, ſi quid ipſe pro ſua diſcretione ligandum duxerit, verè coram Deo ligatum eſt. Nam par
Ambroſ. libr. 1. *de pœnit.* c. 2 ius, ait Ambroſius, & ſoluendi eſſe voluit & ligandi, qui vtrumque pari conditione promiſit,

miſit, opiniones autem iſtæ in altero rigidę ſunt, in altero minus liberales: Nam ſi Petrus nihil de temporali pœna remittendum in aliquo duceret, ſed totum pœnalibus operibus expiandum relinqueret, proculdubio quod iſto modo ligaret, verè coram Deo ligatum maneret, quare non itidem quando totum hoc ſoluit verè etiam ſolutũ erit? An vbi par eſt remittendi & retinendi poteſtas, conuenit ſub Clementiſsimo Domino, ſeruum ad pœnas quam ad miſericordiam eſſe procliuiorem? aut maiorem ad pœnas quam ad gratiam ſuam intelligere poteſtatem? quibus: ipſius theſauri quo nititur hæc gratia accedit infinitudo & immēſitas, eſt enim meritum Chriſti ſufficientiſſimum ad expiationem omnis pęnæ, qui vult omnes homines ſaluos fieri & ſemetipſum pro omnibus in redemptionem dedit, quoniam igitur per indulgentiam, ijs qui in gratia ſunt, pro honore Chriſti conceſſam, applicãtur merita Chriſti, ijs qui capaces ſunt, patet tantum in eis de pœna expiari ad quantum expiandum applicantur: Nam quod ad id attinet, quod ex parte noſtra ſecundum ordinē diuinę prouidentię deſiderari queat, ad huius theſauri cumulum omnia ſanctorum merita, vt piè à Clemente declaratũ eſt, adminiculum præſtare noſcuntur, quæ licet in ſanctis, quatenus ipſorum ſunt, plene remunerentur, quia tamen communi ſpiritu, in communione ſanctorum (vt dictum eſt antea) facta ſunt, præter meritum proprium

habent hoc cõmunis pretij & valoris: vt conciuibus & domeſticis, in ſatisfactionem applicari queãt, ſicut vnius ciuis diuitię in debiti alterius ſolutionem numerari poſſunt, non quia meritum & ſatisfactio Chriſti non ſufficiãt, ſed quoniã hæc nobis applicata ordine diuinæ prouidẽtiæ iuuant vt merito & virtute Chriſti noſtra peccata redimantur, ſicut propria noſtra merita & ſatisfactiones iuxta ordinatas Dei leges, hoc promerentur, vt vitam & redemptionem in Chriſto conſequamur, de quo alias latius. ſupplent enim ſanctorũ paſsiones, quæ ex parte noſtra poſſent deficere, & nobis applicatæ, velut noſtræ reputantur, ſicut in non multo diſsimili argumento, B. Auguſtinus epiſt. 23. & 107. conteſtatur, quod autem prædicti opinatores Chriſti Domini, & ſanctorum in ſuis operibus intentionem, ad propoſitas ſupra conditiones limitant, quaſi ſecundum illas duntaxat ſua alijs valere voluerint, id ſicut voluntariè dicitur, ita ab Apoſtolo de Chriſti & ſuis paſsionibus loquente manifeſtè refellitur, vult (inquit) omnes homines ſaluos fieri, & dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus, & alibi, adimpleo, ait, ea quæ deſunt paſsionum Chriſti, id eſt, quæ toleranda reſtant, pro corpore eius quod eſt ecclesia: Et rurſus ſed etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis, id eſt, ſi contingat nunc me mori, erit mors illa velut hoſtia & ſacrificiũ vobis in ſalutem, manifeſtè ſignifi-

Colo. 1.

Philip. 2.

ſignificans, magnum & vtiliſsimum eccleſiæ theſaurum colligi, ex Chriſti & ſanctorum meritis, nam ſacrificij virtus, eſt expiatio & ſatisfactio pro peccatis, quæ ſanè merita videmus generatim ad oẽs in corpore eccleſiæ, vti viua eius membra conſtitutos pertinere, vt iuxta diſertam ſanctorum intentionẽ, omnibus applicari & veraciter valere queant. Nam etiam cõmunio ſanctorũ quam in ſymbolo confitemur, & vnde theſaurus iſte conſurgit, ſine diſcrimine & exceptione, ſpiritales iſtas diuitias facit ſanctis omnib. id eſt, in gratia conſtitutis cõmunes. Cæterũ eccleſiæ traditionem & declarationẽ nunc inſpiciamus: Clemens enim in extrauagante, quã do ctiſsimã de Indulgẽtijs edidit, ſic habet: Theſaurũ hunc per B. Petrũ cęli clauigerũ, eiuſq; ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit, Chriſti fidelibus ſalubriter diſpenſandũ, & proprijs & rationabilib. cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ tam generaliter quã ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus & confeſsis miſericorditer applicandum: Rurſus Martinus quintus in Concil. Conſtantienſi vult ſuſpectos de hęreſi interrogari, vtrũm credant quod Papa omnibus Chriſtianis, verè cõtritis, & confeſsis ex cauſa pia & iuſta poſsit cõcedere indulgentias in remiſsionem peccatorum, maximè pia loca viſitantibus. Item vtrum credant, quod ex tali confeſsione viſitantes eccleſias ipſas, & manus adiutrices, eis porri-

Extrauagant. in Clement. de pecca. merit. & remiſ. capi. Vnigenitus.

Seſſ. 45.

porrigentes, eaſdem indulgentias conſequi poſſunt. Item vtrum credant, quod ſinguli Epiſcopi ſuis ſubditis ſecũdum limitationẽ ſacrorum canonum eiuſmodi indulgentias concedere poſsint, quibus manifeſtè ſignificat hæc à Chriſto fidelibus, ſic eſſe retinenda. Leo vero decimus in eruditiſsima illa extrauagante contra Lutherum edita, ſimpliciter tenendum eſſe tradit pontificem Petri clauigeri ſucceſſorem, & Ieſu Chriſti in terris vicarium, poteſtate clauium poſſe pro rationabilibus cauſis concedere Chriſti fidelibus, qui charitate iungẽte membra ſunt Chriſti, indulgentias ex ſuperabũdantia meritorum Chriſti & ſanctorum quam mox plenius recenſebimus: Hæc aduerſus prædictas reſtrictiones, & anguſtas illas opiniones puto ſufficere, ſiquidem ſine vlla reſtrictione declarat eccleſia ex pia & rationabili cauſa, prout ipſi vicario Chriſti in Domino expedire videtur, omnibus Chriſti fidelibus qui viua eius ſunt membra, indulgentias poſſe concedi. Ideoq; quando pium eſt, quod pro indulgentijs exigitur, nemo de earum efficacia formidare debet, ſed cum gratiarũ actione, beneficium amplecti. Cœterum maior eſt circa defunctos obſcuritas, quia cum Petro datur poteſtas ſoluendi ſuper terram, mirum videri poteſt, quomodo indulgentiæ ſub terra defunctis prodeſſe queant. Traditum quidem eſt eccleſiæ, quod per modum ſuffragij indulgentiæ ad defunctos transferuntur, verum multi nihil aliud hac forma conti-

Caietan. in 3. part. quæ. 48. art. 5.

De indulgent. defunctorũ.

continerí volunt, quam quod Chriſti & ſanctorum merita, nomine & authoritate eccleſiæ Deo offeruntur, vt horum ille intuitu defunctorum miſeriatur, quaſi per modum ſuffragij, non aliud ſit quam per modum deprecationis, quæ imaginatio cũ nihil præter ſuffragia pro defunctis ſtatuat, fruſtra Catholici nouam pro indulgentijs hic difficultatem ſubeunt, quando magno vniuerſitatum conſenſu tradunt, quod defunctis ſubuenitur ſacrificio altaris, eleemoſyna, oratione, Ieiunio, alijſq; bonis operibus viuorũ, & indulgentijs, quo citius à pœna purgatorij liberentur, vbi ſanè in vanum laboratur pro indulgentijs ſi quæ defunctis prodeſſe dicũtur, non aliã quam vim orationis & deprecationis habeant. quis enim vnquam dubitauit quin pro defunctis miſericordia Dei per merita ſanctorum implorari poſsit, non ſolum à ſummo pontifice, cui tamen ſoli poteſtatem hanc pro defunctis indulgentias concedendi doctores tribuunt, Sed & ab omnibus Epiſcopis, presbyteris & vniuerſis Chriſtianis: Deinde qua vtitur in his indulgentijs eccleſia forma, amplius quiddam indubiè quam deprecationem continet, ferè enim hoc & ſimili modo habet. Si quis eccleſiam S. Laurentij extra muros vrbis ſingulis quartis ferijs totius anni deuotè viſitauerit pro anima patris aut alterius exiſtentis in purgatorio, tali animæ plenariam remiſsionem concedimus, ſicut & Paſcaſius pontifex dicitur aliquando ſic dediſſe, quicumq; celebrauerit,

Artic. 30. Louanię.

Innoc. 3. Petrus Paluda.

Gabriel Biel in Canonẽ miſſæ.

brauerit & celebrari fecerit quinque miſſas pro anima parentis, vel amici exiſtentis in purgatorio, remiſsionem plenariam per modum ſuffragij, tali animæ elargimur. Pius vero quartus in generalib: quibuſdã indulgentijs, defunctis, inquit, pro quibus hæc alij fecerint, per modũ ſuffragij concedimus, quantum diuinę bonitati placuerit, quibus licet nónihil differant, non nuda tamẽ oratio, ſed operatio quædã exprimitur, qua poteſtatem aliq̃ in dando & elargiendo pontifices exercent, ad hæc nomẽ & ratio indulgentię aliud quam deprecationẽ poſtulat, Indulgentia enim nõ oratio pro venia, ſed ipſa eſt remiſsio & venia peccati, nemo enim prudenter & rectè loquẽs, dicet veniã aut remiſsionẽ alicui cõcedi, per modũ orationis, ſermo enim abſurdus eſt, & cõtradictionẽ inuoluit. Si enim eſt deprecatio pro indulgẽtia, iam nõ eſt indulgentia, & ſi eſt indulgẽtia, iam nõ eſt deprecatio: Nõ enim qui orat indulget, ſed qui indulget vti poteſtatem habẽs operatur. Dicunt prætereа Sacri doctores, & põtifices indulgentias per modũ ſuffragij poteſtate clauiũ & authoritate Apoſtolica, ad defunctos trãſferri, ſicut mox clariſsimè in extrauagãte Leonis decimi patebit, atqui ad deprecandum, & dominum per merita ſanctorũ orandum, nulla opus eſt poteſtate clauiũ, vel authoritate Apoſtolica, neq; per orationẽ propriè ad defunctos quippiam tranſferimus, ſed directè & proximè pro illis funditur, quibus cõſideratis, planè nihil ad propoſitũ

facit;

facit expoſitio quę modum ſuffragij per modum orationis in indulgentijs explicando, veram naturam rationem ac vim indulgētiæ tollit: neq; multo verior, aut ſcriptis Apoſt. conformior eſt alia quædam contemplatio, quæ iuxta quorūdam imaginationem habet, quod authoritate Apoſtolica iſtic theſaurus eccleſiæ defunctis quidem aperitur & Chriſti ſanctorumq; merita eis applicantur, ſed nulla fit eis inquiunt poteſtate aliqua remiſſio, quæ Deo per applicata nunc merita ſanctorū concedenda relinquitur quaſi per modum ſuffragij, perinde ſit ac ſi dicas per modum erogationis, eleemoſynę, & communicationis qua aliorum diuitiæ defunctis applicantur, vt his illæ, donatæ à benigno iudice reſpiciātur, & in ſolutionem debiti quadrantis hæc merita acceptētur, quæ profecto cōſideratio tametſi plus habeat, quam nuda valet oratio, in orationem tamen relabitur, & naturā indulgentiæ non retinet, quę iuxta naturalem eius conceptū quædam eſt (vt diximus) peccati remiſsio, & pęnæ temporalis condonatio, quę cōceditur poteſtate clauiū, quā hæc imaginato nō requirit, ſiquidem ad theſauri diſpenſationē & applicationē ſola ſufficit authoritas, qua gregi & ouili dñi Papa p̄fectus eſt, nō clauiū poteſtas, quę data eſt vt reatus pęnæ tanquā impedimentum regni cęleſtis reipſa & efficaciter amoueatur: Nemo etiam ſic loquitur, quando eleemoſynā damus, vt dicat pauperi per modum ſuffragij illam impendi, cum illa ſit ipſa ſuffragium, nec

nec alia ratione conceditur, quam vt pauperi ſuffragetur, nec in authenticis ſcriptis dicuntur indulgentiæ valere, aut prodeſſe defunctis per modum ſuffragij, cum hoc ipſo quo quacunq; ratione profunt & valent iiſdem ſuffragentur, ſed ſacri pontifices quorũ ſemper maturus, & ſale conditus eſt ſermo; dicunt indulgentias ad defunctos per modum ſuffragij transferri, id eſt; ſicut rectiſsimè à Diuo Thoma & alijs annotatum eſt, per hoc quod alij pro defunctis faciunt, quæ ad aſſequutionem indulgentiæ præſcribuntur; qui defunctis in hoc ſuffragantur; quod hæc pia pro ijs opera ſubeunt; eorumque onera hoc modo ex charitate ferunt, per hunc enim modum auxilij, quo viuentes ſic defunctis ſuffragantur; laborioſa & pœnalia quædam opera pro illis ſubeuntes, pontifex poteſt efficaciter indulgentias ad defunctos tranſmittere, ita nimirum, vt quam viuentibus pro iiſdem operibus poſſet indulgentiã concedere, eam in defunctos transferat, pro quib. hac intentione viuentes laborãt; haud multo aliter quàm nõnulli exponunt, quod Dominus tranſtulit peccatum Dauid in puerum, neque enim defuncti iam operari poſſunt; neque directè aut proximè poteſt in eos eccleſia poteſtatem exercere; ſed traditum eſt illi diuina bonitate, quod Chriſti, in cuius ſunt manu & poteſtate vicarius, alijs pro ijs laborantibus, & opera quædam pia ſuſcipientibus; debita eorum poteſt diſſoluere; & quam poſſet viuentibus gratiam

Thomas Durand. Petrus Paludanus, Gabriel Biel.

conce-

poteſt diſſoluere, & quam poſſet viuentibus gratiam concedere; in eos pia viuentium voluntate atq; labore intercedente, transferendo regnum cęlorum eis aperire; Simpliciter enim, & ſine vlla perſonarum quæ foris ſunt diſtinctione Petro claues regni datæ ſunt, tibi, inquit Dominus, dabo claues regni cœlorum, vnde optimè ſedes Apoſtolica intelligit datam ſibi poteſtatem, quibuſuis Chriſti fidelibus; dummodo idonei & parati ſunt ingredi, tollendi reatũ temporalem, qui eos ab ingreſſu impedit. Clauium enim vſus (vt dictum eſt antea) poſitus eſt in auferẽdis impedimentis, quæ regni ingreſſum in eo qui intrare paratus eſt, remoratur, vbi perſonas quę foris ſunt, cum Dominus diſtinguit, quibus videlicet aperiri quibuſúe claudi velit, certè nos inter eas, quæ ingredi cupiunt, ſtultè diſtingueremus, qui enim claues habet, ſine perſonarũ quibus aperiat præſcriptione; ſed abſolutè; indiſtinctè; & generatim, cur non omnibus qui foris ſunt & parati ſunt ingredi; poteſt aperire? neq; enim cui ciuitatis cuiuſpiam claues commiſſæ ſunt; ciuibus dũtaxat portas aperit, ſed omnibus qui certo mandato non excluduntur, cum interim qui in gratia defuncti ſunt, ciues ſunt & domeſtici Dei, ſicut qui in terris charitate viuunt; ciuibus autem vniuerſim ad portas aperiendas claues propriè ſeruiunt. Cum itaque defuncti in purgatorio, maxima ſiti ad Deum deſiderent, & concupiſcant ſolui ác ingredi; nullum impedimentum aliud quam tempo-

 talis

ralis pœnę debitum habentes, cur claues qui habet pro omnibus abſolutè ijs regnum aperire non poteſt? Quod enim Dominus ſubijcit, quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, nõ ita accipiendum eſt, quaſi idipſum ſit, quod dabo tibi claues regni cœlorum vel hoc ipſum reſtringat, neq; enim eadem eſt in ſoluendo & clauibus metaphora, neq; reuera idẽ omnino ſignificatur, ſed addit hæc de ligando & ſoluendo ſententia, poteſtatẽ & iuriſdictionem, quã in foro humano Petrus exerceat, quaq; inſtar Iudicis, toto orbe terrarum, in vniuerſos Chriſti fideles clauibus aliaq; iuriſdictionis authoritate vtatur, defunctis verò nõ per modum abſolutionis indulgentiam confert, ſed (vti nunc dictũ eſt) per modum ſuffragij eã transfert, qua enim parte ſine limitatione dictum eſt, dabo tibi claues regni cœlorum, generalior eſt clauium poteſtas, quam ligandi atq; ſoluendi authoritas quæ nõ niſi in ſubditos, cuiuſmodi non poſſunt eſſe defuncti, locum habet, clauium verò vſus in eos exerceri poteſt, vtpòte qui capaces & idonei ſunt, quibus regnum cęlorum aperiri poſsit, quæ res ſanè non modica eſt Chriſtianorum conſolatio, quicquid enim vt rectè à D. Bonauẽnt. in hoc argumento notatum eſt, nos diſputantes dicimus, hoc ſana fide tenendum eſt, quod Dñs vicario ſuo plenitudinem poteſtatis cõtulit, & tantam vtiq; percepit poteſtatem, quãtam decebat homini puro dari, & hoc ad ædificationem corporis ſui quod eſt eccleſia, vnde

Bonauẽt. diſt. 20. in quartum q. 5.

ſuper

ſuper hoc nō temerè iudicare;ſed gratias plurimas Deo debemus agere. Cum enim iſtud temporalis pœnæ debitum quo mortui detinentur, non eius eſt naturæ, vt ſacramentum quod neceſſario debet applicari perſonę, aut iuriſdictionem in perſonam exigat, nulla rātio refragatur, quo minus per claues condonari & dimitti poteſt: Nam & iuſtitia benigniſsimi iudicis noſtri Chriſti patitur, vt etiā viuentes pro defunctis ſatisfaciant, qua igitur ratione miſericordia eius non patitur, vt etiam remiſsionē in opere ſuo quod ſubeūt, pro defunctis accipiant, neq; enim ratio aliqua poſtulat, vt charitas qua velut communi vinculo colligati manemus, ad vnum potius valeat quam alterum, magiſq; in materia iuſtitiæ proſit, quam foro miſericordiæ: nam ſi iuſtitia patiatur vnum pro altero ſoluere, quare miſericordia non patitur quod pro altero, ſeu in alterius perſona remiſsionē accipiat, ille potiſsimum qui ipſe paratum ſe exhibet, iuxta arbitrium diſpenſatoris pro defuncto ſoluere? Res enim iſta non multo aliter ſe habet, quam ſicut Rex aliquis, vbi egenos habet debitores, qui, quoniam non habent, vnde ſoluant, proximum eſt vt in carcerem detrudantur, vxores & filij iuxtà Parabolam Euangelicam diuendantur, per oeconomum ditioribus ciuibus proponat, vt ſi quis tantum videlicet pro eo qui debet mille, ſoluerit quinquaginta, totum pauperi debitum remittetur, quod vbi ditior quiſpiam perfecerit veram pauperi totius

ſolutionem acquiſiuit, ad hunc, inquam, modum nō multum diſsimili ratione indulgētię per modum ſuffragij ad defunctos perueniūt, dum ianitor & œconomus regni cęlorum, cui plena à rege in debita filiorū qui foris ſunt, data eſt poteſtas, ijs qui ſoluendo & ſibi ſubiecti ſunt in terra proponit, vt ſi qs tantum pro fratre in carcere poſito ſatisfecerit, totum vel dimidium iuxta œconomi arbitriū fratri dimittetur, vbi non directè aut proximè neq; per modū iudicialis ſententię defunctus frater abſoluitur, ſed per modum ſuffragij, id eſt, intercedente & mediante ſolutione, quam pro defuncto ex parte facit viuus, quod itaq; dicitur per modum ſuffragij, non verum tollit aut alienat, ſeu minuit fructum indulgentiæ, ſed explicat, qua ratione ad defunctos qui nihil poſſunt operari, quiq; eccleſiæ nō ſubſunt iuriſdictioni, perueniat, non enim per modum abſolutionis, quo ipſi directè & immediatè à iudice ſuo abſoluuntur, ſed intercedente viuentium pro ſtudio, gratia, quę poſſet concedi viuentibus, clauiū authoritate ad defunctos trāſmittitur, quicquid enim pro alio in eius gratiam & ſalutē præſtatur, rectè ſuffragium dicitur, ideoque quando per modum ſuffragij dicuntur indulgentiæ trāsferri, nihil aliud ſignificatur, quā quod non iudiciali authoritate pōtificis, ſed ſimplici donandi commiſsione, à Chriſto in cuius ſunt foro & carcere vicario ſuo tradita, quam ſine opere pro defunctis pręſtando exercere nō poteſt, vnde & rectiſsimè ab Innocentio

centio & Paludano animaduerſum videtur, quod pro defunctis ſolus Pontifex, qui Chriſti cum plenitudine poteſtatis vicarius, indulgentias cõcedere poteſt, ſicut etiam de ſolo Papa ferè hæc quęſtio apud doctores mouetur, & eccleſię conſuetudo nihil eiuſmodi cæteris Epiſcopis videtur attribuere, quoniã ſolus Petrus abſolutè ianitor eſt regni, pro ijs omnibus qui ſunt foris, conſtitutus, illiq; ſoli dictũ eſt, Tibi dabo claues regni cęlorũ, cæteris ligandi & ſoluendi cõmunis eſt poteſtas, quibus poſtea dictum eſt, quæcunque allegaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Modica interim difficultas exoritur, cur Pontifex non abſolutè poteſt defunctis impẽdere indulgentias, ſed (vt dictum & expoſitũ eſt) duntaxat per modũ ſuffragij, etenim ſi abſolutè datæ ſunt illi claues, quare non etiam ſimpliciter eas exercet, cuius facilis ęſt reſponſio, quoniã nec ſic viuentibus concedit, nam etiam hoc in iſto argumento traditũ eſt eccleſię indulgentias, non poſſe dari, niſi pro pio & ſancto aliquo opere, vnde iuſtè & rationabiliter Pontifex ad indulgendum & theſaurum eccleſiæ diſpenſationem moueatur, non poſſunt autem defuncti, vt notum eſt, per ſe quippiam operari, ſed hoc ratione charitatis, in qua migrarunt, hic promeriti ſunt, vt pro illis quæ fiũt velut ab ipſis facta reputentur: ideoq; nõ niſi per hunc ſuffragij modum, quo pro illis fit aliquid, indulgentiæ ad eos transferuntur. *Matt.16.*

Apud Caietan. in 3. partem quæſt. 48. artic. 5. Placet his omnibus ſubijcere clariſsimam ſimul & eruditiſsimam decretalem Leonis decimi, qua de Indulgentijs quæ hactenus dicta ſunt, omnia clariſsimè ſimul & ſolidiſsimè comprobantur. Nam legato quem habebat in Germania, ſcribens: Per præſentes tibi ſignificandum duximus ait Romànam eccleſiam, quam reliqui tanquam matrem ſequi tenentur, tradidiſſe Romanum pontificem, Petri clauigeri ſucceſſorem, & Ieſu Chriſti in terris vicarium poteſtate clauium, quarũ eſt aperire regnum cœlorum tollendo illius in Chriſti fidelibus impedimẽta, culpam videlicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam (culpam quidem mediante ſacramẽto pœnitentiæ; pœnam verò temporalem, pro actualibus peccatis ſecundum diuinam iuſtitiam debitã: mediante eccleſtica indulgẽtia) poſſe pro rationalibus cauſis cõcedere eiſdẽ Chriſti fidelibus, qui charitate iungente mẽbra ſunt Chriſti, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio indulgentias ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & ſanctorum, ac tam viuis quam defunctis Apoſtolica authoritate indulgentiam concedendo, theſaurum meritorum Ieſu Chriſti & ſanctorũ diſpenſare, & per modum abſolutionis indulgentiam ipſam cõferre: vel per modum ſuffragij illam transferre conſueuiſſe, ac propterea oẽs tam viuos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiuſmodi cõſequuti fuerint, à tanta temporali pœna, ſecundum diuinam iuſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita

liberari, quanta conceſſæ & acquiſitæ indulgentiæ æquiualēt, & ita omnib. teneri & prędicari debere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua illam incurrentes ab alio quam à Roman. Pontifice, niſi in mortis articulo nequeant abſolutionis beneficium obtinere, authoritate Apoſtolica earundem tenore præſentiū decernimus. Hæc ille: quibus adde, quod ab eodem doctiſsimo pōtifice in Luthero damnatū eſt, Indulgentias his qui veraciter eas conſequuntur, non valere ad remiſsionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ, apud diuinam iuſtitiam, vbi ne grauiſsimam ſedis Apoſtolicæ cenſuram nugatoriè & ridiculè quis accipiat, tunc intelliget nos eas veraciter conſequi, quando ea veraciter præſtamus, quæ pro indulgentiarū aſſequutione ad honorem Dei & ædificationem eccleſiæ præſcribuntur. Cæterum nunc obijcitur, quod ſcriptura & veteres ſancti dignos exigunt pro peccatis pœnitentiæ fructus, & correſpondentem magnitudini peccati afflictionem, facite (inquit Ioann.) fructum dignum pœnitentiæ, & Cyprianus quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens & longa medicina non deſit, pœnitentia crimine minor non ſit, grauiter eos repræhēdens, qui ſua adulatione faciunt, ne dominum grauiter offenſum longa & plena pœnitentia deprecentur. Et Amrobſius, grandi plagæ, alta & prolixa medicina opus eſt, grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem,

Artic.19.

Matth.3.
Baſil. in Pſal. 114.
Cyprian. de lapſis.

Ambroſ. de lapſis.

adeo vt Beatiſsimus Cyprianus irritam & falſam velit eſſe pacem, periculoſum dantibus, & nihil accipientibus profuturam, vbi non quærunt ſanitatis patientiam, nec verá de ſatisfactione medicinã, atqui quando plena ſatisfactio perſoluitur, iã non opus eſt indulgentijs, & vbi indulgentia conceditur, iã nõ plena aut dinga pęnitentia peragitur. Videntur itaq; indulgentiæ pugnare cum ſcripturis, quæ plenam pro peccatis ſatisfactionem exigunt, ad quod rectiſsimè cum Propheta dicimus, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud Dominum miſericordia & copioſa eſt apud eum redemptio: Nam ſi plenè oportet ſoluere, iam non propriè eſſet apud Deum pœnæ temporalis remiſsio, & fruſtra eius benignitate conſtitutum & promiſſum eſſet filijs, vt debitoribus ſuis ipſi dimitterent, quo etiam ſua à patre debita dimitterentur: Iure itaq; diuino & naturali requiritur quidem ſatiſfactio, qua ſeruata aliqua proportione peccata pro ſua qualitate, homo in ſe ipſo punit & vindicat: Nam quę ſecundum Deum triſtitia
2. Cor. 7. eſt, vindictam iuxta Apoſt. operatur, & pœnitentia in relapſis æquiſsima Dei ordinatione pars eſt iuſtitiæ vindicatiuæ: vnde iube-
Ioelis 2. mur toto corde reuerti ad Dominum in ieiunio, fletu & planctu, ſicut & Iacobus præter emundationem & purificationem cordis à peccatoribus exigit, vt miſeri ſint, lugeant, & plorent, riſus eorum in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem, & Paul. Apoſt.

dum

dum ait, ſi nos ipſos dijudicaremus, non vti- *Iacob. 4.*
que iudicaremur, manifeſtè ſignificat, pecca-
toribus poſt baptiſmum neceſſarium eſſe iu-
dicium, quo maiorem quiſq; in ſe ſeuerita-
tem debet exercere. Cæterum huius ſatisfa- *Auguſt.*
ctionis & vindictæ modum, Dominus vica- *Hom. 50.*
rio ſuo & alijs familiæ Oeconomis, id eſt, E-
piſcopis & presbyteris commiſit, vt quando
pœnitens verè de peccato dolet, quod ad ſa-
tisfactionem attinet, contra ius diuinum nõ
peccet, ſi iuxta horum arbitrium opera pœ- *Auguſt.*
nalia ſubeat: Vnde Beatiſs. Auguſt. cum pœ- *Hom. 50.*
nitens in ſe protulerit ſeueriſsimè ſententiã
medicinę veniat ad antiſtites per quos illi in
eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bo-
nus incipiens iam eſſe filius, maternorum
membrorum ordine cuſtodito à præpoſitis
ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuę modũ.
verus autem dolor qui toto corde procedit,
veras etiam parit lachrymas & pro maiori
delicto indubiè etiam magis ingemiſcit, ma
iori pœna digniſsimum ſe pronuncians: ſed
quod ad præceptum attinet, iudicium quidẽ
& pęnam ſubire debet, verum iuxta arbitriũ
ſacerdotis: ſic enim rectè cõtritio definitur,
vt ſit dolor de peccatis propter Dei offenſam
ſuſceptus, cum propoſito confitendi, & ſatiſ-
faciendi iuxta arbitrium ſacerdotis. Quos
ergo D. Ioannes dignos pœnitentiæ fructus
exigit, non plenam pro peccatorum magni-
tudine ſatisfactionem conſenſus eſt poſtula-
re, ſed dignos intelligit, eos qui veri ſunt pę-
nitentiæ fructus, ſicut Apoſt. etiam à genti-

bus nondum baptizatis digna pœnitentiæ opera in actis requirit, tales abſq; dubio fructus arbitror, quando quis ex animo propter offenſam Dei, de peccato dolens, eà præſtat, ſubit, & amplectitur, per quæ cognoſcit aboleri, quicquid ex peccato mali natum eſt, non enim amplius dignus & iuſtus dolor exigit, neque ipſa iuſtitia amplius poſtulat. Quando igitur per opera in indulgentijs piè præſcripta videt & intelligit culpam & pœnam tolli, haud malè aut incongruè dicetur, dignum pœnitentiæ fructum facere, qui hoc præſtat, quo totum quod ex peccato ſequutum eſt malum intelliget deſtrui & auferri.

Porro veteres nunc allegati (primum notandum eſt) quod contra eos agitur, qui ſine exomologeſi, id eſt, confeſsione & ſatisfactione pro arbitrio ſuo audeant ſibi pacem vendicare, & ſacræ Euchariſtiæ percipiendæ ſe ingerere, item & contra presbyteros agunt, qui peſtifera quadam adulatione, ſic lapſis permittebant, vt videre eſt apud Cyprianum libro 1. epiſtol. 8. Agunt (inquit) vt non rogetur Dominus, poſt culpam criminis, tollatur & pœnitentia, nec per Epiſcop. & ſacerdotes Domino ſatisfiat. Et li. 3. epiſt. 15. Ante actam pœnitentiam, antè exomologeſin grauiſsimi atq; extremi delicti factam, antè manum ab Epiſcopo & clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro illis & Euchariſtiam dare, id eſt, Sanctum Domini corpus prophanare audent. Et in ſermone de lapſis: an-

B. Cypri.

pſis: antè expiata delicta, antè exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiã ſacrificio & manu ſacerdotis, antè offenſam placatam indignantis Domini, & minantis pacem putant eſſe, quã quidam verbis fallacibus venditant: non eſt pax illa ſed bellum, volunt igitur vt pœnitentes ſacerdotum genibus advoluantur, exomologeſim faciant, & (vt dictum eſt) pro eorum diſcretione modum ſatisfactionis ſubeant. Sicut idem Beatiſsimus martyr lapſos admonet, confiteantur ſinguli quæſo fratres, delictum ſuum dũ admitti confeſsio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt: Sic enim à ſacris concilijs traditur tertiam eſſe partem pœnitentiæ ſatisfactionem pro peccatis, ſecundum arbitrium ſacerdotis. Secundo volunt idem ſanctiſs. Patres (vti rectè ab Adriano & Ruardo diſputatum eſt) compunctionem & pœnitẽtiam in relapſis, cõſiderata peccati magnitudine, debere quoq; ſeruata aliqua proportione eſſe magnã, feriã, grauẽ, & laborioſam, vtpote quæ toto corde, & in tota tribulatione animæ iuxta ſcripturam fieri debet. Ecce, inquit Apoſt. hoc ipſum ſecundum Deum, contriſtari, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed indignationem, ſed timorẽ, ſed æmulationem, ſed vindictam, manifeſtè ſignificans veram pœnitentiam & Dei amore & peccati odio vehementer & intentè paratam eſſe & accenſam, vt multum & grauiter peccatum in ſe dolendo vindicet.

Concil. Florent.

Deut. 4.
2. Cor. 7.

Quæ

Quæ verò amplius Patres exaggerant ſecun-dum æquitatem quantum à ſacerdote pœnitentiam iniungente, tum à pœnitente ſeruari benè deceret, & ex ſano conſilio quo pœnitentium ſaluti conſulunt, & curandis vulneribus congruam proponunt medicinam, cenſendi ſunt tradere, ſicut & illud quod epiſt. 15. petit & hortatur Cyprianus, vt quos martyres viderent & noſcerent, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicerent, Epiſcopo commendarẽt: Vbi verò plenam & iuſtam idem martyr pœnitentiam in relapſo poſtulat, ſicuti libr. 4. epiſt. 2. & locis iam citatis legitur, non aliam quam haud ſimulatam, vt patet locum inſpicienti, ſed veram quæ pleno corde ſacerdotis indicis ſui atque vicarij, Dei arbitrio ſe ſubmittit. Cœterum nunc quæſtiones & admirationes occurrunt, quomodo ſe habeant Indulgentiæ quæ de millæ & pluribus ſubinde annis leguntur: Item quæ plenariè vel ad quinquaginta annos pro viſitanda eccleſia, pro eleemoſyna vel pro precatiunculis aliquot alijſq; ſimilibus paruis & modicis pietis exercitijs conceduntur: Nam ſi iſtiuſmodi tam faciles atq; frequentes cõdonationes, vim ſuam habeant, iam inania videntur eleemoſynarum, Ieiuniorum, remedia, quæ ad placandum Deum ſcriptura cum hilaritate & promptitudine præſcribit, & ſi animis in purgatorio hoc modo ſuccurritur, vix alijs ſuffragijs opus fuerit, quibus vt ſine temeritate & præiudicio reſpondeamus, primum

Lib. 3. Epiſt. 15.

dubitan-

dubitandum non eſt, multas circumferri & annotari indulgentias,quæ propria hominũ præſumptione,& audacia confictæ ſunt. Deinde multas inueniri quæ per nimiam ſollicitantium ambitionem non attendentibus prælatis per ſcribas & notarios obreptitiæ & ſurreptitiæ impetratæ ſunt: Norunt enim ſanctiſsimi Antiſtites huius theſauri ſe non dominos ſed diſpenſatores & miniſtros à Chriſto conſtitutos,vt non pro ſolo fauore, ſed legitima & rationabili cauſa,quam veriſimiliter Chriſto probari ſperent, eum diſpenſari poſsint, & debeant, tãquam iudices videlicet in cauſis peccatorum pro ſalute delinquentium & eccleſiæ ædificatione conſtituti: Deus enim eſt qui ipſorum miniſterio ſolus peccata dimittit, & theſauro ſuo prouidet,(vt inquit Tertullianus)ne quis indignus obrepat; neque irrationabilibus noſtris motibus vt eſt apud Dionyſium ſapientiſsima diuinitas quaſi miniſtra obſequitur, vnde etiam ſpiritum ſanctum accipiunt, vt diſcrete, prudenter,& fideliter in hoc foro pœnitentiali verſentur: Ad hæc etiam ſi per ſe parua ſint, quæ imponuntur,ſæpè tamen relata ad finem & modum propter quod gratię conceduntur,eximiã quandam pietatem,& virtutis excellentiam continent, neq; enim magna admodum aut laborioſa fuerunt, ſi per ſe conſideres opera Magdalenæ & Publicani: quorum intuitu plenam à benigniſsimo Deo indulgentiam conſecutæ ſunt: quoniam amor & humilitas(vnde profecta ſunt)

Tertull. de pœnitentia.
Dionyſ. in fine de eccl. hier.

magna

magna fuerunt, ad quem modum etiam mi-
nima quædam exercitia, ex fide & obedien-
tia & amore eccleſiæ & proximorum ſuſce-
pta, plurimum momenti habent apud Deũ:
neq; enim externa illa opera, vt ſunt opera
quædam & facta, poſtulantur: ſed vt ex fide
& amore Chriſti in communione & vnitate
eccleſiæ pro honore cathedræ Petri, & vtili-
tate eccleſiæ procedunt: Quare etiam non
niſi verè pœnitentibus confeſsis, & in chari-
tate conſtitutis ſacer iſte theſaurus commu-
nicatur: Ideoq; nimis ſuperſtitiosè grandia
4. Reg. 5. petentibus, hic dicendũ eſt, cum ſeruis Naa-
man Syri, ſi rem grãdem nobis dixiſſet Pon-
tifex, certe facere debueramus, quanto ma-
gis quia nunc modica requirit: Certum in-
terim eſt, vt benè à Gerſone & Adriano an-
notatum eſt, Indulgentias illas millenarias,
ſi proprio ſermone accipiantur, eatenus ſu-
perfluas & indiſcretas eſſe, atque ex ignoran
tia præter veritatem emanare, niſi fortè ho-
noris cauſa hyperbolicè pro valdè magnis;
non tamen plenarijs indulgentijs accipian-
tur, ſiquidem vt probatus à ſacris conci-
lijs & Pontificibus habet indulgentiarum
vſus, indulgentiæ relaxant pœnitentias,
quæ pro redemptione pœnæ purgatoriæ in-
iunctæ ſunt, vel iniungi poſſent, nullæ au-
tem huiuſmodi annorum pœnitentiæ in ec-
cleſia cogitatæ ſunt, aut imponi poſſunt: in
alijs vero quæ plerumque priuatis locis &
perſonis ſatis liberaliter pro exiguis operi-
bus conceduntur, ſolet plerumque ad cau-
telam

telam adijci, in quantum claues eccleſiæ ſe extenduut: qua formula ſignificatur, quod tantas indulgentias qui promereri cupiunt, debent ſe profunda humilitate, & excellentia quadam charitatis facere idoneos, & tantæ gratiæ capaces, vbi verò abſolutè & non ſurreptitiè, ſed conuenienti iudicio & maturitate conceduntur, nihil hæſitandum eſſe cenſuerim, tum quia rationabilem eſſe homini gratiam conſtat, vtpote quæ licet, non ſumma tamen ex ratione & cauſa quæ probatur, pia, bona, & iuſta proficiſcitur, tum quia ſupremus iudex ratum apud ſe futurum pollicitus eſt, quod hoc modo ab eius vicario diſſoluitur, vt rectiſsimè à Clemente dictum ſit, Pontificibus munus iſtud exequendum commiſſum eſſe, ex rationabilibus & proprijs cauſis, prout cum Deo expedire cognoſcerent, ſic enim dum agunt, tunc vt Pontifices (ſicut Dionyſius loquitur) & ſicut Dei miniſtri ac vicarij agunt. Alioqui quod aliter ab illis ſubinde extorquetur, velut ſurreptitiũ, viribus quatenus eiuſmodi caret, & illegitimum eſt. Vt igitur concludamus, indulgentiæ vt verè ſint efficaces, ſufficit, quod cauſa verè pia ſit, & ipſi Pontifici ſic cum Deo expedire videatur, quòd ſine dubio ſemper inuenitur, vbi ſacris Pontificibus non obrepitur, neque ipſis inſcijs aut non aduertentibus procurantur, & ſi hic eos errare contigerit, ipſi quidẽ rationem Domino ſuo reddent, pœnitentium tamen ſpes & fiducia non fallitur.

Quod

quod autem de eleemoſynis & ieiunijs alijſque pœnitentiæ & charitatis remedijs quæ conſuluntur in ſcripturis, obijcitur, nequaquam ex legitimis & maturis indulgentijs oritur, tum quia homini gratiæ talia & æqui pollentia prout cõſuluntur in ſcripturis exigunt & præſcribunt: ſimiliter & Confeſſarij ſolent huiuſmodi pro ſtatu pœnitentis iniungere, tum etiam quia in charitate qui indulgentias percipit; pro loco & tempore ex ipſa vi dilectionis gratiarum actione copioſius eadem exercebit: Oportet enim conſiderare filios eſſe, Chriſti ſanguine Patri reconciliatos, quibus indulgentias eccleſia impartitur, qui peccata ſua ex amore deflere nõ deſinunt, & bonorum operum abundantia ſtudẽt, pro ſua infirmitate indulgentiſsimo patri gratias agere: Quod autẽ ad defunctos attinet quia illi in loco ſunt iudicij, vbi ipſi Domino rationem reddunt; rarò & non temerè eccleſia indulgẽtias impartitur, ac quæ pro illis fiunt ſuffragia; ſæpè ab ijs qui non ſunt in ſtatu gratiæ peraguntur, quo caſu neque opera ipſa, neq; indulgentiæ pro defunctis ſatisfaciunt, quibus quod omnibus quæ nunc dicta ſunt, commune eſt. Adijce, multa eſſe & varia (vt piè à D. Roffenſi in hoc argumẽto annotatur) Diuinæ miſericordiæ præſidia, quibus pro locorum, temporum & hominum, atq; officiorum varietate, modica noſtra fides in Chriſto roboratur, & per paſſionem eius peccatorum remiſsionem conſequimur, velut ſi fons aliquis immẽſus per

multos

multos canales & foramina, aquas ſuas diffundat, quas hoc loco iſte, alius alibi, pro rerum oportunitate & ſua capacitate haurit, & quia in ſingulis ſumus imperfecti, omnia pro tempore & loco prudenter amplectimur, viuentes ſæpè & grauiter offendunt, & ſi confiteantur non ſtatim omnes affectus, ſaltem veniales exuunt, quibus permanentibus reatus eorum non deletur, atque proinde continuus purgationibus, orationibus, eleemoſynis, ieiunijs indigēt. Poſtremò virtutes ipſę in radice charitatis & prudentiæ (vt etiam iuxta philoſophos vnanimi conſenſu tradunt Theologi) connexæ ſunt, quoniam igitur quæ indulgentijs præſcribuntur vt opera virtutum, (ſicut antea dictū eſt) exiguntur, omninò præſupponitur quod & iſta ex fide piè & ſanctè cum fiducia ac ſine ſuperſtitione humiliter facient, & alia pietatis officia pro loco & tempore non omittent, nam ad augmentum & non in diminutionem ſuffragiorum, & bonorum pro defunctis operum, indulgentiæ conceduntur.

(∴)

DE FIRMITATE CATHEDRAE PETRI.

PROPOSITIO.

Promiſſio facta Beato Petro non patitur, vt Pontifex Romanus in fidei & morum negotijs ex officio & authoritate capitis agens definiat aliquid, quod cum veritate vel fide pugnet.

NIHIL magis pro fidei vnitate in eccleſia tuenda eſt neceſſarium, quam vt authoritas & priuilegium cathedrę Petri, ſeu ſedis Apoſtolicæ benè cognita & perſpecta habeantur & agnoſcantur. Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt (ait Cyprianus) aut
Cyprian. lib.1. ep.3 nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Vnde mirandum ſimul & dolendum quòd etiam nonnulli catholici ſcriptores tam perplexè & variè de firmitate Cathedræ Petri, aliter ſanè quam conuenit pro honore & conditione Petri, diſſerunt. Nam ſi hic non certa & indubitata habeatur ſententia, vera quoque fidei vnitas retineri non poterit, neque eccleſiæ proſpectum

ſpectum erit quo minus eius filij omni vento doctrinæ moueantur. Quare ſepoſitis incertis & dubijs opinionibus, id quod veriſsima habet eccleſiæ traditio, & ſcripturæ manifeſtæ conuincunt, liberè profitendum eſt. Id enim Eccleſiæ ab initio traditum eſt, maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones ad ſummum Pontificem Petri ſucceſſorem referendas eſſe, atque eius definitioni inhærendum, quemadmodum in omnibus controuerſijs quę de fide poſt obitum Apoſtolorum exortæ ſunt, ſanctiſsimi Patres, martyres & confeſſores fecerunt, & hæreſes hac ratione damnatas etiam ſine generali Concilio vitãdas populo propoſuerunt & extinxerunt. Nam Valentiniani, Manichæi, Nouatiani, Aerius, Iouinianus, Heluidius, Pelagius & alij quamplurimi errorum imitatores, ſolius ſedis Apoſtolicæ authoritate damnati ſunt, & eorum dogmata pro hæreſibus à populo Chriſtiano habita, vt rectiſsimè à diuo Bonauentura dictum ſit: Malum eſſe nõ tollerandum in fide vel moribus: Pontificis definitioni dogmatizare contrarium, approbãdo quod ipſe reprobat, reædificando quod deſtruit. Vnde beatiſsimus Auguſtinus, quãdo quæſtiones Pelagij fuerant an Pontificem relatæ, & eiuſdem ſuper illis ædita & habita eſſet ſententia, docuit hoc iudicium ſufficere: Fratres mei (inquit) compatimini mecum, vbi tales inueneritis, occultare nolite: non ſit in vobis peruerſa miſericordia, prorſus vbi tales inueneritis, occultare nolite, redargui-

Decret. diſt. 42.

D. Bonauentu. in Apol. prò paup ca. 1. reſp. 1.

darguite cõtradicentes & reſiſtentes ad nos perducite, iam enim de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, vtinam aliquando finiatur error. Cumque Pelagiani generalem ſynodi congregationẽ poſtularent, ille non opus fuiſſe docens, tradit hoc ſedis Apoſtolicæ iudicium competens, & ſufficiens eſſe, & vbicunque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint. Sanè in definitione ſi poſſet errare Pontifex, nequaquam iudicium eius competens aut ſufficiens in negotio fidei (cui falſum ſubeſſe non poteſt) cenſeri deberet. Proſpexit itaque Dominus eccleſiæ ſuæ quando magno compendio vnum conſtituit, cuius in omnibus ſententiam tutò ſequi poſſumus. Primum enim Beato Petro quem totius ouilis ſui paſtorem voluit conſtituere, haud obſcuris verbis hanc ſententiæ firmitatem pollicitus eſt, quando enim pro fidei ſuæ merito atque conſtantia volens honorare dixit: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam & portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam, quod in Hebraico Euangelio ad verbum dicitur: Tu es Cephas & ſuper hũc Cepham ædificabo eccleſiã meam. Nam apud Iohannẽ cum ad Chriſtum Simon adduceretur, dixit illi Ieſus: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Hac ſententia Dominus clariſsimè pollicetur, Petrum fore velut firmiſsimam Petram ac rupem ex qua eius ædificaretur eccleſia, quæ

Lib. 4. cõtra duas Epiſtol. Pelagianorũ cap. vlt. & li. 3. cont. Iulian. ca. 1

Matt. 16.

Ioann. 1.

propter firmitatem Petrę vnde eſſet exciſa, ipſa quoq; immobilis & inflexilis permaneret. Siquidem firmitatem eccleſiæ ex petra vnde exciditur deriuandam ſignificat, propterea enim contra eam portæ inferi non præualent, quia ædificata eſt ſupra petram, ædificata (inquam) non ſicut domus ſtaminea aut lutea poſſet rupi alicui imponi, quæ facillimè ventis dimoueri queat, ſed ſic ſuper Petram, vt(ſicut loquitur Eſaias) inde exciſa ſit, vt ipſa petra quatenus excauata & exciſa eſt, habens in ſe ipſa manſionē, ſit domus & eccleſia Chriſti, eam firmiſsimè ſuſtinens. Quamquam autem Chriſtus Dominus verè ipſe ſit petra, hic tamen Simonem, quem vice ſua paſtorem eccleſię fieri voluit, in conſortium nominis & honoris pro ſua erga eccleſiam bonitate aſſumpſit, eundem ſua protectione, defenſione & aſsiſtentia ita muniendum, vt & ipſum contra portas inferi petram effecerit. Quod enim Simonem ipſum intellexerit, quando dixit ſupra hanc petram, qui verba Chriſti perpendit dubitare non poteſt: præcedit enim proximè de Petro: tu es Petrus, & mox ſubiungit, ſuper hāc petram. Quam igitur aliam (ſi conuenienter verba iſta accipies) poteris intelligere petram, quam quæ proximè deſignata erat: tu es Petrus? cui ſubijciens, & ſuper hanc petram, illam apertè demonſtrat, quæ hoc nomine Petrus iuxta nominis rationē deſignatur, hoc enim Sapientia Dei non inaniter Simoni dixit, quaſi nihil aliud quam eum

alio nomine appellare voluerit, ſed abſque omni dubitatione vim & rationem nominis (Petrus) quod à petra dicitur attendens, Simonem hoc nomine pro fide ſua honorauit & remunerauit, quaſi diceret: ego te facio Petrum, qui inſtar rupis & ſaxi ſub mea protectione ſis immobilis, potens & firmus contra infernales poteſtates, & ſuper te ſic firmum & immobilem ædificabo eccleſiam meam. Ideoque Beatiſsimus Apoſtolus, iuxta Hieronymum, Hilarium, Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Leonem, & alios ſanctiſsimos veteres dicitur ex hoc loco fundamentum Eccleſiæ. Accedit quod hoc loco nulla Chriſti fit mentio, vt nulla probabilitate ad perſonam Chriſti referri queat, quod iſtic de petra dicitur. Deinde omnes ab initio ſancti, totaq; Ciuitas Dei ab origine mundi ſuper Chriſtum ędificata eſt, ſuper hanc verò petram iam deinceps ſe ædificaturum, id eſt, omnes oues & filios in vnũ ſub Petri obedientia & fide collecturum pollicetur. Nam ridicula videbitur demonſtratio, ſi Petro quem ſolemniter volens honorare dicebat: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, ſi, inquam Petro relicto ad ſe demõſtrationem conuertiſſet, & ſuper hanc petram. quid enim hoc ad Petrum? ad quod propoſitum? quorſum inane nomen Petrus? Quare ſi rectè, vt cõſequenter textus exigit, verba domini accipis, dices Petrum demonſtrari ſuper hanc petram, quam videlicet nomine Petri exprimi & deſignari voluit. Altera eiuſ-

dem ar-

dem argumēti ſcriptura manifeſtè & ſine metaphora hanc prærogatiuam promittit. Nam in cœna nouiſsima iam mortem pro eccleſia ſubiturus, Dominus ait Simoni: Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autē rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos. Hoc Dñs dixit Simoni pro tempore quo poſt glorioſam ſuã reſurrectionē regnum eius eſſet in hoc mundo virtute paſſionis eius erigendum, de quo proximè dixerat: & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim trib. Iſrahel. In hoc itaq; regno quod eſt eccleſia cũ Petrum, ſicut regni natura vnũ caput exigit, ſuo loco omnib. præficere vellet, eum pro totius regni contra ſathanã qui inceſſanter regnum eſſet oppugnaturus, oratione ſua muniuit, ne in fide deficeret, vt oues dum facile paſtoris ſui vicarij Chriſti fidem perſpicerēt & intelligerent, hanc ſequentes, poſſent etiã facillimè oēs ſathanæ laqueos euitare. Cum autē perſona Simonis non ſemper illic eſſet permanſura, eccleſia aũt & regnum perpetuò ſtaret: nō aliter per has pulcherrimas Chriſti promiſsiones eccleſię conſultum fuit, q̃ quę his promiſſa ſunt Petro, etiam ad ſucceſſores eius pertinere intelligerentur. Dicuntur enim hęc omnia Petro tanquam futuro Chriſti vicario, ac totius eccleſiæ paſtori, vtpote quibus & futurus paſtor ſignificatur, & pro

Lucæ 22.

eius & eccleſiæ conſolatione tanta in officio aſsiſtentia promittitur: quod enim dicit: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ad caput & paſtorem fratrum pertinet, & quod de oppugnatione Sathanæ commemorat, non pro illo tantum tempore, ſed quamdiu regnabit eccleſia, verum eſt. Denique quod apud Mattheum dicit ſe ſuper petram ædificaturum eccleſiam, non pro diebus Petri duntaxat, ſed toto tempore, quo vſque ad conſummationem ſæculi ædificatur eccleſia, intelligi debet: quia videlicet omnes Chriſto authore ac protectore in vnum ouile, ſub obedientia & fide ſucceſſoris Petri vicarij Chriſti colligimur. Ex quibus ſententijs, tametſi Pigius in ſua eccleſiaſtica Hierarchia colligat, Papam non poſſe fieri hæreticum, aut ſimpliciter in fide errare, cuius ſententia neſcio, an euidenter & veraciter poſſet confutari, nunquam enim illud viſum eſt, non amplius tamen traditum eſt eccleſiæ, quam quod ſpiritus ſanctus ipſum in iudicialiter definiendo non patietur in fide errare, nam quæ dicta ſunt, ad Simonem pertinent, vt erat futurus Chriſti vicarius, Iudex & paſtor eccleſiæ, ſicut diſpono, inquit Dominus, vobis regnum, vt ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael, quorum omnium ipſe Simon generalis futurus iudex ſignificatur, quando ad eum dicitur, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ſicut poſt
Ioan. 21. reſurrectionem clariſsimis domini verbis

omni-

omnium ouium & agnorum Chriſti rector & paſtor conſtitutus eſt, quando tam grauiter & ſerio alijs præſentibus illi peculiariter & nulla perſonarum diſtinctione dictum eſt, paſce agnos meos, paſce oues meas, & quando ſuper ipſum dicebatur eccleſia ædificanda, non ſimpliciter eius perſona ſpectabatur, ſed ſuper ipſum vt erat futurus Chriſti vicarius. Ex his, inquam, eccleſiæ traditum eſt, quod Pontifex agens vt Pontifex, (ſicut loquitur Dionyſius & Ioannes vigeſimusſecundus) & ex authoritate capitis definiens Chriſti protectione & aſsiſtentia non errabit: quomodo conſiderata pontificis authoritas, Cathedra Petri & ſedis Apoſtolicæ nuncupatur. Vnde Diuus Bernardus ad Innocentium: oportet, inquit, referri ad veſtrum Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt: Dignum namque arbitror ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, vbi non poſsit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis, cui enim alteri aliquando dictum eſt; ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, quomodo Lucius, Fœlix, Marcus & Agatho pontifices ex his verbis ſedis Apoſtolicæ ſententiam in cauſa fidei ab omnibus ſequendam eſſe docent. Et Diuus Hieronymus ad Damaſum. cum ſucceſſore, inquit, piſcatoris & diſcipulo crucis, loquor: ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, nō

De Eccl. Hierarch. *in extrauagant. de verborum ſignificat.* *Epiſt.* 190

Epiſt. ad Damaſ. cuius initium eſt Quoniā vetuſto.

noui Vitalem, Meleſium reſpuo, ignoro Paulinum: qui tecum non colligit, ſpargit. Et rurſus epiſtola mox ſequenti: quorundam circa Manentium antiqua ſurgit in me authoritas, ego interim clamito: ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Et quoniam nonnulli Ioannem Picum Mirandulam in contrarium ſolent adducere, non pigebit etiam ſententiam illius, aliàs non magnopere neceſſariam huc attexere: cum enim multas ille diſputandas ſententias propoſuiſſet, & ob nonnullas velut ſuſpectas non optimè audiret, in Apologia ſic ſcriptum reliquit: iudicabit de his ſancta ſedes, & ſedens in ea Innocentius octauus, cuius iudicium negligere aut violare nephas & flagitium eſt. Porrò pulcherrima ſunt, quæ Catholici ex Aegypto Epiſcopi olim ad Fœlicem epiſcopum de hoc ſedis Apoſtolicæ priuilegio ſcripſerunt: veſtra ſancta Romana ſedes, inquiunt, firmamentum à Deo fixum & immobile percepit: quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſsimam Dominus Ieſus Chriſtus veſtram Apoſtolicam conſtituit ſedem; ipſa eſt enim ſacer vertex in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, releuantur: Tu es (ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium) Petrus & ſuper fundamentum eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi tibi ſunt confirmatæ: tu prophanarum hæreſum & impetitorum atq; omnium infeſtantium depoſitor, vt princeps & doctor caputque omnium orthodoxæ doctrinæ immaculatæ fidei ex-

Picus Mirandula in Apolo.

dei exiſtis: quibus omnibus debitè conſideratis facilè eſt quorũdam refellere inuentiones magis ex diffidentia & fidei infirmitate, quam vera ratione excogitatas, quorũ iſti opinantur ſedem Apoſtolicam poſſe quidem ad tempus in errorem incidere, ſed non finaliter in eo permanere, vt quod vnus aliquando vt homo malè ſenſit, alius vel idem ipſe ſtatim corrigat: quemadmodum in cauſa matrimoniali contigiſſe videtur in decretalibus, de ſponſa duorum, capitulo (licet) vbi Alexander tertius aliter reſpondet quam à quibuſdam prædeceſſoribus fuerat aliquando iudicatum: ſimiliter in ſexta Synodo generali Honorio pontifici Monothelitarum error imponitur, ſicut & de Liberio quidam voluit, quod tandem ab Arianis victus ſubſcripſerit, & manifeſtè dicitur in diſtinctionibus, quòd Papa à fide deuiare poſsit. Alij imaginantur pontificem quando legitimè materiam diſcutit & ordinatè pro rei difficultate procedit, adhibitis in conſilium qui pro eccleſiæ conſuetudine ſolent in his adhiberi, tunc demum non poſſe in definiendo aberrare. Quæ ſpeculationes neque cum verbis & promiſsis Chriſti, neque cum obedientia & fide, quæ ſecundum eccleſiæ traditionem debetur pontifici, conueniunt: etenim qui dixit: rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, quid aliud ſignificare voluit, quam quod fides eius nunquam deficeret, ſiquidem manifeſtum eſt, eiuſmodi negatione totum id quod

De ſpõſa duorum cap. licet.

Sexta Synodus Cõſtantinopolitan.

Diſt. 40. cap. Si Papa.

quod futurum eſt temporis compræhendi? ſicut & quando dixit: portas inferi eccleſiæ non præualituras, proculdubio id ſignificare voluit: quod nunquam præualerent: ſicut id nequaquam patitur petræ natura (vnde hanc firmitudinem habet eccleſia) vt aliquando moueri poſsit, cumque vnus Pontifex non maioris honoris & authoritatis eſt populo Chriſtiano quam alius, neque ſubditorum eſt diſcutere quonam modo ſui ſuperiores procedant, nulla eſt Chriſti fidelibus (qui ſolam intuentur anthoritatem) ratio, cur vni potius vno tempore credant & obediant quam alijs. Ad quem modum nulla ouibus Chriſti certitudo relinquitur, quod in ſubortis quæſtionibus ſequi debeãt: quãdo etiam de generalibus Concilijs humana poſſet temeritas aliquando ſuſpicari aut timere, ne non legitimè & ſufficienter eſſent omnia diſcuſſa, atque ſemel admiſſa hac mutabilitate, & data iudicandi licentia, neutiquam per firmitudinem petræ proſpectum erit eccleſiæ, ne ſicut paruuli varijs doctrinæ ventis circumferantur. Quamobrem ad propoſita exempla paucis reſpondendum eſt, Sacros pontifices non omnia quę ſentiũt, iudicant, aut opinantur, & vt viri docti ſcripto vel verbo proferunt, ſtatim ea definire & iudicialiter pro ſententijs fidei capitis au thoritate decernere, ſed cuiuſmodi ſunt ſermones, epiſtolæ, & commentaria Gregorij, Leonis & aliorum Doctiſsimorum pontificum plurima ſcripta, multa ab illis quomodo ab

do ab alijs Epiſcopis & profeſſoribus ſine præiudicio & definiendi authoritate profiſciſcuntur: quod in nuper allegata extrauagante bene annotat Ioãnes vigeſimusſecundus. Promiſit autem Dominus non vt opinione & communi iudicio non aliquando fallerentur, ſed ne fides eorum deficeret, quæ niſi definitus ſit error, non deficit. ſic itaque de Cœleſtino cuius ſententia per Alexandrum in cauſa matrimoniali correcta eſt, cẽſendum eſt, ſicut certiſsimum eſt, plurimas decretales ſine definitione & vltima reſolutione, non interpoſita capitis authoritate; ſed velut à doctoribus, primum à pontificibus æditas eſſe. Quod vero ad Honorium pertinet, qui in numero pontificum 68. inuenitur, eruditè & confidenter declarat Adrianus Pontifex, quod orientales in iudicãdo Honorio ſuæ facultatis limites exceſſerint, ſicut & reuera res non ita habuit, quemadmodum Græcis perſuaſum fuerat: patet enim euidenter ex epiſtola quam ſcribit Sergio Conſtantinopolitano (vnde erroris nata eſt ſuſpicio) quod nihil aliud voluerit Honorius, quam quod Chriſtus Dñs vnus ſit operator, quod quidã in Concilio dum audirent, non rectè intellexerunt eum diuerſas in Chriſto actiones & voluntates negare. De Liberio autem tametſi Hieronymus ſcribat eum à Fortunatiano deteſtabili Epiſcopo Ariano fractum, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulſum, conſtat tamen ex Athanaſio,

In Conci. 8. actio. 6

Concil. 6. action. 11.

Hiero. in catalog. ſcriptorũ eccleſ. Libr. 2. Theodoreti ca. 19 & 17. Athanaſ. in Apologia.

ſio, & eccleſiaſtica hiſtoria, quam conſtanter, etiam cum nunc ageretur in exilium, pro Athanaſio & fide Nicena ſteterit. Nihil interim mirum eſt, neque huic repugnat ſententiæ, quod ſicut de Marcelli, qui litauerat idolis, lapſu & pœnitentia legimus, idipſum de Liberio confiteamur, quod primo priuata infirmitate peccauerit, ſed errorem nulla authoritate defendit, aut definiendo propoſuit, quemadmodum ſi alius concedatur in hæreſim labi poſſe (quod auertat Deus & nunquam adhuc viſum aut probatum fuit) de hoc interim eccleſia ſecura eſt, quod ex ipſa Cathedra, id eſt, ipſo officio & authoritate capitis nunquam definitionem erroris audiet: ſic enim rectè Cathedram, ſeu ſedem ipſam (quod dicitur Metaphoricè) intelligimus authoritatem, qua tanquam præſidens vice & nomine Chriſti, velut eius vicarij & generales Eccleſiæ præpoſiti in cauſa fidei & morum Pontifices definitè, & vt iudices aliquid reſoluunt, quos ad tale in fide iudicium, iuxta Chriſti promiſsiones, nunquam Spiritus ſanctus deuenire permittet, niſi rebus ſic expenſis & conſideratis, vt error ſubeſſe non poſsit: hoc enim & natura Petræ ſic exigit, & fidei, quæ in eccleſia debet eſſe, vnitas & certitudo poſtulat: ideoque verbis erudi-

eruditiſsimi Eudæ, poſtea Pij ſecundi verbis concludimus: Hoc, inquit, auſum dicere, Romanus præſul indubitatus nemo vnquam inuentus eſt falſæ doctrinæ publicus aſſertor.

Aeneas Syluius dialogo cōt. Bohemos epi. 3

F I N I S.

ERRA.

ERRATA GRAVIORA HOC MODO CORRIgenda.

Euangelia conſentiamus, lege Euangelio conſentiamus *Pag.80.lin.14*

Amplius ſit (adde) oportet *pag.88.l.12*

Et Spiritus Deificet, Et ſi Spiritus Deificet, pag:88. *l:13*

Erratum		Corrigendum
Omnium	lege	*Omnino pag. 119.l.8*
Comparentum,	lege	*cōparent tū p.149.l.18*
Viginitas	lege	*Virginitas, p.158.l.14*
Præſtari	lege	*præſtare, pag.185.l.26*
Statum	lege	*Statim, pag. 217.l:9*
Et	lege	*Vt p.316.l.26*
Quidem	lege	*Quidam p.318.l.20*
Sine	lege	*Siue p.334.l 30.et 31*
Propheta occultæ,	lege	*Prophetæ occulta, pa: 351 l.10*
Periculo	lege	*populo p.351. l.19*
Viderunt	lege	*vidit p.ead.l.27*
Chriſto	lege	*Chriſti p.380.l.6*

Cætera legentium iudicio relinquuntur.

INDEX

INDEX RERVM LOCORVMQVE INSIGNIORVM TOTIVS OPERIS.

A

Actus hominis bonus an pri⁹ à Deo procedat, an ex libero arbit. pag. 194.

Adam.

Adam non peccauit vt ſingularis homo, 28. eo peccante peccauimus nos oẽs. ibid. eo corrupto corrupta eſt tota noſtra natura. ibid.

Adami peccati grauitas 34

Primum eius peccatum in nos transfunditur, non item cætera. 39

Primum illius peccatum complectitur alia multa. 42

Adam creatus in gratia. 95. & ſeq.

Amor.

Amor & charitas an rectè pro eodem ponantur. 245

Amor quomodo in homine naſcatur. ibid. & 251

effectus amoris. 145.

Angelus.

Angeli creati ſunt in gratia. 96 liberum habent arbitrium, ſed aliter quam homo. 175

Boni & mali angeli an poſſint mereri. 179

Angelorum, Adami & cæterorum electorũ diſcrimen quoad gratiam. 229

Angeli omnia quæ à nobis geruntur cognoſcunt. 346

Angelos inuocarunt antiqui patres. 348

Anima.

Qua vi corpori iungatur. 35 & ſeq.

Quando eſt ordinata, quando inordinata. 39

Appetitus ſenſibilis vitia ex originali peccato contracta. 41

Arbitrium & iudiciũ quomodo differant. 169

B.

Baptiſmus.

Baptiſmi varia dona & effectus. 308

Baptiſmum paruulis neceſſarium eſſe multis probatur rationibus. 68. & ſeq.

Idem diuerſis patrum teſtimonijs

monijs conuincitur. 74. & ſeq.

Beatitudo.

Beatitudo & iuſtitia cõuertuntur. 292

Beatitudinis ſtatus quis. 340 & ſeq.

C.

Caro.

Carnis rebellio nõ eſt ipſum peccatum Adami, ſed eius ſequela. 52

Cauſæ.

Cauſarum mouentium ordo inter ſe. 116. 122. & 123

Charitas.

Quid propriè ſit. 249. & 257

Charitas eſt amicitia. 249

Eſt donum Spiritus S. inhabitantis. 253

Eſt proprius fruct⁹ gratiç. 90

Eſt gratia noui teſtamẽti. 258

Eſt primaria iuſtitiæ virtus, per quam iuſti principaliter operantur. 317

Charitas inchoata, inchoata eſt iuſtitia &c. quo ſenſu ab Auguſtino dictum ſit. 317

Charitas & amor pro eodem ponuntur. 245

Charitas & iuſtitia non ſunt idem. 316

Quando & quomodo homini infundatur. 130. & 131

An reperiatur in homine ſimul cũ reatu dãnationis. 259. & 262

Non habitat in corpore ſubdito peccatis. 252

Eam non habent ethnici, hęretici, aut ſchiſmatici. 258

Duplicẽ habet charitas amoris motum. 246

Specie differt ab alijs diligẽdi modis. 254

An homo ſcire poſſit, charitatem habeat an non. 274. ſeq. & 281. vnde id ſcire poſſit. 278. & 279. præceptum charitatis quouſq; ſe extendat. 276

Chriſtus.

Cur in mundum venerit. 6

An liberi arbitrij fuerit. 180

Circuncifio.

Valebat olim in paruulis ad ſignificandam purgationẽ ab originali peccato. 6

Inſtituta eſt contra originale peccatum. 70

Claues.

Claues in Eccleſia ad quid valeant. 372. & 376.

Vſus clauium. 385

Cœlum.

Cœlum quibus ſit præperatũ pag. 303. & ſeq.

Concupiſcentia.

Quid ſit. 59

Eſt diſpoſitio. 66

Eſt deſiderium peccati 54

Per totum corpus eſt reſperſa, & ad omnia peccata ſe exten-

extendit, non ad genitalia tantum. 55. ex peccato generationis homini adheret. 36 non eſt à Deo. 58. & 59. Subiectum eius quod 66. effectus eius eſt deficere à plenitudine iuſtitiæ 67. eius oppoſitum 66. Non potuit aſſumi à Chriſto 58. & 61.
Quouſq; in baptiſ. ſanetur. 59
Cur in renatis relinquatur. 66. in renatis eſſe veri nominis peccatum docent Lutherus & Caluinus 4‹. & ſeq. quæ ex hoc errore ſequantur abſurda 53. non eſſe veri nominis peccatũ in baptizatis multis conuincitur rationibus 46. & ſeq. item 60. & 61. quomodo in baptizatis maneat actu, trãſeat reatu 64. quo ſenſu in renatis vitium ſit & deformitas 67
Concupiſcentia nec bona eſt nec indifferens, vt ſtatuit Iulianus 54. & ſeq.
de concupiſcentia variæ quæſtiones 62. & ſeq.

Concurſus Dei generalis.

Quid ſit, & in quo poſitã 117. non eſt idem quod gratia Chriſti generalis 101. nec idem quod gratia ad ſingulos actus neceſſaria 124. huius concurſus & gratiæ cooperãtis diſcrimẽ 197. hũc concurſum negant Pelagiani 122. de eo controuerſia inter doctores 113
concurrit Deus ſingulis actionibus noſtris 112
Quomodo Deus concurrat 114. & 122. & ſeq.

Confeſſio.

Confeſſio in pœnitente non eſt opus iuſtitiæ 294. ſed eſt initium iuſtitiæ. ibid. & 324.

Conſcientia.

Conſciẽtia eſt radix virtutũ. 67. ſignificat habitum. ibid.

Conuerſio impij.

Quo modo & ordine fiat 128. & ſeq. item 13‹.
Cur omnes homines non cõuertantur 139
Cur vnus conuertatur alius non 199. & ſeq.

Cornelius Centurio.

Cornel. Cent. Spiritum S. ante baptiſmum accipiens an peccatorum ſuorum fuerit adhuc reus 270. quo ſenſu iuſtus dicatur ante baptiſmum 295.

D

Deus.

Deus quid in homine oderit quid non 63
Deus largitor eſt virtutum omnium 104

eius auxilium nobis in ſingulis actionibus etiam naturalibus eſt neceſſariũ. 112
Quale Dei auxilium nobis ſit neceſſarium. 113
Deus omnium actionũ cauſa. 121. non eſt auctor mali culpæ. 117. & ſeq. item 197. quid in malo culpæ agat Deus, quid non. 118. & 122. quid in actibus naturalibus & nõ malis agat Deus. ibid.
Deus quomodo reprobare dicatur, vide Reprobatio.
Deus ſubtrahit peccatori aliquando ſuam gratiam. 215
Deus non habitat vbique per gratiam. 260
Deum quomodo & ob quid diligamus. 246
Deificari debet qui Deum dignè amabit. 267

Diabolus.

Cur non perſeuerauerit. 194
Dæmoniacum ſe nemo fingere poteſt. 338
Durandi error de meritis Sanctorum. 368

E

Electio Electi.

Electionis gratia qualis. 209
Electorum & reproborum diſcrimen. 191
Electorum & reproborũ diſcrimen an à Deo, an verò à libero arb. prius procedat. pag. 194
Electi an aliquid plus receperint à Deo quam reprobi: 191. & ſeq.
Electus an ex libero arbitrio habeat quod Spiritui S. acquieſcat. 194
Electi quidã minori vel non abundantiori gratia ſaluãtur quam reprobi quidam habuerunt. 196
Electorum an aliquod ſit meritum. 218. & 226. & 222.
Electum à reprobo diſcernit Dei cooperatio. 223
Ex gratia per liberũ arbit. eſt quod homo electus eſt. 227
Electi multi ſunt qui per liberum arbitrium poterant eſſe reprobi. ibid.
Electorum propria nota perſeuerantia. 228
Electio ex ſolo Deo eſt. 230
Electorum gratia maior quã quæ data fuit Adæ. ibid. & ſeq.
Electorum ſi quiſquã periret falleretur Deus. 204
Electi vnde dicantur: 209.
In electis Deus ſæpe peccata permittit. 214

Euangelium.

Euangelij prædicatio nos foris inuitat ad ſalutem. 128
Euangelium quid ſit. 291
Euangelium & lex quomodo differant. 290

F

Fatum.

Fati aſſertor Simō Magus. 161

Mathematici Stoici & Phariſæi fatum quoq; defendebant. 151

Fides.

Fidei gratia quæ ſit. 129

Fidem qualē intelligat Paulus cum ait fide nos iuſtificari. 318

Fidei virt⁹ in quo poſita. 320

Fide quomodo iuſtificari dicimur. 321. & 325

Fides fundamentum omniū bonorū operum. 323 & ſeq.

Fidei lege iuſti ab iniuſtis diſcernuntur. 530.

Finis vltimus.

Finis vltimus actuum humanorum quis 146. qualiter in hunc finem actus noſtri referendi. ibid.

G

Gratia.

Gratiæ gratificantis inſignis deſcriptio. 86

In anima hominis cōſtituta omnium virtutum eſt mater. 41. eſt arra qua per Spiritum S. Chriſto incorporamur. 81. eſt odor ſuauiſsim⁹ in veſtibus & ferrum ignis participatione candeſcēs. 87 nō eſt ſola Dei operatio ſed naturę ſanatio. 105 eſt animæ vera pulchritudo. 302. eſt cœleſte & diuinum nomen. 89. decor huius gratiæ homini incognitus. 278. differentia gratię in primo ſtatu innocenti & eius quæ data eſt per Chriſtū electis. 230. & ſeq. eius dignitates & excellentiæ decē. 84

Gratia nō ex meritis, ſed gratis datur. 85. nulla creata natura eam ex ſe habere poteſt. 89. Quo modo & ordine homo eam conſequatur 128. & ſeq. qualem gratiam ſingula ſacramenta confeerant, 107. quomodo paulatim augeatur & perficiatur. 138. augmentum gratię quibus medijs impetretur. 230

Gratia ſponſas Chriſti facit. 85. proprium eius eſt deificare. 88. proprius eſt fructus charitas. 90

Gratia in ſtatu corruptæ naturæ plura includit, quàm ea quę in ſtatu innocētię requirebatur. 93

Gratiæ Chriſti tribuenda eſt tota naturæ noſtræ reſtauratio. 99. & ſeq. ſimiliter & ſalus noſtra. 100. per gratiā Chriſti non ſolum ſuadetur bonum, ſed & perſuadetur 102. quomodo gratia velle bonum in homine operetur

tur 108. quid homo ſine gratia poſſit, quid non poſſit 143. & ſeq.
Gratiam quidquid præcedat in homine an vitioſum. 97.
Gratia ad ſingulos hominū actus datur 98. & 125. negāt hoc Pelagiani 125. quomodo detur ad ſingulos actus. pag. 111
Gratia ad ſingulos actus neceſſaria quid ſit 126. & 127
Gratia vt præuenit, ſic & comitatur 97. & ſeq. primus homo an in gratia creatus 95. quæ gratia homini ab initio vitæ vſque ad finem neceſſaria 128. & ſeq. ſufficiens gratia ſemper, & omnibus hominibus adeſt 134
Gratiam ſuam aliquādo ſubtrahit homini Deus 215. & ſeq. circa hanc gratiam errores Pelagij, Lutheri, & aliorum 79. & ſeq. contra primum errorem Pelagij Eccleſiæ definitio 80. contra ſecundum ſententia Auguſtin. ibid.
Gratia Chriſti generalis quid ſit 99. generalis gratia Chriſti in quo poſita 101. hæc gratia non eſt concurſus Dei generalis. ibid. nec eſt ſola Dei præueniens motio 102.
Gratiæ cooperantis & generalis Dei concurſus diſcrimen 197
Gratia ſacramentalis quid ſit 94

H

Hæreticorum noſtrorum de iuſtificatione inconſtantia 283. Hæreſes ſemper autoritate ſedis Apoſtolicæ damnatæ ſunt 403
Hæreſes vnde oriantur 402

Homo.

In hominum duorum cauſa conſiſtit fides Chriſtiana 2.
Homines omnes naſci in peccato originali oſtenditur 4. & ſeq.
Homo primus an in gratia creatus 95. cur nolit homo facere quod iuſtum eſt 108.
Homo viator ſemper è bono malus, & contra fieri poteſt 182.

Humilitas.

Humilitas in iuſtis vnde oriatur 289.

I

Imago & ſimilitudo ad quā homo creatus eſt, quid ſit 96. an imago Dei in homine per peccatum planè deleta ſit 145

Indulgentia.

Indulgentia quid ſit 370. 372 & 373. patribus antiquis indulgentias non fuiſſe incogni-

cogni-

gnitas 371. Paulus indulgentias dedit. ibid. valēt quantum ſonant 374. vnde ſit valor indulgentiarum 375. per indulgentias applicantur nobis merita Chriſti 376. & nos iuuant merita Sanctorum, ibid. cōſtitutiones Eccleſiæ de indulgētijs 379. defunctis quomodo proſint indulgentiæ 380. & ſeq. forma qua vtitur Eccleſia in conferendis indulgentijs pro defunctis 381

Indulgētia nō eſt oratio pro peccatis ſed ipſa remiſſio peccati 382

Indulgentię per modum ſuffragij proſunt defunctis 388

Indulgētias cur Pontifex nō poſſit abſolutè defunctis impendere 389. de indulgētijs mille & amplius annorum quid cenſendum 396. & 398

Indulgētiæ quib. conferātur & quib. proſint 398. & 400 quando ſint legitimæ 399

Infantes, vide Paruuli.

Intellectus.

Intellectus quomodo per peccatū originale vitiatus 41

Iudicium.

Iudicij & arbitrij diſcrimen. pag. 169

Iulianus.

Iulianus concupiſcentiā non eſſe malam aſſeruit, contra quem 6. libros ſcripſit Auguſtinus 54

Iuſtificatio.

de Iuſtificatione inconſtans ſententia hæreticorum 283

Iuſtificatio, interna hominis renouatio, & remiſsio peccatorum ſimul concurrunt 295. & 298

Iuſtificatio impij q̄d ſit 298

Iuſtificari fide quid ſit 321. & 325

Iuſtificari, filium Dei fieri, & Chriſtum induere idem ſunt 305

Iuſtificationem Phariſæi nudis operibus, Græci naturæ aſcribebant 333. Pauli & Iacobi ſententiæ de iuſtificatione conciliantur 328. & ſeq.

Iuſtitia Chriſtiana.

Eſt animæ anima & forma, 315. non eſt imputatiua ſed vera 301. eſt animæ inhærēs 299. eſt ſimplex forma, non duplex 308. non eſt proprij nominis virtus, ſed radix omnium virtutum 303. & ſeq.

Iuſtus.

non poteſt reputari iuſtus qui non ſeruat leg. Dei. ibi.
Iuſtus idem qui beatus. 292
Iuſtus nemo ſine remiſſione peccatorum. ibid.

L

Laus.

Laus & vituperium quibus rebus debeatur, & in quibus locum habeant. 178. & ſeq. item. 182

Lex.

Lex non niſi voluntati poſita eſt. 56
Lex Dei non eſt impoſſibilis. 131. & 284
Lex ab euangelio quomodo differat. 290
Legis non quæuis obſeruatio, ſed ea quę fit per ſpiritũ inhabitantem eſt iuſtificatio. 306

Liberum arbitrium.

Hæretici qui illud negârunt, 151. & 165. ijdem refutantur. 152
Liberi arbitrij ratio inueſtigatur. ibid. eſſe lib. arbit. rationibus probatur. 155. idem diuerſis ſcripturis in 8. claſſes diſtributis demonſtratur. 156 & ſeq. idem ampliſſimorum patrum ſententijs conuincitur. 161. & ſeq.
Quid ſit lib. arbit. ſecundum Clementem. 162
Aliorum definitio. 154. item alia deſcriptio 172. & 173.
Potentia eſt nõ habitus 173. vnde dictũ ſit & in quo ſitũ 169. cur potius liberum arb. quam iudicium dicatur. ib.
In qua animi facultate ſitũ ſit. 170. voluntas & ratio à libero arbit. quomodo differant. 171. arbitrium non ad intellectum, ſed ad cor, id eſt, voluntatem & affectum pertinet. 172
Liberi arbitrij & cauſarũ naturalium effectus quomodo differant. 17
An liberũ arbit. aliquid poſſit ſine gratia & quid poſſit. 144. ſeq. & nihil boni tribuendũ libero arbitrio quod non ſimul ſit gratiæ. 18. in quibus hominibus locũ habeat. 170. aliter eſt in homine aliter in Angelis. 175 an in Chriſto fuerit. 180. locum habet in ijs quæ ſunt media ad finem. 174. quatenus per peccatum vulneratum ſit, & quatenus ſanum remanſit. 155. de qua libertate arbitrij Eccleſiæ quæſtio ſit cum Philoſophis & hæreticis. 173. propter præſcientiam & prædeſtinationem Dei quidam tollunt liberum arbitrium. 202

Lutherus

Lutherus.
Error Lutheri de operibus extra gratiam factis. 97.
M
Macula.
Macula peccati in homine quid ſit. 302
Mandatum Dei.
Mandata Dei ſeruanda. 287. quo fine ſint inſtituta iuxta hæreticorum noſtrorũ doctrinam. 288. & ſeq. grauia non ſunt. 289.
Meritum.
Meriti noſtri cauſæ octo. 95
Mereri Angeli nec boni nec mali poſſunt. 179
Miſeria humana.
Miſeriæ humanæ vitæ recenſentur, ex ijſque originale peccatum probatur. 8.
N.
Natura.
Naturæ infectio vna cum natura in prolem à parente transfunditur. 36.
Naturæ ſanatio gratiæ eſt effectus & quomodo ſanata ſit. 105
Naturæ vires ad benè agendum in diuerſis homini-

Scripturæ quæ Deo obdurationem aſſcribunt. 237. alibi Sathanæ obduratio aſcribitur. 238.
Opera humana.
Opera noſtra quod perfecta & Deo grata ſunt habent ex gratia gratificante 90. differentia inter opera ex gratia gratificante facta, & ea quæ ex gratia non fiunt. 93
Opera omnia extra gratiam facta an ſint vitioſa 97. & 149. quæ opera ſine gratia fieri poſſunt. 143. & ſeq.
Operari bene Spiritus S. donum eſt. 103
Opera meritoria ſine gratia nemo præſtare poteſt. 143
Opera bona triplicia, eaq; omnia ex gratia fiunt. 144
Operis boni nullam partem præſtat homo, quam non etiam Deus: & contra. 196
Opus bonum ex laudibili radice commendatur. 323
Opera qualia intelligat Paulus cum dicit nos ſine operibus iuſtificari. 332.
Oratio.

à paucis eſt definitum. 1. peccatum Orig. quid ſit hodie magis controuertitur, quam an ſit. 10. vnde ſic dictum. 18. quid ſit. 16. & ſeq. in quo rerum genere collocari debeat & vbi ſedē habeat in homine. 20 eſt habitualis & virtualis à lege ſuo loco & tempore declinatio. 26. propriè dicitur & eſt peccatum. 25. & ſeq. idq; non niſi reſpectu Adami. 30. propria ratione peccatum eſt homini internum, ex quo iniuſtus, prauus & immūdus eſt. 11. an ſit voluntarium & quatenus. 27. 29. & 32. hæreſis de peccato originali primus auctor Pelagius. 2. cauſa peccati orig. efficiēs quæ. 31. cauſa eius meritoria. 32. & 33. cauſa eius inſtrumentalis. 35. cauſa eius formalis. 36. cauſa eius materialis & finalis. 42. quomodo à parentib. in prolē trāsfundatur. 12. & ſe. quomodo ſit ex Adamo. 28. parentes illud ſua malitia aggrauare & releuare poſſunt, tollere non poſſunt. 39. grauitas peccati originalis. 44. in quo ea ſit ſita. 62. cur pœna ſit dignum. 30. lege non prohibetur. 20. vnum eſt in omnibus. 38. quomodo. 41. ſolo baptiſmo tollitur. 68. vt in veteri teſtamento circuncißione. 70.

P

Parentes peccatum originale aggrauare & releuare poſſunt, non tollere. 39. quomodo aggrauant aut releuant. 40.

Parentes ſua culpa miſerias temporales augere poſſunt. ibid.

Paruuli.

Paruulos nullum contrahere ex natiuitate peccatum hæreſis eſt Pelagij. 2.

Paruulos omnes in originali peccato naſci probatur. 4. & ſeq.

Paruulus ex Adam natus vnde verè prauus denominetur. 36.

Paruuli parentum peccatis quomodo obligentur. 40. ex baptizatis parētibus nati etiam peccatum originale contrahunt. 62. Anabaptiſtæ ſine baptiſmo illos ſaluari volunt. 69.

Paruulorum baptiſmum eſſe neceſſarium multis probatur rationibus. 68. & ſeq. idem probatur varijs antiquiſ-

quiſsimorum patrum teſtimonijs. 74. & ſeq. ad quid paruuli baptizentur. pag. 69.
Paruuli ſine baptiſmo decedentes iuſtè dānantur. 131.
Paruulorum ſine baptiſmo morientium pœna. 42. & 182.
Pauli locus ad Rom. 5. excutitur. 4.

Peccatum.

Peccati generalis deſcriptio. pag. 25.
Peccati protoplaſti grauitas. pag. 34.
Peccatum dicitur non actus tantum tranſiens, ſed permanens & inhærens, malitia, vel habitus. 24.
Peccata omnia legi naturę repugnantia vitare non poteſt homo ſine gratia Dei. 148. in peccata ne ruat homo debet gratiæ Dei. 241.
Peccata quæ non fecimus habenda tanquam â Deo nobis dimiſſa. 147. & ſeq.
Peccatores quomodo admonendi ex Auguſt. 111. Vide etiam remiſsio peccatorū.

auctor hæreſis de peccato Originali. 2. contra Pelagij hæreſin quantum olim laboratum ſit. ibid. & ſeq. errores eius de gratia gratificante. 80. quid Pelagius in opere humano Deo, quid homini tribuerit. 102.

Perſeuerantia.

Perſeuerare nemo poteſt ſine ſpeciali gratia. 132. & ſeq. cur non omnes homines perſeuerent. 139.
Perſeuerantia propria nota electorum. 218.

S. Petrus.

Petri cathedræ firmitas quanta. 414.
Petrus eſt petra Eccleſiæ. 404. & ſeq.
Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ. 406. ſuper Petrum ædificata Eccleſia. 404. & ſeq.

Pœnitentia.

Pœnitentia nunquam ſera, modo vera. 266.
Pœnitentibus per ſacramenta quid accedat. 307.

Pontifex etiamſi in hæreſin labi poſsit, nihil tamen cõtra fidem veram definire ex officio poſſet. 414
Pontifici quod non obediatur hinc natæ hæreſes. 402
An pontifex in Sanctorum canonizatione errare poſſit. 339
Pontifices aliquot ab errore cuius ſuſpecti ſunt vindicantur. 413

Prædeſtinatio.

Quid ſit 204. & 208. non eſt actus præteritus 206. effectus proprius prædeſtinationis quis 223. ex gratia & libero arbitr. eſt quod homo eſt prædeſtinatus. 227
Deus prædeſtinat, prædeſtinauit, & prædeſtinaturus eſt. idem ſunt. 207
Prædeſtinatio æſtimanda eſt reſpectu operis, quod in prædeſtinato facturus eſt Deus, tunc, cum ille operabitur. 206
Cur non omnes prædeſtinẽtur. 145
Cur prędeſtinatio difficilis intellectu. 206
Qui prædeſtinatus non eſt oret vt prædeſtinetur. 207
Prædeſtinatus non prædeſtinatus dici poteſt; & contra. ibid.
Prædeſtinationis myſterium pag. 208
Prædeſtinatorũ inſignia. ib.
Prædeſtinatio non ponit in homine neceſsitatem. 205.

Præſcientia Dei.

Eſt antecedens reprobationis. 212. eam in dubium vocat Cicero. 202. vnde hæc dubitatio orta. ibid. quomodo in Deo ſit conſideranda. 203. ex præſciẽtia Dei nulla in rebus naſcitur neceſsitas. ibid.

Prouidentia Dei.

Cur potiùs prouidentia quã præuidentia dicatur. 203

Q

Quæſtiones difficiliores in fide & moribus ad Pontificem Roman. referendas eſſe, ab eoque definiendas. pag. 403

R

Regnum cœlorum.

Regnum cælorum quibus præparatum ſit. 303. & ſeq.

Remiſsio peccatorum.

Quid ſit. 298. & 299. non eſt pars iuſtitiæ, ſed extrinſecus illam cõcomitatur. 310
Remiſsio peccatorum & iuſtificatio ſimul concurrũt. 292. quomodo fiat apud Deum & quomodo apud homi-

hominies. 296 poteſtas remittendi peccata Sacerdotibus data qualis ſit. 297. aliquando fit ante ſuceptionem ſacramētorum. 265. ſed non ſemper. 268.

Reprobatio.

Quid ſit, & an eius ſit aliquod meritum. 212. & latius 218. & ſeq. finalis eius reſponſio. 221. qua conſideratione Deus reprobare dicatur. 210

Reprobus.

Reprobi qui dicantur. 210

Reproborum & electorum diſcrimen an à Deo, an verò à libero-arbitrio prius procedat. 194

Reprobus an minorem gratiam acceperit quam electus. 191. & ſeq.

Reprobi multi ſunt ſuo vitio qui ex gratia poterant eſſe electi. 227

Reprobus ex libertate arbitrij Spiritui S. reluctatur. 194. vide etiam Electus.

S

Sacramenta.

Sacramenta ſingula quam cō

quando fit remiſsio peccatorum. 267. ſed non ſemper 268.

Sacramentum ſyncerè ne, an fictè ſumſerimus vnde ſciri poſsit. 279

Sanctus.

Sanctorum beatitudo qua certitudine credenda. 336 pro Sancto iam celebratur abſq; auctoritate Romani Pontificis, olim tamen aliter. 339. in Sanctorum Canonizatione an Pontifex errare poſsit. ibid & ſeq. verba quibus vtitur Pontifex in canonizatione Sanctorum. 340

Sancti an cognoſcant noſtras preces. 343. & ſeq.

Sanctorum venerationem qui primum calumniati ſunt. 344

Sancti vbique præſentes eſſe poſſunt, & quomodo ſint. 345. per preces, & non per merita Sanctorum nos adiuuari dicunt quidam. 365. iſte error refutatur. ibid. & ſeq. merita Sanctorum ſunt theſauri Eccleſiæ 375

Spiritus Sanctus.
Spiritum S. eſſe Deum probāt veteres ex dignitate & vi gratiæ, quam homini infundit. 88.
Spiritus Sancti donum quo per Chriſtum iuuatur noſtra infirmitas propriè, ſed Analogia quadam dicitur gratia. 100. donum illud in quo poſitum. 101
Spiritus S. aliter operatur inhabitans, aliter non inhabitans. 253.
T
Taulerus & ſui imitatores notantur. 275. & 276
Tentationi reſiſtere an poſſit homo ſine gratia Dei. pag. 144
V
Virgo.
Virgo non debet ſe præferre coniugatæ. 106
Vires.
Vires internas ad benè agendum ſanatæ ſunt per Chriſtum. 105.
Vires ad virtutes operandas in diuerſis eſſe diuerſas. pag. 106.
Vires noſtræ nobis ſunt incognitæ. ibid.
quam efficaces ſint. 107. inter vires naturales & virtutes infuſas differentia 108. & ſeq.
Virtus.
Virtutes veras in Philoſophis nullas fuiſſe. 149. inter virtutes infuſas & vires naturales diſcrimen. 108 & ſeq.
Vocatio Dei.
Vocatio Dei eſt initium noſtræ ſalutis. 128.
Voluntas.
Voluntas quomodo vitiata per peccatum originale. 4. in voluntate mala quid operetur Deus, quid nō. 118. malus eius actus non eſt à Deo. 119. malus eius actus dum fit, influit Deus. 120.
Voluntas hominis non iuſtificati qualis. 148.
Voluntas quomodo differat à libero arbitrio. 171.
Voluntas ſemper bonum appetit 174. mala voluntas ſufficit ad vituperium, reatum, & pœnam, licet non adſit poſſe oppoſitum; & contra. 177.

FINIS